—

COLLATIONES BRUGENSES.

—

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XIV

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California
P
CB

BRUGIS FLANDRORUM

Typis Ad. Maertens-Matthys

MCMIX

27247

v. 14
1909

Collationes Brugenses

ANALECTA ASCETICA

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XI, pag. 221).

Primo loco in analectis nostris dedimus specimen illorum scriptorum quæ, post ævum Patrum, nomine *Formulæ novitiorum* seu *De institutione novitiorum* maxime usu fuerunt sæculis XIV et XV, illudque specimen selegimus quod doctrina morali atque ascetica præstans a multis exscriptum fuit, nominatim e schola Fratrum vitæ communis seu Devotorum et a Canonicis regularibus S. Augustini capituli generalis de Windesem; a multis imo fuit variis modis mutatum et vexatum, ut diximus, quodque auctori adscribitur Fr. David, O. M., rationibus sane probabilibus; quamvis multi idem argumentum attigerint, inter quos citantur et ipse Magister Gerardus Groot, Devotorum pater; necnon Florentius Radewyns, primus eorumdem rector; postea Fredericus ab Heylo, canonicus e congregatione Windesem [1].

Neque solummodo ob intrinsecum opusculi valorem, id in specimen dedimus, sed ob hanc quoque rationem, quod mns. ejusdem, inter cætera interque editiones notas sane egregium, invenimus hucusque ineditum.

*
* *

Jam, secundo loco, specimen exhibebimus aliorum scriptorum, quæ inscribi solent *Propositum* vel *Conclusa et propo-*

---

1 Vid. VAL. ANDREAS, *Bibl. belgica;* FOPPENS, *Bibl. belgica,* PAQUOT, *Mémoires.*

Omnino optandum est, ad certius definiendum auctorem nostræ Formulæ, ut antiquiora manuscripta, ab editoribus Ad claras Aquas citata, et nostram « Formulam » exhibentia, sedulo examinentur et, si fieri possit, accurate definiatur ætas non tantum codicis inter varia manuscripta hanc complectentis, sed hujus ipsius ætas, ita ut *certo* constet an necne aliquod manuscriptum nostræ « Formulæ » antecedat posteriorem partem sæculi XIV.

sita, vel *Devotum exercitium,* in schola modernæ devotionis, ut ajebant, valde usitata, de quibus legimus in *Scripto Rudolphi Dier de Muden* [1] ejusdem scholæ sequacis: « Scripsit etiam (Flor. Radewyns) quedam puncta, secundum que actus suos volebat moderare, que quis legens poterit aliqualiter cognoscere interiora ipsius domini Florencii [2]. Consimiliter magister Gherardus Grote conscripsit aliqua puncta, veluti Conclusiones juxta quas intendebat dirigere mores suos [3]. Joannes Kassel et dominus Lubbertus [4] predicti etiam conscripserunt notabilia puncta, secundum que intendebant ordinare vitam suam, que nobis valde forent edificatoria, si ea legeremus intento corde ».

Itaque, in specimen hujusmodi scriptorum elegimus *Propositum cujusdam canonici,* quod omnino ineditum hucusque putamus, quodque accurate exscripsimus ex pulcherrimo manuscripto membraneo bibliothecæ nostræ [5]. Quis autem

---

1 Vid. GERHARDI DUMBAR, *Analecta.*

2 Hujus proposita in libris, licet multis a nobis relectis, relata non invenimus. THOMAS A KEMPIS refert, in fine *Vitæ Florentii,* ejusdem *notabilia quædam verba,* non tamen sub forma hujusmodi *Propositorum.*

3 Idem THOMAS, in *Vita M. Gerardi Magni,* hujus *Proposita,* in fine libri, ex integro recitat.

4 Hujus pariter Joannis Cacabi, vulgo Ketel seu Kessel, qui apud fratres cocus fuit, proposita exhibet KEMPENSIS in libro *Vitæ discipulorum Florentii,* in fine « Vitæ Jo. Cacabi »: *Devotum exercitium ejusdem Fratris Joannis.* Et similiter Luberti Berneri, in fine vitæ ejusdem, sub titulo: *Collecta quædam ex devotis exercitiis domini Luberti.* — Meminit etiam DIER DE MUDEN, p. 81, propositorum Fr. Spaen; et *Proposita* Theodorici Graviæ, prioris in Windesem edidit e mns. ACQUOY, *Het klooster te Windesheim,* t. III, Bijlage XII.

5 Eo continentur: *Epistola B. Bernardi ad sacerdotem.* — *Devota exhortatio ad sacram Christi communionem* (sine nomine auctoris); qui est liber quartus de Imitatione Christi. — *Epistola magistri Gerhardi magni ad quemdam sacerdotem,* scil. Henricum Clingebille de Huxaria, cujus epistolæ extractum exhibet Jo. Busch in *Chronico Windesem.*, II, c. XXX, quamque ex integro edidit ex cod. Groningano G, coll. Trajectino B, *Archief voor kerkelijke geschiedenis* (KIST en ROYAARDS, en TH. CLARISSE), III deel, bijlage nº 2. Noster textus ab utroque codice illo in quibusdam discrepat, et utrique forte prævalet; quem, si quis id optaverit, libenter publici juris faciemus. — Hanc epistolam G. Groot sequitur *Propositum cujusdam canonici,* quod nunc primum edimus. Et in fine voluminis adjiciuntur quædam consilia perfectionis religiosæ, quæ videntur esse excerpta ex S. Bernardo et aliis, de quibus forte postea verbulum addemus.

auctor sit, neque ex mns. constat, neque aliunde nobis innotescere certo potuit. Hoc ex ipso argumento legenti patebit, auctorem fuisse presbyterum simul et canonicum, non regularem, ast scholæ Devotorum addictum. Unus forte e canonicis fuit ecclesiæ S. Lebuini Daventriæ [1], in qua Florentius Radewyns, relicto, antequam factus fuerat sacerdos, canonicatu S. Petri Trajecti, vicariam S. Pauli obtinuit; cujus in vicariæ domo, sub Florentio rectore, Fratrum vitæ communis prima sedes fuit. Igitur inter illos fuerit Auctor nostri *Propositi*, de quibus scribit Thomas a Kempis: « Erant quoque tunc temporis in collegio Daventriensi plures canonici et vicarii literati, ac probabilis vitæ viri, strenui et alacres ad divinum officium debita cum laude persolvendum. Hi virum Dei magistrum Florentium, in reverentia et digno honore habentes, ipso præsente insolentias leves solicitius compescebant, totusque chorus illustrabatur tanti sacerdotis disciplina [2] ».

---

1 Quamquam nomina vel conjecturaliter proferre parum utile videtur, notari tamen possunt canonici Daventrienses duo, qui in Chron. Windes. tamquam bene affecti in fratres vitæ communis et canonicos regulares congregationis Windesemensis nominantur, Henricus Canneman, *Chron. W.*, I, c. XXXIX et Wilhelmus de Lochem, II, c. LVIII.

2 *Vita D. Florentii*, c. XI.

Propositum cujusdam canonici. [1]

In nomine Domini. Amen. Adjuva me, Christe, in bono proposito.

In primo, de cetero numquam ponam spem vel fiduciam in aliquam rem temporalem [2], quia me nec se possunt adjuvare, sed in Domino sperabo et suis famulis [3] me sociabo.

Studium meum erit evangelium sanctum, quia ibi est vita Christi [4]; epistole Pauli; epistole canonice; et libri quatuor doctorum [5] et libri

---

[1] Hæc est superscriptio seu titulus litteris rubris exaratus. — Initio codicis, qui 82 folia continet, seu in primo folio verso index contentorum texitur non omnino completus, in quo titulus hujus Propositi accuratius indicatur *Propositum cujusdam devoti sacerdotis canonici*. Re quidem vera ex ipso argumento Propositi luculenter constat agi de *canonico*, non regulari, *sacerdote*, addicto scholæ *devotorum*. Complectitur Propositum folia codicis mns. octo, cum una linea et « explicit » in recto folii sequentis.

Indicationes ad lineam atque universim interpunctio a nobis sunt, cum uno tractu in mns. totum scriptum sit, majusculis tantummodo litteris, rubra lineola signatis, phraseos initium indigitantibus, et puncto posito in medio lineæ post singula phraseos membra.

[2] Ita Magister Gerardus Groot in *Conclusis et propositis* (apud Thom. a Kempis, *Vita M. Gerardi Magni*): « Nec spem, nec desiderium in aliquod lucrum temporale ponere de futuro ».

[3] Intellige: Devotis seu Devotionis sectatoribus, discipulis nempe Gerardi Groot et Florentii Radewyns.

[4] Iisdem verbis Gerardus Magnus, *Conclusa et proposita* (apud Thom. a Kempis, *Vita Gerardi Magni*): « Radix studii tui et speculum vitæ sint primo evangelium Christi, quia ibi est vita Christi ». Ubi quoque enumerantur libri adhibendi, qui hic assignantur mira conformitate.

[5] Nempe: Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii.

devoti [1], videlicet meditaciones Bernardi, Speculum monachorum, Speculum Bernardi, Epistole Bernardi ad fratres de monte Dei, Profectus religiosorum, Horologium eterne sapientie, Instituta sanctorum Patrum, Collaciones Patrum, Soliloquium Augustini, Moralia Gregorii, Omelie Gregorii et ceteri libri devoti. Et morales libros gentilium et poetarum [2] omnino vitabo, quia fabule et vani sunt, etc.

---

[1] Ita Gerardus M., ibidem: « Deinde libri devoti, ut meditationes Bernardi, etc. Sic quoque Florentius Radewyns, in epistola ad quemdam Regularem in Windeshem, (apud Thom. a Kempis, *Vita D. Florentii,* in fine): « Consulo tibi ut habeas circa te Speculum monachorum, aut Speculum Bernardi..... quem librum etiam discas exterius ».

[2] Hic severior videtur auctor Propositi ipso magistro Gerardo, qui quidem, ad Senecam appellans, scientias mere profanas et lyricos poëtas etc. ut inutiles habet, verumtamen addit: « inter omnes scientias gentilium, moralia minus abhorrenda sunt ». Et pergit reddendo rationem: « quæ sæpe sunt multum utilia et proficua, et tam in propria persona quam in docendo alios ». Ideo forte Canonicus absolute respuerit libros gentilium, quod docere alios, puta scholares Fratrum vitæ communis, sui muneris non erat; pro seipso autem Patres et Doctores Ecclesiæ sufficere non immerito autumarit.

Quoniam hic de libris actum est, quorum usum commendabat Magister Gerardus Groot, notare juvat quæ de his habet R. Dier de Muden: « Libros... suos, quos in copia non parva habuit, communicavit Dom. Florencio et Dom. Johanni de Gronda ea condicione, quod semper permanerent tres pro conservatione librorum: ut si quando unus decederet, reliqui duo eligerent aliquem in locum defuncti. Et voluit, ut audivi a Dom. Jo. Brinckerinck... ut essent liberales ad concedendum libros aliis ». Et infra addit: « Johan. de Gronda... habuit communionem librorum magistri Gherardi: et ipse habens libros non parvi valoris tradidit eos in

Ista erunt statuta mea et propositum meum. In primo, in nomine Domini nostri Jhesu Christi et gloriose virginis Marie, matris ejus, et omnium sanctorum, sufficiunt mihi septem hore ad dormiendum. In octava hora omni die vadam dormitum, et ante lectum meum discutiam totam diem quid feci, utrum plus defeci quam profeci [1] tam verbo quam facto. Si aliquod notabile malum feci, ponam ad dicticam ad crastinum confitendum [2]. Et ulterius cogitabo quomodo vadam ad sepulchrum, quomodo non resurgam nisi in novissimo die, et anima veniet ad judicem severum; infernum subtus infra me stantem tanquam forna-

---

commune. Dominus vero Florencius paucos libros habuit, quos tamen habuit tradidit in commune: itaque isti fratres habebant communia quo ad libros ».

Jamvero, catalogum librorum hujus bibliothecæ Fratrum Daventriensium me invenisse in alio mns. bibliothecæ meæ episcopalis, pluribus rationibus ductus suspicor, quem publici juris facere, expositis meæ opinionis argumentis, sum paratus.

[1] Ita Florentius in epist. jam cit. ad quemdam Regularem de Windeshem: « Item, secundum Bernardum ad fratres de monte Dei, compara diem præsentem semel in die diei præteritæ, ut apprehendere possis, quod proficis in virtutibus, aut deficis ».

[2] Similiter in « Devoto exercitio fratris Joannis Cacabi » (apud Thom. a Kempis, *Vita Jo. Cacabi*) legitur: « Post octavam horam debes scribere defectus tuos, et cogitare aliquid boni de materia sancta, et orare.... et cum istis ire dormitum circa horam nonam ». Qui quidem, ut noster, surgebat hora tertia, sicut et cæteri fratres Regulares: « Omni mane tertia hora, audiens campanam, surgere debes absque mora, et statim aliquid boni cogitare ». — *Dictica* seu diptycha = tabellæ plicatiles geminas se pandentes. In casu officio fungebantur eo quod nos vocaremus « calepin ».

cem flammantem, desuper presentiam irati judicis, intus conscienciam urentem, peccata mea a dextris me accusantia quia opera mea sunt, dyabolos a sinistris volentes me trahere ad infernum; latere erit inpossibile et apparere intollerabile; totum mundum ardentem foris me. Quo tunc fugiam miserrimus nisi ad te, Domine Jhesu Christe mitissime; laxa iram, suscipe miserum penitentem, quem hucusque tenuisti contradicentem. Et ulterius in Christi passione me exerceam [1], quousque dormiam.

Item, de mane surgam tercia hora [2], et palpitans in tenebris et vestimenta mea querens cogitabo quomodo ad judicium veniam in novissimo, et ad quam stacionem ibo, quibus dicetur: Ite et venite; Ite maledicti etc. Venite benedicti etc. Et iterum aliquomodo exerceam me in passione Christi, quousque matutine pulsentur; et tunc incipiam de Domina nostra horas legere, cum moderamine et distincte, et attendere sensum literalem, quem mihi tunc Dominus dederit, et sic vadam ad chorum.

Item, in domo mea proponam esse pacificus verbis et exemplis; non obscure neque austere videre super familiam; neque nimium taciturnus, neque nimium loquax; neque maledicere alicui, neque blasphemare aliquem; non fabulas inutiles dicere neque audire ab aliis, sed dicta sanctorum

---

[1] *Exerceam,* sicut et infra, pro *exercebo.* Similiter: *cogitem.* — Quod non infrequenter apud Devotos occurrit.

[2] Rudolphus Dier de Muden (Analecta Dumbar) notat D. Florentium mane surrexisse hora tertia. Et vid. notam (2) supra p. 10.

aut exempla eorum dicere aut legere; numquam cum cachinno ridere, vel aliquem aspere increpare [1].

Item, in comedendo sic me habebo: quater in septimana carnes comedam, dominicis diebus, feria secunda, tercia, quinta; et feria quarta et sabbato non comedam carnes, quia caro Christi feria quarta vendita fuit et sabbato jacuit in sepulchro mortua. Sexta feria comedam semel. [2] Quando carnes comedo, primo lardum et olera, et secundo addam unum ferculum coctum. Quando non comedam carnes, tunc butirum et potagium, unum par ovorum et unum ferculum. Et semper incipiam comedere, postquam venero de choro, divino officio peracto de mane. Et de vespere quinta hora. Item, ad hoc volo niti ut hoc comedam cum graciarum actione quod mihi proponitur: quia sic ero pacificus mihi et aliis. Item, neminem invitabo, nec invitabor ab aliis, nisi evidens salus anime appareret, vel nisi essent

---

[1] De his cf. *Notabilia verba D. Florentii* (in fine ejus Vitæ, apud Thom. a Kempis): « Caveas de multiloquio... Etiam abstineas a risu et cachinno ». Cf. item *Collecta quædam ex devotis exercitiis D. Luberti,* præs. n. 37 et 39 (apud eumdem, *Vita D. Luberti Berneri*).

[2] Quod abstinentiam et jejunium attinet, conferenda sunt tum aliorum Proposita, tum universim quæ in Vitis Fratrum devotorum apud Thomam a Kempis et de modo vivendi Canonicorum regularium ab illis ortum ducentium in chronicis Windesem. et montis S. Agnetis, etc. conscripta sunt. Ubique reperies morum conformitatem. In propositis M. Gerardi similis ratio abstinentiæ vel et jejunii, sicut hic, affertur: « Die namque feriæ quartæ Judas tradidit Dominum, et feria sexta crucifixus est ». Qui tamen Magister sibi quoad jejunia severior est,

devoti [1] vel pauperes. Item, nemini aliquid mittam qui me diligunt secundum seculum, nec ab eis missa recipiam [2], et sic veniam ad illud Apostoli: Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; et sic veniam ad magnam tranquillitatem. Item, nimias species sumptuosas vitabo, et niti volo ad simplicia et mediocria cibaria, quantum possum. Item, assaturas vitabo [3]. Item, Benedicite stando et Gracias stando legam: in jejuniis, psalmum Miserere mei Deus, alias Laudate Dominum omnes gentes. Item, infra prandium semper legam de sacra Scriptura, vel per alium legi faciam, et hoc non dimittam. Item, nitar ad hoc quod sim contentus semper, et quod sole fauces capiant cibum et mens intenta sit divinis. Item, infra prandium non loquar leviter [4], nisi esset necesse.

Item, post cenam non exibo domum, et non fabulabor, sed post gracias ibo ad studium vel ad meditandum. Item, non exibo civitatem, nisi dicam familie quo volo ire et quando revertar.

Item, non ero nimium sollicitus pro rebus temporalibus, sed omni anno, quando tempus est,

---

[1] Nempe sequaces M. Gerardi Groot et D. Florentii Radewyns.

[2] Juxta consilium Magistri, in conclusis et propositis suis: « Nulli non indigenti aliquid notabiliter tribuas unquam, quia indigentes plurimos invenis.... A nullo temporale accipiam, cum indigentiores reperiantur: quia quod nulli facere volo, ab aliis non postulabo ».

[3] Hoc rursum Fratribus devotis proprium erat, carnes non assatas sed tantum coctas comedere.

[4] *Leviter*, sicut infra: « leviter peccat »; « non leviter intrabo domos » id est, *facile*, non facile loquar, raro loquar. Est flandricismus: niet ligte spreken.

providebo mihi competenter. Item, de omnibus meis temporalibus non habebo me aliter, nisi sicut dispensator Christi [1]; et ego primo assumam competentem victum et vestitum, cum familia; cetera erunt pauperum; quia de omnibus oportet me reddere racionem Christo, qui ea mihi concessit.

Item, vitabo omnes tumultus populi, et nundinas et dedicaciones, quia leviter [2] ibi homo peccat, vel in se vel in aliis. Item, quantum possum, abscindam a me occupaciones et negociaciones, precipue cum secularibus personis. Item, vestimenta mea erunt simplicia, secundum modum devotorum nigra vel grisea, et non secundum seculum facta sed humilia, et eciam de mediocri precio, nec nimis lata; et tot vestimenta, quot in hyeme, in frigore, sufficiunt et non amplius, et illa reputantur una tunica [3].

Item, quando ingredior chorum, tunc dimittam calopedes [4] meos foras, et omnes fantasias et

---

[1] Ita in Conclusis et Propositis M. Gerardi : « In temporalibus, pecuniis, reditibus, et libris, habeas te sicut dispensatorem, et videas ut in hoc fidelis et prudens inveniaris ».

[2] *Leviter,* id est, *facile,* ut supra p. 13, nota (4).

[3] Cf. quod vestes attinet locos supra indicatos nota (2) pag. 12, ex quibus videbis merito dici ab auctore hujus Propositi : « Secundum modum devotorum ».

[4] *Calopedes* seu calopedia, seu calopodia videntur fuisse calcei liguli, aut saltem calcei quorum pars inferior lignea est, superior vero coriacea, *sabots* ou *galoches.* De Florentio dicit Thomas a Kempis : « Ad pedes non habebat pulchra sandalia, sicut alii vicarii in ecclesia ; sed pro illis fecerat sibi parva et bassa calopodia, quæ erant antiquo corio subsuta, cum quibus sine strepitu chorum intravit ». Puta cum præ infirmitate calopodia jam deponere non poterat. Dier de

occupaciones, quibus mens tenetur, quantum possum abiciam; et semper festinabo ut ante inicium horarum flexis genibus dicam Pater noster et Ave Maria; et cogitem [1] quid recolat in hac hora sancta Ecclesia, et ulterius advertam sensum. Item, in inicio horarum surgam, et quando dicitur Gloria patri semper inclinabo. Et ymnum stando cantabo, et in secundo versu in psalmo tunc sedebo usque Gloria patri; et sic semper surgam et inclinabo humiliter versus Sacramentum et Deum meum Jhesum Christum et altare ejus. Stando preter Credo, ymnos, Magnificat, Nunc dimittis, Benedictus dicam. Item, quantum possum, volo niti ut perfecte et integre pronunciem verba, et quod tractim cantemus. Item, post Gloria Patri in tercio psalmo semper stare usque ad incepcionem prime lectionis, et tunc sedere usque Gloria Patri post tercium versum, et sic stare ulterius. Item, in evangelio stabo usque ad omeliam. Item, post quintam antiphonarum de laudibus stabo usque ad finem matutinarum, et post finem flectam genua, et petam veniam a Deo de negligencia, et gracias agam Deo meo pro sua custodia. Item, infra collectas stabo inclinatus, et advertam omnia que leguntur vel cantantur per alios, quia ad hoc teneor; et sic post matutinas exibo chorum, nulli loquendo in via intrabo domum; et si frigus fuerit, calefaciam pedes; sin autem, intrabo cameram,

---

Muden de eodem refert: « Ipse cum sotularibus et non cum teutonice scholoetsen frequentavit chorum ». Sotulares seu sotularia = souliers, vid. *Lexicon ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis*, ed. ap. Migne. Cfr. tamen Sommalius, *Chron. Wind. et montis S. Agnetis*, in fine, *Glossarium*.

[1] *Cogitem* pro *cogitabo*, ut supra.

et, si tempus patitur, modicum quiescam. Item, illud observabo, quod nunquam cum frigidis pedibus dormiam, quia insanum est [1]. Et statim surgam, et preparabo me ad primam. Illud semper observabo quod non leviter [2] sine causa loqui volo ante primas. Et tunc ingrediendo chorum inclinabo semper ante Christum et altare, et in stallo meo flectam genua mea, et cogitem [3] de hora primarum. Et legam Pater noster etc. ut supra.

Item, post primam in capitulo me sic habebo, secundum dictum Augustini : primo, si audiam moveri aliqua bona, consenciam ; si aliqua contra Deum et mala, tunc ista tria servabo : primo, quod premittam in mente unum *Ave Maria* [4], quod neminem offendam, et sic suavi voce dicam, si malum audio : Domini et fratres, illud videtur esse contra Deum et salutem anime nostre et contra caritatem, quare rogo humiliter, ut illud pretermittatur ; et si tunc audiunt, agam gracias Deo ; si non, tunc cavebo ne irascar vel indigner ; et semper paucis et mitibus verbis reprobabo, et nunquam consenciam ; et hoc firmiter observabo de gracia Dei. Et ego habita opportunitate interdum aliqua movebo pro justicia et caritate et disciplina servanda ; et semper rogabo Dominum ut ipse inspiret eis, quia alias nec verba mea nec alicujus prosunt. Et semper observabo me ne

---

[1] Insanum = ongezond, malsain.

[2] Non leviter = non facile, ut supra.

[3] Cogitem pro cogitabo, ut supra.

[4] Pariter in Devoto exercitio fratris Jo. Cacabi : « Et interdum legam unum Ave Maria antequam loquar vel respondeam ».

irascar, et si iratum me sencio, tunc semper silebo, quia quidquid tunc dixero, ex passione est et malum, nec iratum me audiunt.

Post capitulum ad terciam, et tunc tradere oblivioni, si quidquam adversum in capitulo contigerit, et preparare tunc cor ad missarum solemnia [1]. Ubi sciendum quod effectus misse est incorporacio Christi per similitudinem virtutum et unitatem voluntatis, quem effectum homo tantomagis consequitur, quanto purior a viciis ex caritate ad Christum accesserit. Primo, prosternat se homo corpore et mente ante Deum, et recogitet omnes vel saltem majores defectus suos, cum amaritudine cogitans et dicens quociens offenderit Deum suum, quam ingratus sibi [2] fuerit, et quod retribuit sibi [2] mala pro bonis. Demum accedat ad beneficia Dei, que sunt creacio, redempcio, conversio, justificacio et glorificacio; et tunc ad passionem Christi, secundum quod Dominus dederit. Et post hoc discuciat conscienciam suam quare velit accedere et propter quem finem. Et probet seipsum, utrum doleat de hoc quod peccavit, et utrum sit confessus saltem notabilia, et utrum velit satisfacere secundum vires, et utrum velit cavere loca et causas et occasiones peccatorum. Demum probet se an in mente habeat aliquam passionem, scilicet, vel ire vel avaricie vel superbie, de qua licet doleat, tamen adhuc non sit ab ea tranquillificatus et caro adhuc repugnat et

---

[1] Quæ sequuntur plurima exhibent consilia optima ad hoc ut rite offeratur sacrificium, aut eidem quisque intersit sicut oportet.

[2] *Sibi* pro *ei*, ut alias apud scriptores e schola devotorum sæpius.

rebellat spiritum. Item, an habuerit polluciones, vel an sit sompnolentus, vel an doleat caput, vel an sit nimis distractus mente et occupatus; quia qui ista habuerit et si necessitas non incumbit, tunc homo laudabiliter possit, spero, abstinere. Et si istorum neutrum habuerit impedimentorum, tunc cum humili confessione et desiderio ad Christum possit accedere, sicut eger ad medicum, et super omnia abiciat a se omne quod potest ipsum impedire a Christo, scilicet, omnem inordinatam concupiscentiam et affectionem, et omnem iram et indignacionem cum omni malicia. Et facta confessione, dicat sic: Domine Jhesu Christe, cupio ad nupcias venire, sed non sencio in me veram caritatem, vestem nupcialem nec gratum satisfacientem graciam; sed tamen suscepi a te aliqualem displicenciam peccatorum meorum, et sic sola spe tue infinite misericordie cupio accedere, et rogo ne projicias me, sed fac mecum tuam misericordiam, Domine Deus meus. Et sic intentus in facto accedat, et advertat que habet premanibus, vestes et signa, etc. Item, post missam agat gracias et conservet tunc multo fortius se ne leviter [1] loquatur, vel irascatur, vel suspicetur, vel indignetur; et sit cautus circa totam vitam et conversacionem suam, et preparet sic se ad iterum communicandum; et cogitet quomodo sancti angeli conservabant sepulchrum Christi. Item, quando audio missam, tunc a principio stabo usque ad epistolam, et tunc sedebo et advertam, et in evangelio stabo, non appodiando [2] sed ali-

---

[1] *Leviter* = facile, ut supra.

[2] Appodiare = appuyer. — De habitu durante Missa et in

qualiter inclinato capite, et advertam diligenter si possum audire. Item, volo semper aliquid offerre in missa vel spirituale vel materiale. Item, post Sanctus preparare cor meum ad videndum Christum, et genibus flexis, et in elevatione adorabo Deum meum, et post elevationem usque ad Agnus Dei preparabo me semper ac si deberem communicare, et in illa devocione durabo, si possum. In Agnus Dei surgam de genibus, exercitabo me in resurrectione et ascensione Domini, que tunc recoluntur, quia in canone passio recolitur; et sic post sextam et nonam exibo chorum inclinans reverenter, et nemini loquens in ecclesia, quia prohibitum est, ibo ad mensam meam.

Post prandium, modicum quiescam, et post quietem aliquid laborabo manibus usque ad horam vesperarum, et post vesperas et completorium, ibo ad cenam, si tempus est, sin autem studeam [1]. Post cenam ad cameram ibo, ut supra. Sed si fuerit jejunium, tunc hora cene bibam ter [2], et legam aliquid boni, et sic ibo ad cameram. Item, ad conservandum cor meum, ponam in corde meo lectionem psalmorum. Item, repetendo studium. Item, agere gracias Deo pro omnibus suis beneficiis. Item, cogitando defectus meos, et mortem et judicium et infernum et regnum celorum. Item, quod tam diu cecus fui et quod Dominus expectavit me diu, et quod dedit mihi voluntatem emendandi.

---

choro, vid. Conclusa et Proposita M. Gerardi, nec non aliorum, quæ cum hisce convenire reperies.

[1] *Studeam* pro *studebo,* ut supra.

[2] In textu reapse sic habetur *bibam ter*. Quid hoc sibi velit, nescio: neque ullum signum abbreviationis apparet, ut legi liceat v. g. têr = tantisper.

Item, non leviter [1] intrabo domos aliorum. Item, nunquam loquar de gwerris [2] vel rumoribus seculi, nec meipsum laudare vel vituperare, nec loquar de factis mulierum, nec de malis preteritis meis, de quibus possum leviter [1] temptari vel illaqueari econverso [3]. Item, considerabo ut expendam tempus ad laudem Dei, primo annum, diem, horam, momentum.

Item, quando volo aliquem corripere, semper in mente premittam dominicam oracionem [4], et dicam in prima persona pluralis numeri, ut sic dicendo: nos non possumus intrare regnum celorum, nisi taliter fecerimus.

Item, quando video homines seculares, cogitabo quod Deus amat illos, et quod tot bona largitur eis quod possent converti, et quod adhuc possent converti et salvari et mihi in regno preponi, et quod ego non sustinuissem, quando fui secularis, quod me aliquis dure corripuisset seu sprevisset, et quod quidquid possunt per Deum possunt, etc.

Item, vitabo omnes illos qui me nituntur retrahere a bono proposito [5].

Item, in adventu non comedam carnes, nec

---

[1] Non leviter = haud facile, sine urgenti causa, ut sæpius supra. Leviter tentari possum, i. e. facile possum tentari, cito possum tentari.

[2] Gwerris = bellis et tumultibus tum frequentibus.

[3] Tentari et illaqueari *econverso,* id est, nedum bonum sit de malis præteritis loqui, econverso fieri potest ut sit occasio tentationum.

[4] Similia occurrunt apud alios devotos de præmittenda Oratione Dominica vel Ave Maria antequam loquerentur. V. supra p. 16, nota (4).

[5] Nempe a proposito devotionis, seu sequelæ Devotorum Fratrum.

post septuagesimam, vel ad minus post quinquagesimam.

Item, volo semper niti ut habeam reflexos oculos, letum et placidum vultum, et suavia verba et humilia [1].

Item, semper cogitabo quod prius debeam facere quam docere, vel ad minus met niti facere.

Item, vitabo curiositates et pompam seculi in omnibus, in clenodiis [2], in utensilibus, in familia et in omni conversacione mea; et assimilabo me pauperibus et humilibus, quia sic fecit Christus.

Item, omnes meos defectus scribam ad dicticam [3], et sic possum integre confiteri.

Item, post mortem meam omnia bona mea mobilia et immobilia habebunt pauperes Christi et devoti [4] sui. Deo gracias.

Explicit propositum cujusdam devoti canonici. [5]

---

[1] Hæc et sequentia omnino concinunt cum moribus universim Devotorum.

[2] *Clenodia* est verbum flandricum *kleinooden*. Sæpius jam adverterit lector verba necnon locutiones teutonicas, ita ut auctor Propositi maternam linguam prodat.

[3] Vide supra p. 10, nota (2).

[4] Devoti sui, seu ejus nempe Christi, sunt Fratres vitæ communis.

[5] Hæc est conclusio Scriptoris nostri litteris rubris exarata.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Evangelia Mt Mc et Lc, si inter se comparantur, magnas similitudines necnon haud modicas differentias exhibent, de qua affinitate et discrepantia explicanda viget quæstio quæ « Synoptica » vocari solet. Dictas similitudines et dissimilitudines accurate describe.*

R. Quanti sit momenti accurate animadvertere atque rite explicare singularem omnino affinitatem, necnon magnam discrepantiam trium evangeliorum synopticorum, nec tironem fugit. Hujus enim synopticæ quæstionis solutio non tantum ad plures quæstiones historico-criticas de origine ac humana Evangeliorum authentia enucleandas usuvenit; sed præterea ad multorum textuum interpretationem summopere requiritur, ità ut Evangelia synoptica seorsim vix explicari possint, pluresque difficultates attentà triplicis narrationis synopticæ comparatione enodari debeant.

Dictas autem similitudines et dissimilitudines summarie, at, quantum fieri potest, accurate describere juvat. Utræque sub triplici diverso respectu vigent (1).

I. **In factis sermonibusque relatis.** a/ *Similitudo.* Joannes, omisso fere integro ministerio Christi galilæo, ea quæ Dominus in Judæa ac maxime Hierosolymis egit et docuit sibi narranda proposuit. Synoptici verò narrant potius ministerium Christi galilæum, in quo

---

(1) Cf. A. Camerlynck et H. Coppieters, *Synopsis juxta Vulgatam editionem,* Brugis 1908, p. XIV ss., et opera ibi laudata, in specie Fillion, *La Sainte Bible; Introduction générale aux Évangiles,* Paris 1889, p. 27 ss.

evolvendo eadem facta eosdemque sermones generatim referunt. In majore enim parte sua Mt (3, 1-18, 35) et Mc (1, 1-9, 49) prædicationem Joannis Baptistæ ejusque de Messiæ testimonium, Jesu baptisma, jejunium ac tentationem in deserto narrant, ac præsertim de Domini ministerio galilæo agunt, in quo describendo plerumque eadem Christi gesta eosdemque sermones seligunt, cùm tamen ingentem factorum dictorumque copiam omiserint. Lc eadem idemque ministerium, licet brevius (3, 1-9, 50), exponit.

Tertia circiter pars materiæ evangelicæ apud Synopticos, his tribus est communis, circiter 330-370 versiculi (1). Quandoque duo tantum concordes reperiuntur: ità Mt et Mc habent circiter 170-180 versiculos communes, Mt et Lc 230-240, Mc et Lc 50. Quodsi ad facta dictaque solummodo attendatur, integrum fere Mc evangelium (exceptis 68 vv.) in Mt et Lc simul sumptis, contineri dicendum est.

b/ *Dissimilitudo*. Diximus eadem facta eosdemque sermones *generatim* proponi. Etenim pars est singulis (2) evangeliis exclusive propria, et hæc dissimilutido probe notanda venit. Ita Mt habet vv. 330 ex 1070 sibi peculiares, Mc 68 ex 677, Lc verò 541 ex 1158, sc. præcipue in ministerio (1, 50-18, 14) quod Christus in itinere a Galilæa ad Hierosolymam instituit. Hoc enim ministerium Lc solus narrat, quamvis rursus omnis parallelismus quoad facta dictaque Christi cum Mt et Mc non sit negandus.

II. **In ordine quo eventus sermonesque referuntur.**

a/ *Similitudo*. Interdum idem ordo pericoparum apud

---

(1) Si cum Reuss *Histoire évangelique*, Paris 1876, p. 201, materia evangelica in 124 sectiones seu pericopas dispertiatur, 47 pericopæ tribus Synopticis communes deprehenduntur. Cf. etiam Verdunoy, *L'Evangile*, Paris 1907, p. 9 s.

(2) Haud facile est ad amussim indicare loca quæ singuli Evangelistæ propria habent, cùm non semper constet utrum idem vel simile dictum factumve referatur.

omnes tres habetur:ità v. g. in præparatione vitæ Christi publicæ, in ministerii galilæi exordio (*Mt* 3, 1 ss.; *Mc* 1, 1 ss.; *Lc* 3, 1 ss.), et in ultimis vitæ dominicæ diebus narrandis (*Mt* 21, 1 ss.; *Mc* 11, 1 ss.; *Lc* 19, 28 ss.) (1). Plerumque autem duo soli coincidunt, (*Mt* 15, 1-39; *Mc* 7, 1-8, 10) (2).

Imò varia adjuncta *ejusdem eventûs* eodem ordine narrantur, uti videre est e. g. in pericopa de sanatione socri Petri (*Mt* 8, 14-15; *Mc* 1, 29-31; *Lc* 4, 38-39), de jejunio (*Mt* 9, 14-17; *Mc* 2, 18-22; *Lc* 5, 33-39) etc.

b/ At verò in ipso narrationis ordine haud parvæ apparent *discrepantiæ* ut multis in locis Synopseos patet (3). Sufficiat indicare eam sectionem vitæ publicæ Christi, ubi Lc a c. 9, 51 usque ad c. 18, facta et sermones Jesu plura exponit quasi contigerint in itinere a Galilæa ad Judæam. Jam verò, e factis et dictis Jesu a Lc in hoc itinere positis, plura a Mt, pauca a Mc jam supra in narratione ministerii in Galilæa relata sunt, alia denique a Mt postea, ubi ministerium Jesu exponitur judæum, narrantur (4).

At sedulo notandum est, non æque frequenter per integrum Evangelii tramitem, ordinis narrationum similitudines et discrepantias occurrere: hæ enim determinatis quibusdam locis restringuntur, ita ut plerumque discrepantiæ plures conjunctim adsint, alibi similitudines plures occurrant. Ita, ut duo tantum exempla afferantur, Mt a c. 14 ad finem fere non amplius quoad ordinem differt a Marco; ante c. 14 pro expositione ministerii Christi in Galilæa sibi proprium ordinem elegit. Lc in expositione ministerii Christi in Galilæa non ita a Mc differt et in expositione ministerii Christi in Judæa satis

---

(1) Cf. *Synopsis*, p. 8 ss.; 50 ss.; 72 ss.; 116 ss.

(2) *Ibid.*, p. 66 ss.

(3) Cf. præter *Synopses* proprie dictas, Cornely, *Introductio Specialis in U. T. libros sacros*, t. 3 (Parisiis 1886), p. 171 ss.

(4) Cf. in *Synopsi* laudata, p. 81 ss.

cum Mc et Mt congruit, sed inter utramque sectionem longiorem habet sibi propriam (9, 51-18, 14).

Advertendum etiam est Matthæum, ubi a Mc et Lc ordine discedit, et Lucam ubi a Mc, vel a Mc et Mt simul abit, narrationes et sermones referre a Mc absentes, et plerumque uni Evangelio proprias, aut Mt et Lc tantum communes.

Igitur « narrationum evangelicarum ordinis non tanta est quanta plerisque videtur diversitas; maxima sane si aut hos scriptores eadem complexione omnes aut Lucam cum Matthæo composueris, exigua si Marcum cum utroque seorsim » (1).

III. **In modo ipso narrandi seu verbis adhibitis.**

a/ *Similitudo.* Etenim easdem res iisdem aliquando verbis aut valde similibus referunt iisque etiam rarioribus, quæ aliis in locis nusquam occurrunt. Ita *Mt* 8, 3-4; *Mc* 1, 42-44; *Lc* 5, 13-14 (2); *Mt* 9, 5-6; *Mc* 2, 9-10; *Lc* 5, 23-24 (3). In hoc ultimo loco præter irregularem formam doricam ἀφέωνται, quam in tribus evangeliis longe major codicum numerus tuetur (4), præsertim attendas ad incisum « dixit paralytico », quod omnes tres eodem prorsus modo eodemque loco (licet non iisdem omnino verbis) inserunt. Ita adhuc apud *Mt* 19, 23; *Mc* 10, 23; *Lc* 18, 24 occurrit adverbium δυσκόλως quod alibi nusquam in N. T. reperitur. Pariter, quandoque in citando V. T., textum hebræum vel etiam septuagintaviralem tres Synoptici *simul* derelinquunt, ut alium dicendi modum eumque *identicum* usurpent: ità *Mt* 3, 3; *Mc* 1, 3; *Lc* 3, 4. Sæpius Mt et Mc in verbis consonant, ubi differt Lc, quamvis Lc quandoque cum Mc contra Mt, rarò cum Mt contra Mc conspiret.

---

(1) Ita jam LACHMANN in præfatione editionis *N. T. græce et latine,* 1850. Adeoque juxta hanc animadversionem intelligendum est exemplum quod VERDUNOY, *o. c.,* p. 11 post WETZEL (*Die Synoptischen Evangelien,* 1863) allegat.

(2) Cf. A. CAMERLYNCK et H. COPPIETERS, *o. c.,* p. 17.

(3) *Ibid.* p. 18.

(4) Codex Sin. et B habent ἀφίενται.

b/ *Differentia*. Constat tamen absolutam locutionum identitatem nusquam inveniri. Etsi enim integræ fere phrases ad verbum consonare videantur, subitò una alterave voce mutata, dissentire incipiunt : e. g. *Mt* 11, 25-27 et *Lc* 10, 21-22 (1). Imò illis in rebus, in quibus plenam consonantiam expectas, interdum majorem invenies discrepantiam : ità in relatione institutionis ss. Eucharistiæ nec in ordine nec in verbis consentiunt (*Mt* 26, 26-28 ; *Mc* 14, 22-24 ; *Lc* 22, 19-20) (2) ; in titulo crucis referendo omnes tres variant (*Mt* 27, 37 ; *Mc* 15, 26 ; *Lc* 23, 38).

Inde oritur quæstio undenam sive in argumento tractando, sive in ordine observato, sive in dictionis locutionisque modo exorta sit Synopticorum similitudo ac dissimilitudo, *concordia discors*, ut aliquando dicta est ; eaque est famosa sic dicta *Quæstio Synoptica*. Præcipuæ sententiæ propositæ ad hanc quæstionem solvendam in Resp. mensis Februarii breviter describentur.

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone secundum mentem S. Thomæ distinctionem inter Dei voluntatem* beneplaciti *et voluntatem* signi.

R. **Prænotandum.** Licet Dei voluntas in se sit simplicissima et realiter idem ac ipsum esse divinum, tamen nos propter limitatum cognoscendi modum egemus in Deo volente distinguere varios actus ratione diversos : hi distinguuntur secundum varia objecta ad quæ terminatur divina volitio.

Sed distinctio de qua in præsenti responso agemus non formaliter ponit in Deo varios actus ratione distinctos, sed est distinctio vocis *voluntas* in diversas suas

(1) Cf. A. Camerlynck et H. Coppieters, *o. c.*, p. 39 et 84.
(2) Uti ait Cornely, *o. c.*, p. 174 ss.

significationes (1): ideo hæc distinctio non est ejusdem rationis ac distinctio divinæ voluntatis in *antecedentem* ac *consequentem:* de hac ultima distinctione agemus in alio responso.

Distinctio exponitur. 1. Voluntas *beneplaciti* est *volitio* quæ Deo inest, est actus quo Deus aliquid vult. Ergo voluntas beneplaciti est voluntas *proprie* dicta, sicut scientia proprie dicitur de Deo.

Voluntas *signi* est aliquid quod apud *nos* solet esse *signum nostræ* volitionis et quod *metaphorice*, per metonymiam, in Deo dicitur *voluntas*. V. gr. quando homines jubent aliquid, communiter vere *volunt* ut hoc fiat ab illis quibus hoc imponitur, ideoque jussio seu præceptum est signum nostræ volitionis; porro *metaphorice* dicitur id quod Deus *præcipit* esse objectum ejus *volitionis:* quia Deus jubet omnes homines Ipsum colere, ideo dicitur: Deus *vult* ut omnes homines Ipsum colant, *voluntas* (volitio) Dei est ut omnes colant Ipsum. Hæc autem non est volitio proprie dicta: nam volitioni proprie dictæ, quæ in Deo est, nemo resistere valet: si enim Deus proprie vellet seu decerneret ut quod præcipit ab hominibus fieret, hoc infallibiliter eveniret. Nunc vero licet Deus multa jubeat ac prohibeat, tamen non pauci haud faciunt quod præcipitur et faciunt quod prohibetur: hoc permittit Deus.

Audiamus S. Thomam:

« Deus potest dici velle aliquid dupliciter vel proprie et sic dicitur velle illud cujus voluntas vere in eo est, et quod sibi complacet: et hæc est voluntas *beneplaciti*. Dicitur etiam aliquid velle metaphorice eo quod ad modum volentis se habet, in quantum præcipit, vel consulit vel aliquid hujusmodi facit. Unde ea in quibus attenditur similitudo istius rei ad voluntatem Dei, voluntates ejus metaphorice dicuntur, et quia tales sunt effectus dicuntur signa » (2).

---

(1) « Distinctio voluntatis divinæ in voluntatem beneplaciti et signi, non est distinctio rei, sed vocis in suas significationes ». CAJETANUS, in I, Q. XIX, a. 11.

(2) In I, Dist. XLV, a. 4; cf. Dist. XLVII, a. 2.

« In Deo quædam dicuntur proprie et quædam secundum metaphoram... Cum autem aliquæ passiones humanæ in divinam prædicationem metaphorice assumuntur, hoc fit secundum similitudinem effectus. Unde *illud* quod est *signum talis passionis in nobis, in Deo nomine illius passionis metaphorice significatur*. Sicut apud nos irati punire consueverunt; unde ipsa punitio est signum iræ. Et propter hoc ipsa punitio nomine iræ significatur, cum Deo ira attribuitur. *Similiter id* quod solet esse *in nobis signum voluntatis*, quandoque *metaphorice in Deo voluntas* dicitur: sicut cum aliquis præcipit aliquid, signum est quod velit illud fieri. Unde præceptum divinum quandoque metaphorice voluntas Dei dicitur secundum illud: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (1)... Et ideo in Deo distinguitur voluntas *proprie* et *metaphorice* dicta: Voluntas enim proprie dicta vocatur *voluntas beneplaciti;* voluntas autem metaphorice dicta est *voluntas signi*, eo quod ipsum signum voluntatis (sc. nostræ) voluntas dicitur » (sc. de Deo) (2).

Ergo id quod apud **nos** est **signum volitionis** proprie dictæ, idipsum dicitur **voluntas** de Deo, utique per metaphoram; ut autem hæc significatio innotescat, vocatur voluntas **signi**. « Signa voluntatis dicuntur voluntates divinæ, *non quia sunt signa quod* **Deus** *velit* (3); sed quia ea quæ in **nobis** solent esse signa

(1) MATTH. VI, 10.

(2) I, Q. XIV, a. 11. Cf. KLEUTGEN, *De ipso Deo*, Ratisbonæ, 1881, n. 616.

(3) Ex his verbis patet, secundum S. Thomæ mentem, voluntatem beneplaciti et voluntatem signi non ita distingui ac si id quod dicitur voluntas signi esset signum directum ipsius voluntatis beneplaciti; et sane permissio peccati non est signum quod Deus vere velit peccatum. Quapropter non recte exprimunt S. Thomæ sententiam illi qui dicunt: « voluntatem signi dici per metonymiam signum quo Deus voluntatem suam manifestat » (JUNGMANN, *De Deo uno et trino*, P. I, n. 240); vel « prima est divisio in voluntatem beneplaciti et signi, i. e. in voluntatem, ut in Deo existit, et in voluntatem ut per signa (verba) ad extra manifestatur ». PESCH, *Tractatus dogmatici*, T. II, Friburgi Br., 1895, n. 317. Sed id quod dicitur voluntas signi nos inducit ad cognoscendum *aliquid* quod est objectum voluntatis beneplaciti, ut infra explicabimus, sub 3, c).

volendi, in Deo divinæ *voluntates* dicuntur. Sicut punitio non est signum quod *in Deo* sit *ira;* sed punitio eo ipso quod *in nobis* est *signum* iræ in Deo dicitur *ira* » (1).

2. Signa quibus consuevimus declarare nos aliquid velle sunt quinque; scilicet, *operatio,* quando aliquis per seipsum directe facit id quod vult; *permissio*, quando aliquis non impedit alterius operationem; *præceptum* et *prohibitio*, quando aliquis vult, obligationem inducendo, aliquid obtinere per alium, vel ne fiat impedire; *consilium*, quando aliquis vult aliquid obtinere suadendo vel exhortando. Hæc sunt quinque quæ in Deo dicuntur divinæ voluntates (2).

3. *Consectaria quædam:* a/ « Voluntas signi non est in Deo, sed a Deo; est enim aliquis Dei effectus talis, qualis solet apud nos voluntas hominis designari » (3).

b/ Voluntas signi non distinguitur contra voluntatem beneplaciti per hoc quod est *impleri* et *non impleri*, ac si voluntas beneplaciti diceretur ea quæ semper *impletur*, voluntas vero signi, quæ *nunquam* impletur.

Voluntas signi quandoque impletur, quandoque non: v. gr. Dei *præcepta, prohibitiones*, *consilia* quandoque adimplentur, quandoque non (4). Etiam quandoque *præcipit* Deus aliquid quin ullo modo *velit* rem præceptam fieri, sicut apparet in præcepto Abrahæ imposito de immolando filio. *Numquam vult* Deus id quod *permittit. Operatio* e contrario est realiter eadem ac voluntas beneplaciti.

---

(1) S. Thomas, I, Q. XIX, a. 11, ad 2. Cf. *De Veritate,* l. c.

(2) Cf. S. Thomas, I, Q. XIX, a. 12; *De Veritate,* l. c.

(3) S. Thomas, *De Veritate,* l. c. ad 3. — Hic notemus objectum voluntatis signi esse *realiter* aliquem *effectum* Dei et ille effectus, quia, natura sua, est id quod apud nos est signum voluntatis nostræ, dicitur de Deo, methaphorice, voluntas: v. gr. præceptum Dei manifestatum, est *effectus* Dei; jamvero talis effectus, sc. præcipere aliquid, est, inter homines signum quod homo præcipiens proprie *vult* ut fiant actus quos imponit; ideo præceptum dicitur de Deo *voluntas* Ejus, licet Deus non semper proprie *velit* ut fiant illi actus quos præcipit, quum *permittat* peccatum.

(4) Cf. Id. *o. c., l. c.*, ad 6.

c/ Licet Deus non semper velit *id* fieri quod præcipit, aut prohibet aut consiliatur, licet Deus nunquam velit *id* quod permittit, tamen circa illa *vult aliquid*. « Cum enim Deus præcipit aut prohibet, *vult* nos *obligari* et hac sua voluntate efficit ut ordinatio rationis seu sapientiæ suæ vera sit lex et ordinis moralis fundamentum inconcussum. Cùm consulit vult perfectiora, quæ non præcipit, ostendere, atque ad ea sectanda provocare; et copia nobis fit ad majorem cum divina sapientia similitudinem et conjunctionem contendendi. Cum permittit, vult, non sane ut ea, quæ improbat et vetat, fiant, sed tamen, ut ab iis impetrandis non impediamur nec concursu ejus, sine quo operari nequimus, careamus » (1). — Unde si consideratur *objectum* voluntatis beneplaciti et objectum voluntatis signi, quædam est voluntas signi quæ nunquam incidit in idem objectum cum voluntate beneplaciti, scilicet *permissio;* quædam autem voluntas signi semper incidit in idem cum voluntate beneplaciti, scilicet *operatio;* aliæ vero voluntates signi quandoque in idem incidunt, quandoque non, scilicet *præceptum, prohibitio*, *permissio* (2).

d/ « Atque hinc tandem intelliges, quomodo habeamus unde conformentur voluntates nostræ divino beneplacito : aut volendo illud ipsum quod Deus vult, aut certe volendo id quod ipse vult nos velle. Quisquis enim assumit, ut normam, divinas prohibitiones, divinaque præcepta vel consilia, certus esse potest, se id velle ac nolle quod ut velit vel nolit, Deo est placitum; et hæc est conformitas *in ratione regulæ*. Nunc autem quod attinet ad conformitatem *circa ipsum objectum volitum*, oportet etiam nos acquiescere ubicumque divini placiti objectum nobis innotescit; acquiescere, inquam, ea saltem voluntate quæ dicitur *ut ratio*, quidquid repugnet quandoque voluntas *ut natura,* juxta

(1) Kleutgen, *o. c., l. c.* Cf. S. Thomas, *o. c.,* l. c., ad 2.
(2) Cf. S. Thomas, *o. c., l. c.,* in fine articuli; Billot, *o. c., l. c.*

exemplum a Domino Jesu Christo traditum, cum dixit: *Transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (Matth. XXVI, 39) » (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Explica et proba assertum: Bonitas moralis intendi debet ut contrahatur, sufficit verò quod malitia advertatur.*

R. **Explicatur.** Bonitas vel malitia moralis hic intelligitur conformitas vel difformitas cum regula moralitatis. Hæc autem regula, ut notum est, est vel objectiva (materialis) np. lex, vel subjectiva (formalis) np. conscientia, et inde habetur bonitas et malitia vel objectiva vel subjectiva. Porro quæritur qua ratione bonitas aut malitia objectiva fiat subjectiva, id est fiat ipsius agentis, ita ut ipsi imputari possit ad laudem et meritum vel ad vituperium et demeritum (2).

1° *Ut bonitas contrahatur debet intendi* (3) *ab agente.* Sane non sufficit, ut actus sit moraliter bonus, quod bonus sit objective, ex objecto scilicet et circumstantiis, sed requiritur quod bonitas cognoscatur: nihil enim volitum nisi cognitum. At non sufficit cognitio intellectus: sic jejunans ex avaritia non assequitur laudem abstinentiæ, quamvis noverit moraliter bonum esse jejunium. Requiritur volitio bonitatis, per actum scilicet

---

(1) Billot, *o. c.*, l. c. L. S. François de Sales, *Traité de l'amour de Dieu*, L. VIII et L. IX, præsertim L. VIII, c. 3 et L. IX, c. 6.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 443 ss. — Nota actum aliquem nobis attribui seu fieri aliquo saltem modo nostrum, quasi ex parte subjecti, quia *libere* posuimus illum; sed ita nondum fit actus noster, quasi simul ex parte objecti, sub respectu morali, seu *quatenus bonus aut malus*. Ideo dicitur in textu: ita ut ipsi imputari possit *ad laudem* etc.

(3) In hac formula intentio idem sonat ac volitio. Juxta S. Thomam (1-2, q. 12, a. 1, ad 4) intentio proprio sensu « respicit finem. Non enim solum ex hoc intendere dicimur sanitatem, quia volumus eam, sed quia volumus ad eam per aliquid pervenire ».

voluntatis: hæc videlicet bono proposito per intellectum alliciatur, moveatur necesse est. Inde tritum axioma: *Bonum opus intentio facit.* Apposite Angelicus (1): « Ad hoc quod voluntas sit bona, requiritur quod sit boni sub ratione boni, id est, quod *velit bonum et propter bonum* ».

Adverte tamen non requiri intentionem *reflexam* seu in actu signato, quasi necesse sit agens prius reflectat supra bonitatem sui actus et dicat se velle hunc actum utpote honestum. Sufficit intendere bonitatem *exercite*, id est quod apprehendat actionem ut honestam et ut talem appetat. Neque necessaria est apprehensio *explicita* actionis, secundum propriam et specificam suam bonitatem, sed sufficit confusa et implicita. Ita rudes bene agunt, quamvis actus suos apprehendant sub confuso tantum conceptu bonitatis, puta ut actus conformes rationi, laudabiles, decentes christianum, acceptos Deo (2).

2° *Ut malitia contrahatur sufficit quod advertatur.* « Ut actus contrahat objecti [vel circumstantiarum] malitiam, non requiritur ut hæc, etiam confuse aut exercite ametur, sed sufficit quod sit cognita et interpretative volita eo ipso, quo, ea non obstante, objectum est efficaciter volitum, quamvis illam secundum se voluntas aversetur » (3).

Probatur.

« Ratio primæ partis assertionis est, quia bonum est prosequendum et in se amandum... Ratio secundæ partis assertionis est, quia malum non solum non debet amari, sed etiam præcaveri debet » (4).

---

(1) S. Th. 1-2, q. 19, a. 7, ad 3m.

(2) Cf. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2a, n. 351; ed. 3a, n. 357; De Bock, *Tractatus fundamentales theologiæ moralis*, ed. altera, Gandavi, Huyshauwer-Scheerder, 1902, n. 68; Platel, *Synopsis universi cursus theologici*, P. II, n. 89, cujus verba invenies apud Bouquillon, *l. c.* in nota.

(3) Platel, *l. cit.*

(4) Bouquillon, *l. cit.*

Probatio nititur in axiomate absolute primo in lege naturæ: *Bonum est faciendum et malum vitandum* (1). Inde manifesta est ratio secundæ partis: semper et pro semper urget obligatio vitandi malum morale (2). Sed non vitatur malum ab eo qui ponit actionem, cui novit malum esse adnexum.

Ut clarius appareat ratio primæ partis, hæc consideranda veniunt: Objectum voluntatis proprium est bonum. Bonum autem est vel honestum vel utile vel delectabile. Sed utile, ex ipsa notione sui, refertur ad aliud, np. vel honestum vel delectabile; sed intentio voluntatis nequit terminari, saltem exclusive, ad bonum delectabile: nam hoc non est conforme rectæ rationi et ordini constituto a Deo, cum delectabile sit ordinatum a Deo, auctore naturæ, ad ulteriorem finem, np. ad bonum honestum (3). Restat igitur quod voluntas, ut sit bona, numquam possit excludere bonum honestum seu aliquo modo debeat velle bonitatem moralem. Quousque possit simul intendere utilitatem atque delectationem, hujus loci non est determinare (4).

H. Mahieu.

IV

Q. *Expone et dijudica terminologiam seu modum loquendi a fidelibus, puta a pœnitentibus, in materia blasphemiæ adhibitum.*

R. Quæ dicemus plane confirmabunt quod t. XIII, p. 573 ss., exposuimus de *perversa omnino notione* quam habent nostrates tum blasphemiæ tum peccatorum con-

(1) Hoc principium se habet in ratione practica, sicut principium contradictionis in ratione speculativa. Cf. Schiffini, *Philosophia moralis*, vol. I (Augusti Taurinorum, 1891), n. 128.

(2) Recole distinctionem inter præceptum affirmativum et negativum.

(3) Cf. Revmus Waffelaert, *De Temperantia*, n. 12 ss.

(4) Cf. Bouquillon, *op. cit.*, n. 355 (n. 361).

nexorum. — Variis nominibus vocant formulas illas quibus aliquatenus convenire æstimant indolem blasphemiæ. Ita:

1°/ Tum gallice tum flandrice sæpissime eas vocant juramenta: jurements, jurons; eeden; et qui illas profert dicunt jurare: jurer, zweeren, eeden leggen vel erdoor trekken imo eenen eed zweeren; dum ad *juramentum proprie dictum* significandum, adhibent has similesve expressiones: zijnen eed doen, afleggen, met eed bevestigen, op zijne ziel zweeren; prêter serment, faire serment, etc.

Circa quem modum loquendi *notabis:*

a/ Eum minime probare populum *hodie* apprehendere in illis formulis *sensum proprie juratorium*, de quo theologi loquuntur, non autem blasphematorium; ex usu enim, nostrates saltem, mixtim adhibent has voces cum aliis: vloeken, Godlasteren, blasphémer, et similes, ad significandum illud peccatum grave contra quod audiunt concionatores continuo et magno impetu invehere, et quod tanquam peccatum grave Deo contumeliosum solent confiteri. Unde jam non sufficienter distinguunt varias has voces.

b/ Est tamen *factum* mirum, etsi universale; et eo magis mirum quod tum in catechismo suo, tum in instructionibus semper ipsis fuit indicata radicalis distinctio juramentum inter et blasphemiam; imo omnimodis modis, e suggestu, in confessionali, fuerunt edocti se *blasphemare*, Godlasteren, vloeken, dum hæc proferunt. — Hujus facti alia non videtur exstare explicatio quam *usus primitivus dictarum formularum:* Fuerint olim tanquam vera *juramenta* adhibita et nota, sive ut juramenta contestatoria (quibus nim. Deus simpliciter invocatur ut testis, puta: au Nom de Dieu), vel exsecratoria, (quibus Deus speciatim invocatur ut vindex veritatis, puta: God v. d. m., als het geen waar is), vel etiam ut adjurationes (puta: au nom de Dieu, je vous supplie; in Gods namen,...). Semel autem in usum

deductæ, cæperunt adhiberi *absolute*, ubi nihil erat attestandum, per modum exclamationis, ad increpandos homines vel bestias, ad ostendendam iram, admirationem, etc. — Nonne etiam hodie formulæ de se juratoriæ, et ut tales adhuc aliquatenus notæ, puta: Per animam meam, anima mea! damnatio mea!, tamen frequenter adhibentur sine ulla intentione jurandi, sed unice per modum exclamationis?

c/ Quod de facto fuerit hic usus primitivus, quoad nonnullas expressiones certissime constat, puta: Je renie Dieu; Par la mort de Dieu, Par la croix de Dieu, Par le sang de Dieu, Par le nom de Dieu, quæ ultima adhuc flandrice eodem sensu subsistit: in Gods namen! Talis etiam fuerit initio Sacré n. d. D., addito np. voce *Sacré* causa majoris reverentiæ in Deum et solemnitatis juramenti.

2°/ Flandrice sæpe dicunt ad blasphemiam indicandam (1): **Vloeken.** Vloeken autem proprie est imprecari malum (2), et inde juramentum proferre cum exsecratione, een eed met verwensching. Sic proprie vloeken esset: Deus damnet me! D. damnet te! Diabolus te rapiat! Deus sit damnatus!, etc., vel Deus damnet me si hoc non est verum. — Formulas sic juratorias cum exsecratione, cœperint rursus *absolute* usurpare, per modum exclamationis, servato simul *vocabulo* vloeken (3)

---

(1) PP. Aertnys et P. Cœlestinus, in opere: *De imprecatione: D. d. me*, pp. 27 et 33 testantur *hollandicos* apprehendere formulam ut imprecationem, et *non ut blasphemiam;* et arguunt ex sensu primario ipsius nominis: *vloek*. quem ex dictionariis determinant. Tale argumentum quoad *Flandros* nostros nil probaret. Sensum enim illum vocis *vloek* non apprehendunt, nisi in quibusdam expressionibus: zijnen vloek werpen op iemand, den vloek van God over hunne hoofden doen nederdalen, etc.

(2) Potius vervloeken, verwenschen.

(3) Testibus paucis collatoribus, in variis locis distinguunt nostrates: *zweeren*, quod est formula gallica *S. n. d. D.*, et *vloeken*, quod est formula flandrica *G. v. d.* Hæc distinctio miro modo intelligeretur juxta dicta, quum præcise formula gallica fuerit initio juramentum simplex contestatorium: Par le S. n. d. D., flandrica autem juramentum cum exsecratione: G. v. d. m., als 't geen waar is. — Aliis tamen locis omnino

quod in usu erat, eoque brevi extenso ad alias formulas quas sicut illas formulas exsecratorias jam ut peccata blasphemiæ apprehendebant (1).

3°/ Ne tamen putemus hæc varia vocabula semper apud nostrates designare peccatum genuinum blasphemiæ, sensu theologorum. Multi enim distinguunt **parva** et **magna** vloeken vel eeden. Quæ distinctio practice multum affinis videtur distinctioni quam theologi tradunt inter blasphemiam et vanam usurpationem nominis Dei (2). — Inutile erit notasse quam incorrecta sit talis terminologia.

4°/ Vocabulum **blasphemie**, invito textu catechismi, raro usurpant Flandri; frequentius Galli. Vocabulum **Godslastering** (3), magis usurpant nostri, idque ad designandum potissimum *formulam* quam habent ut graviter Deo contumeliosam.

5°/ Tandem, **ipsissimas horrendas blasphemias** quas pacato animo legunt in foliis et diariis, quas audiunt in pravis cœtibus, quas imo ut non ita graviter malas inter se conferunt, quibus np. Deus dicitur injustus, non ita bonus, partialis in distribuendis divitiis, quibus irriden-

---

permixtim hæc duo adhibent; item aliis locis potius reservant vocem vloeken *magnis* blasphemiis, dum voce zweeren *parvas* designant. Ast verum est quoque in his ulterioribus modis loquendi vix aliquid reperiri constantis; et pœnitentes aliter et aliter sæpe responsuros prout aliter et aliter fuerint interrogati.

(1) Ita in specie formula nostra G. v. d. fuerit primitus juramentum cum exsecratione; et, optimo jure proinde, nomine *vloek* designata. Semel autem absolute adhibita, sensus ejus mera exsecratio facta est: Deus damnet me! Sic autem frequentius nimis adhibita, incæpta fuerit impugnari a concionatoribus, infeliciter nimia exaggeratione, imo sensu falsissimo ipsi tributo, contra leges linguæ et originis: Deus sit damnatus! Semel autem hac formula sic ab omnibus nostratibus ut gravi peccato contra Deum, seu ut blasphemia, apprehensa, vigebat æstimatio communis, tot conatibus continuis eradicanda hodie.

(2) Et sic explicatur factum illud varios pœnitentes, sufficienter tamen edoctos, pergere se accusantes de prolato G. v. d. tamquam « blasphemia », imo tanquam « magna illa blasphemia quæ nunc est abolita ».

(3) Hoc nomine non raro designant formulam G. v. d., sicut alii dicunt interdum: God vergramd.

tur Deus vel Sancta, quibus provocatur Deus et ut impotens exhibetur, illa ergo « quibus Deo aut Sanctis aliquid tribuitur quod est contra Eorum honorem, vel negatur quod Ipsis convenit, vel de Ipsis irrisorie fit locutio », (Catech., lect. 23, q. 2)... nullo vocabulo quod ad blasphemias designandas adhibent, designant! Ad summum, audires interdum : een Godslastering, vel God gelasterd, vel blasphème. — Has blasphemias ubi earum malitiam apprehenderent, et in examine conscientiæ suæ de iis cogitarent (non enim sunt solliciti nisi de « formulis »), dicerent: insurgere contra Deum, aliquid dicere contra fidem, contra Religionem, contra Deum; vel ipsam rem enuntiando: dicere Deum esse injustum, etc.

Nota. Omittimus varias expressiones, quas regiones variæ varias sibi proprias habent. Forma harum frequentior et obvia, ea est qua ex *sono* ipso quem præsefert formula sic dicta blasphematoria, *verbum* efficiunt, ut sakkeren, Gv.doemen, etc. (1).

Ex dictis sequitur **practice**, sicut in omni materia, ita potiori jure in hac materia, caute intelligendam esse terminologiam, sæpe particularem, pœnitentium; — ubi agitur de dijudicanda culpa subjectiva a pœnitentibus admissa, non posse pro regula generali assumi nostrates ea omnia quæ *vocant* vloeken vel zweeren, vel imo godlasteren, ut *gravia* peccata apprehendere; — vix sperari posse rudes nostros fideles ab inveterato sibi modo loquendi esse abstenturos, quantumvis sit incorrectus, sed præcipuum ipsis inculcandum hoc esse: blasphemiam idem non esse ac harde en groeve woorden, ubi nomen Dei occurrit, sed hæc passim esse

---

(1) Hinc qui confitetur sese: ge — G. v. d., vel imo G. v. doemd, non necessario dicendus erit putasse sensum esse: Deus sit damnatus. Patet tamen ipsum confessarium in casu inquirere debere, et errorem si adest corrigere, — nec ipsum talem modum loquendi posse assumere. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 579.

vanas usurpationes nominis Dei, venialiter malas, nisi proferantur ex odio contra Deum, quod valde frequenter fieri non est præsumendum (1). — Res proinde omnium præcipua est ut solida, nitida et clara instructio tradatur circa malitiam et essentiam blasphemiæ, tum adultis e suggestu, tum pueris in catechesi (2), qua *uno verbo* reducantur ad *simplicem et claram notionem catechismi* (3). Utinam denique tandem *omnes* sacerdotes intelligant gravitatem et necessitatem urgentem muneris *docendi*, toties et tam instanter ab Illustrissimo Episcopo inculcatam!

---

(1) Dices: Certissime hoc est præsumendum frequenter fieri! Nonne enim ante paucos annos tot nostrates continuo adhibebant formulam G. v. d. quam ut Deo contumeliosam apprehendebant, imo quam plerique putabant directe significare illud horrendum: Deus sit maledictus! Num aliter quam ex odio Dei talia evibrare poterant? — Sed respondendum optime esse distinguendum inter illos homines qui vix non omni sensui religioso valedixerant ab illis nostris *rudibus sane et rudissimis*, facilibus ad impetum iræ et passionum, sed tamen non ita profunde *impiis*. Priores sane sæpe *ex odio* contra Deum processisse et adhuc procedere, neminem latet; posteriores vero non ita: aliud enim est omnino *odium ferre contra Deum*, quem adhuc colunt, orant, cui serviunt debita sua religiosa implendo, et ex odio illo Deo maledicere; aliud in vario impetu passionum et iræ, vel ex consuetudine adhibere formulam usu inveteratam, acute sonantem, aptam ad sensus suos exprimendos, *etsi fuerint* edocti eam esse blasphemiam et maledictionem in Deum.

(2) Fidenter appellamus sacerdotes scholarum curæ præstitutos, ut magistri et Sorores nostræ doceant, quod docere *debent*. Non erit minoris certe utilitatis debitam et rectam instructionem hos... *docentes* docere.

(3) Facile evolvitur hæc definitio ut complectatur blasphemiam quæ est provocativa seu imperativa Deo, eamque quæ est exsecratoria, seu malum optans Deo aut Sanctis.

V

Q. *Solvatur sequens difficultas*:

« *Non est cur confessarius pœnitentem suum doceat formulam G. v. d. non esse blasphematoriam. Etenim semper manet dira imprecatio damnationis in seipsum, quæ et ipsa peccatum mortale constituit. Nec valet hujus difficultatis solutio petita ex distinctione: Hæc* imprecatio *ubi* serio animo *fit, graviter mala est; secus autem venialiter tantum. Quæritur enim cur eadem distinctio etiam* blasphemiæ *applicari non possit* ».

R. **Difficultas** in 1ª parte proposita, supponit formulam G. v. d. jam non esse habendam qua blasphemiam, sed unice qua imprecationem damnationis in seipsum. Et negat confessario incumbere obligationem dedocendi sensum blasphemum, hac ratione: manet tamen semper dira imprecatio damnationis in seipsum, quæ et ipsa mortale peccatum constituit. Quare confessarius opus inutile ponit, ad quod proinde præstandum obligari non potest. — Cui difficultati respondetur:

1°/ Dato, non concesso, G. v. d. esse imprecationem in seipsum, et qua talem peccatum grave, negatur tamen consequentia. Nonne enim blasphemia in Deum *multo gravius* adhuc peccatum constituit? Atqui liquet errorem quo peccata plurima, etiam ex se gravia, multum aggravantur esse sedulo corrigendum (1).

2° Dixi: dato, non concesso, G. v. d. esse imprecationem in seipsum. Notari enim potest nonnullos interpretari formulam ac si diceret: Deus damnet, non indicato *objecto* vindictæ divinæ. Qui quidem sensus si grammaticaliter sustineri potest, blasphemiam aufert. Supra (2) tamen ostendimus non ita opportunum videri hunc alterum sensum, impervium, a populo vix intelli-

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. 3, p. 468.
(2) T. XIII, pp. 701 ss.

gibilem, pœnitentibus proponere et rationes deesse, quare a sensu primitivo, Deus damnet *me*, ab Episcopis Belgii (Leodiensi excepto) in monito suo admisso discedatur.

3°/ Dixi: dato, non concesso, G. v. d. qua imprecationem esse peccatum *grave*... Etenim imprecatio hæc, *serio animo,* id est, animo ut contingat, prolata, peccatum grave constituit; secus autem venialiter tantum mala est.

Hæc autem primaria solutio difficultatis statim et ipsa impugnatur in

Instantia in 2ª parte proposita. Quæritur enim cur etiam de *blasphemia* dici non possit: blasphemia ubi *serio animo* fit, graviter mala est; secus autem venialiter tantum. Unde sicut nunc confessarius loquitur de imprecatione, sufficeret ipsi dicere pœnitenti: Si revera *intendis* Deum inhonorare, peccas graviter; sed illud sane non intendis, et proinde leviter tantum peccas.

Solvitur instantia negando paritatem adductam. *Blasphemia* enim essentialiter est in *significando* contumeliam in Deum (quod ubi fit signo externo habes blasphemiam externam; internam vero tantum, ubi interne tantum coram Deo significatur). Unde minime requiritur ut quis *intendat* ut Deum injuria afficiat, quæ esset blasphemia directa seu diabolica, sed sufficit voluntas implicita contumeliæ, quæ aderit eo ipso quod in talibus adjunctis verba vel signa contumeliam significantia adhibeantur voluntarie, quemcumque ob finem, puta ad homines terrendos, ad jumenta excitanda; quia *significatio* non ita pendet a voluntate loquentis, ut verba significent vel non significent pro interiori animo loquentis, sed ex se habent suam significationem (1). Quo casu blasphemia erit *indirecta*, minus sane gravis quam directa, attamen semper gravis manens (2).

---

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *Confessarius rite institutus...*, nn. 14, 19.

(2) Utilis instituetur comparatio quoad hæc, blasphemiam inter et

E contrario malitia *imprecationis* essentialiter est in *voluntate* exsecrandi, in *voluntate* malum optandi; sicut ex opposito bonitas apprecationis bonorum est et ipsa in animo, quo sensu dicimus esse *corde* orandum potius quam ore. Quare *significare* optationem mali, idem non est ac optare malum, et sic nondum est vera execratio (1). Unde merito dictum est: exsecratio, non serio prolata, peccatum mortale non constituit (2) dum talis restrictio pro blasphemia non datur (3).

---

mendacium. Et hoc enim est essentialiter in *significatione*, nim. contra mentem. Nonne vere *mentitur* qui, omnibus inspectis, aliquid contra mentem suam significat, etiamsi *interne* mentiri non velit? De qua comparatione ampliora invenies, fasc. prox. — Ex dictis apparet esse caute loquendum ne *intentioni* efficaciam tribuas quam non habet. Ita apud CANISIUSBLAD, anno III, 1904, p. 39 legitur (vertimus in latinum): « Quædam verba continent veram maledictionem in Deum vel in sanctos; ita e. g. magna blasphemia gallica, in qua Nomen Dei pronuntiatur cum præfixo *Sacré*. Hæc expressio significat proinde: Maledictus sit Deus; et hoc est peccatum mortale ubi cum intentione (met meening) et scienter et volenter fit ». Imprimis per transennam notamus immerito dici hanc expressionem *significare*.... Num forte expressio plane parallela: Sacré Cœur de Jésus, dici potest *significare* maledictum...? Unde, si formula sumitur *in se, vi verborum* — abstrahimus pro tempore a quæstione de æstimatione communi — dicenda est *habere* significationem *duplicem:* unam magis obviam et naturalem, eamque congruentem origini formulæ, qua dicit: le *Saint* Nom de D.; alteram autem minus obviam, non convenientem origini formulæ: exsécrable, maudit. Unde posses, sensu dato, dicere: Formula hæc de se habet duplicem sensum possibilem; non vero: hæc formula habet sensum pravum, — ac si alium eumque magis convenientem non haberet. — Hoc per transennam notato, in hypothesi in qua significaret tantum: *maledictum,* immerito dicitur: et hoc est peccatum mortale ubi *cum intentione*... fit. Etsi enim intentio hæc non adesset, maneret tamen blasphemia. — De vi intentionis in re blasphemiæ, vide fasc. seq.

(1) Et hoc sensu S. Alphonsus in Epistola responsiva... qua impugnat indolem blasphematoriam maledictionis mortuorum, (edit. Gaudé, p. 450) distinguit imprecationem quæ fit *optative* i. e. per verba optativa, præter intentionem, ab ea quæ fit *optando,* i. e. ex vera intentione ut contingat.

(2) Ita S. Alphonsus, lib. 5, n. 82, ex doctrina S. Thomæ, 2-2, q. 76, a. 3 infert « ut maledictio sit mortalis, tria requiri: 1° ut malum prolatum *vere optetur;* 2° ut optetur cum perfecta deliberatione; 3° ut malum optatum sit grave ».

(3) Visum est nonnullis circulis collatorum hanc distinctionem inter

Corollarium practicum. — Modum docendi a confessario tenendum supra (1) referentes, diximus sic posse proponi sensum exsecratorium : « hæc formula est imprecatio, eene verwensching, qua tibi petis damnationem a Deo, sicut interdum rogat quis ut terra absorbeatur, sic sibi malum optans ». Circa quod animadversionem accepimus: « Ne dicamus pœnitenti : Petis ! Optas ! damnationem tuam. Hoc enim tum non solet proferendo cogitare nec ideo intendere, tum quomodo non sit grave peccatum difficulter capiet ». — Libenter concedimus minime esse insistendum in eo quod sit petitio, optatio damnationis (2) — quemadmodum auctor quem impugnat P. Aertnys, *De Imprec. Deus damnet me*, p. 16 loquentis intentionem traducebat : « Desiderat, exoptat, tota vehementia mentis concupiscit damnationem æternam ! » Nonne reapse diceres dæmonem incarnatum? nonne talis homo certe omni praxi religiosæ valediceret? — Quare hunc sensum magis prudenter proponere possemus : « Hæc formula non est blasphemia ! fuit semper, vel, fuit olim, vel, de se est, vel, videtur esse exsecratio, een verwensching ; sensus ipsius est : 'k wilde, vel, 'k mag verd.. zijn ;

---

blasphemiam serio — et non serio prolatam, aliquatenus tamen stare : Si enim, aiunt, ex adjunctis patet loquentem non habere intentionem blasphemandi, ut obtinet interdum quoad blasphemiam ex intentione jocandi prolatam, vel quoad verba Deo contumeliosa relata in instructione, in confessionali, etc. tunc blasphemia certe non adest. — Ast apparet absentiam blasphemiæ his casibus non esse adscribendam ipsi intentioni qua tali, sed intentioni *quatenus ex adjunctis apparet*, et sic mutat significationem quam verba de se haberent. Cæterum hujusmodi intentio contraria excludit non solum intentionem sed et voluntatem blasphemandi. Ulteriora videsis, fasc. seq.

(1) T. XIII, p. 578, cum nota ibid., et p. 581.

(2) In specie, ne « *effectum* » producendi gratia, e suggestu discurramus de malitia illius qui non veretur sibi rogare æternam damnationem ! Sed avertamus populum ab hac aliisque formulis, eo quod non decet hominem excultum et præsertim hominem christianum, sic continuo, sine ratione, sine sufficiente reverentia, nomen Dei optimi Patris nostri in labiis habere, eoque uti ad varios nostros sensus exprimendos, ad iram in homines, in jumenta ostendendum, etc.

idem est *fere* sensus ac si diceres: Mijn verd..... — Simulque semper tanquam evidens nobis supponamus homines talia serio animo non proferre, imo eos nequidem cogitare de hoc sensu, et sic quasi nunquam peccatum grave committere (1).

A. VANDER HEEREN.

VI

Q. *Expone rubricas servandas in fractione hostiæ, a verbis*: Ut ope misericordiæ tuæ... *usque ad finem orationis:* Hæc commixtio.

R. Postquam celebrans *patenam ipsam* (2) « congruentius in extremitate seu ora » (3) *osculatus est, prosequens* UT OPE MISERICORDIÆ TUÆ ADJUTI ET A PECCATO SIMUS SEMPER LIBERI ET AB OMNI PERTURBATIONE SECURI, *submittit patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super patenam.*

Hanc rubricam, quam alii auctores et conferentiæ aliter practice exequendam ducunt, sequenti modo facillime et plene servari censemus. Manu dextra sacerdos lente versus Hostiam producit patenam, sed ita oblique inclinatam ut ejus ora sinistra corporale premat et fragmenta, si quæ sint, ante se propellat, et ita partim saltem *submittit patenam Hostiæ,* interim *indice sinistro* tangens oram sinistram Hostiæ, hanc paulisper propellit versus patenam et *super patenam accommodat.* Quo duplici motu sibi obvianti peracto, simpliciter relinquit patenam in loco ubi pervenit, h. e. nec longe a pede calicis, nec longe a medio corporalis, quin tamen periculum sit ut fragmenta quædam adhæreant externis patenæ partibus. Quod periculum omnino vitatur per patenæ inclinationem et parvum manus sinistræ et Hostiæ motum, sine

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. 13, p. 581.

(2) Quo melius ab auctorum explicationibus discernantur ipsa rubricarum verba, hæc tum ex *Ritu celebrandi* tum ex *Ordine Missæ* desumpta, charactere italico exprimimus.

(3) S. Rit. Cong., n. 1711[5].

quibus vix præcaveri potest, etiamsi patena in medio posita partim innitatur calicis pedi, qui ceterum nobis videtur locus incongruus ad patenam suscipiendam.

Dein sinistra, ad stabilitatem calicis, super pedem posita, dextra *discooperit calicem*, *genuflectit* seu *genuflexus Sacramentum adorat* (1); *tum* sine mora *se erigens, surgit* et pollice dextro in superiori Hostiæ parte posito ducit Hostiam versus superiorem patenæ oram et *accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextræ manus*, eamque elevat super os calicis (2). Tum eam sumit inter pollices et indices utriusque manus, et reverenter ac attente, ne fragmenta forte extra calicem emittantur, *eam super os calicis frangit per medium*, incipiens a parte superiore, interim lente *dicens* PER EUMDEM DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM (fit capitis inclinatio profunda) FILIUM TUUM; *et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextræ manus tenet, ponit* in medio *super patenam: de alia media quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dextræ manus particulam* « inferiorem » (3), tertiam aut quartam circiter partem, lente *prosequens* QUI TECUM VIVIT ET REGNAT, *et eam* particulam *inter ipsos dextræ manus pollicem et indicem retinens* super os calicis, *partem majorem quam sinistra tenet, adjungit mediæ super patenam positæ, interim dicens* IN UNITATE SPIRITUS SANCTI DEUS, *et particulum Hostiæ quam in dextra manu retinuit, tenens super calicem*

---

(1) *Ordo Missæ* dicit: « *genuflectit* », *Ritus* vero hoc verbum evolvens ait: « *genuflexus* Sacramentum *adorat* », ita docens adorationem fieri ipso actu genuflexionis nec requiri in genuflexione moram ad actum specialem adorationis. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 56 s. Idem luculentissime apparet ex textu *Ritus celebrandi* IX, 4, ubi agens de rubricis diaconi ad *Pater Noster* dicit: « discooperit calicem et cum celebrante *adorat*, similiter cooperit, et iterum *genuflectit* ». Summopere tamen decet internum elicere affectum adorationis dum externus actus lente et reverenter perficitur.

(2) Alii aliter; sed nobis videtur hæc agendi ratio facilior et magis simplex.

(3) S. Rit. Cong., n. 12756.

quem sinistra per nodum infra cuppam, firmitatis causa, *retinet, intelligibili voce dicit,* orationis conclusionem prosequens: PER OMNIA SÆCULA SÆCULORUM. ℟. AMEN.

Et cum ipsa particula signans ter signo crucis horizontali *a labio ad labium calicis,* quin cuppam tangat, *dicit:* PAX † DOMINI — SIT † SEMPER — VOBIS † CUM. *Responso per ministrum* ET CUM SPIRITU TUO, *particulam quam manu dextra tenet, immittit in calicem dicens secreto,* dum sinistram tenet ad nodum et dextram super calicem ita ut pollex et index sint supra os, alii vero digiti sustentationis gratia ad latus cuppæ: HÆC COMMIXTIO ET CONSECRATIO CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (inclinatio capitis) FIAT ACCIPIENTIBUS NOBIS IN VITAM ÆTERNAM. AMEN.

Nota sedulo omnia verba a LIBERA ME... ad primum AMEN, esse unam eamdemque orationem, quam sacerdos debet continuate ideoque lente « *prosequi* » ut aiunt Rubricæ, et non nimis dissecare ut verba sensum continuatum exprimant.

Quod horum rituum **significationem** attinet, *fractio* est præparatio panis consecrati ad communionem (1). In instutuenda SS. Eucharistia Christus panem « fregit deditque discipulis »; primi fideles in Jerusalem erant « perseverantes... in communicatione fractionis panis » (2). Prioribus sæculis panis (seu panes), multo latior quam hodierna hostia, frangebatur in tot particulas ut inde communicare possent sacerdos, ministri omnesque adstantes, imo et absentes ad quos mittebatur aut ad quorum (v. g. ægrotorum) communionem reservabatur aliqua pars.

Decursu autem sæculorum, suppresso usu SS. Eucharistiam ad absentes deferendi, decrescente etiam numero communicantium in Missa, minuebatur item numerus particularum, usquedum usu generali Hostia

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 711.
(2) Act. Apost. II. 42.

in *tres* tantum partes divideretur (1). Vel dum una asservabatur pro communione infirmorum, ex alia communicabant celebrans et ministri; vel, aliis locis et temporibus, priorem sumebat celebrans, et secunda dispensabatur in communionem diaconi et subdiaconi, qui, si deficerent, a sacerdote quoque consummebatur (2); at tertia semper immittebatur in pretiosissimi Sanguinis calicem.

Hæc *commixtio* orta est ex usu Ecclesiæ Romanæ quæ semper aliquam particulam sacrificii reservabat in missam sequentis diei. Tunc offerebatur pontifici celebraturo qui eam adorabat, deponebat in altari et post fractionem Hostiæ demittibat in vinum nove consecratum. Ita inculcabat liturgia hanc fidei veritatem idem esse specifice sacrificium quod heri et quod hodie et quod semper offertur, renovationem nempe unius sacrificii crucis. Hodierna commixtio panis et vini consecrati ejusdem numero sacrificii significare videtur proprie utramque consecrationem unum constituere sacrificium eumdemque esse Christum qui sub specie vini et sub specie panis præsens est. In interpretatione autem symbolica medii ævi repræsentare dicitur resurrectionem Christi Domini per vivificantem conjunctionem corporis et sanguinis.

C. Callewaert.

---

(1) Apud Orientales in plures partes. Sed non vacat hic ritum nostrum aut antiquum Romanum conferre cum Græco, ut factum est a quodam respondente, cujus conclusioni libenter subscribimus: licet ritus noster sit magis frigidus, inter utrumque viget magna analogia et uterque est præparatio physica et moralis ad S. Communionem.

(2) Cujus disciplinæ vestigium remanet in missa consecrationis Electi in Episcopum, et in Missa solemni quam celebrat Romanus Pontifex.

E SS. Rituum Congregatione

I

AMERICÆ OCEANIÆ ATQUE AUSTRALIÆ.

Conceditur Episcopis Americæ, Oceaniæ et Australiæ Romam petentibus, ut missam celebrare possint in navi.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, clementer deferens supplicibus votis Sacrorum Præsulum ecclesiarum sive diœceseon totius Americæ, Oceaniæ atque Australiæ, privilegium benigne impertiri dignatus est, quo ipsi Rev^mi Sacrorum Antistites, quotiescumque Romam petituri sint, perdurante maritimo itinere, etiam in reditu, singulis diebus Sacrum in navi peragere valeant: dummodo locus ad hoc delectus nihil indecens aut indecorum præseferat; mare sit adeo tranquillum, ut nullum prorsus adsit periculum effusionis sacrarum specierum e calice, et — si adsit — alter sacerdos superpelliceo indutus, Præsuli celebranti adsistat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 Junii 1908.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præf.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secr.*

II

URBIS ET ORBIS.

S. Joannes Chrysostomus Patronus oratorum sacrorum.

Quo congruus accedat cumulus solemnibus sacrisque pompis nuper expletis in honorem celeberrimi totius Ecclesiæ Doctoris, Joannis, ob aureum eloquentiæ flumen, cognomento Chrysostomi, mox elapso sæculo decimoquinto, ex quo sanctus ipse Antistes exilio mulctatus injuste, ac mala multa perpessus, supremum diem obivit; R^mus P. Hugo Athanasius Gaisser, ex Ordine Sancti Benedicti, Pontificii Græcorum Collegii moderator, vota depromens peculiaris Cœtus ejusmodi honoribus Chrysostomo tribuendis in Urbe con-

stituti, ac munere suo feliciter perfuncti, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam decimum supplex rogavit, ut eundem Sanctum Doctorem christianæ eloquentiæ et cœlestem sacrorum concionatorum Patronum suprema auctoritate Sua declarare ac statuere dignaretur. Id siquidem fe. re. Leo decimus tertius, die quarta Julii anno millesimo octingentesimo octogesimo quarto, indubie prænunciaverat, sacros videlicet oratores in fidem ac tutelam collocando S. Joannis Chrysostomi, Ecclesiæ Doctoris, quem omnibus ad imitandum proponebat exemplar, utpote qui christianorum oratorum facile princeps, ob aureum eloquentiæ flumen, invictum dicendi robur, vitæque sanctitudinem summis laudibus ubique celebretur. Sanctitas porro Sua has preces ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto relatas peramanter excipiens, præclarum Ecclesiæ universæ Doctorem decusque, Sanctum Episcopum Joannem Chrysostomum, oratorum sacrorum cœlestem Patronum Apostolica auctoritate Sua declaravit et constituit; eumdemque, quemadmodum cunctis fidelibus omnigenæ virtutis, ita christianæ eloquentiæ ad imitandum exemplar sacris concionatoribus libentissime proposuit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Julii 1908.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præf.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secr.*

III

Addenda et varianda in Breviario et Missali.

ADDENDA ET VARIANDA IN DUABUS TABELLIS EXCERPTIS E RUBRICUS GENERALIBUS BREVIARII.

Duplicia secundæ classis, in quibus de simplicibus fit commemoratio tantum in Laudibus; de aliis uti in Rubricis.

Circumcisio Domini.

. . . . . .

Nativitas B. M. V.

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III Sept.).

Solemnitas SSmi Rosarii B. M. V.

Duplicia majora per annum, quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur.

Transfiguratio Domini.

. . . . . .

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).

Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.

VARIANDA IN CATALOGO FESTORUM QUÆ UTI PRIMARIA VEL SECUNDARIA RETINENDA SUNT.

Festa secundaria.

§ II. *Duplicia secundæ classis.*

Festum SSmi Nominis Jesu.

. . . . . .

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III Sept.).

Solemnitas SSmi Rosarii B. M. V.

§ III. *Duplicia majora.*

Exaltatio S. Crucis.

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).

Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO.

Dominica III Septembris. Deleatur integra Rubrica: « Impedita... post Dom. III Septembris ». Ejus loco substituatur sequens: « Hac Dominica si occurrat festum nobilius, tamquam in sede propria celebretur festum B. M. V. Perdolentis prima sequenti die, non impedita a festo nobiliori, ac translato Duplici majori, vel Doctoris Ecclesiæ; de Duplici vero minori vel Semiduplici occurrente fiat tantum commemoratio, juxta Rubricas ».

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO.

Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.: « Si hæc Dominica immediate sequatur festum Nativitatis, Vesperæ

dicuntur integræ de ipsa Nativitate sine commemoratione SSmi Nominis Mariæ. Si hac Dominica occurrat festum nobilius, eo anno festum SSmi Nominis celebretur die duodecima Septembris, tamquam in sede propria, uti notatur in Martyrologio. Sicubi vero die duodecima occurrat festum nobilius, officium SSmi Nominis Mariæ transferatur in primam diem liberam, juxta Rubricas ».

SSmus Dominus noster Pius PP. X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto, suprascriptas additiones et variationes inserendas Breviario et Missali Romano benigne appobare dignatus est. Die 8 Julii 1908.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. PANICI. Archiep. Laodicen., *Secr.*

Indulgentiæ recenter concessæ

Invocationes.

1. *Cœur Sacré de Jésus, je crois à votre amour pour moi* (1).

Indulgentia 300 dierum, toties quoties, applicabilis defunctis. — E Secret. S. C. Indulg. 18 julii 1908.

2. *O Cœur d'amour, je mets toute ma confiance en vous, car je crains tout de ma faiblesse, mais j'espère tout de vos bontés* (2).

Indulg. 300 dierum, toties quoties, non applicabilis defunctis. — E Secret. S. C. Indulg. 3 junii 1908.

Orator in libello supplici hoc testatur : « Il a expérimenté la puissante efficacité [de cette prière de la Bse Marguerite-Marie] près des mourants, obtenant par ce moyen un grand nombre de conversions ».

(1) *Heilig Hert van Jesus, ik geloof aan uwe liefde tot mij.*

(2) *O Hert van liefde, op u stel ik al mijn betrouwen, want ik vrees alles van mijne krankheid, maar verhoop alles van uwe goedheid.*

3. *Mater amoris, doloris et misericordiæ, ora pro nobis* (1).

Indulg. 300 dierum, toties quoties, applicabilis defunctis. — E Secret. S. C. Indulg. 30 maii 1908.

Pro adoratione SS. Sacramenti.

SS. D. N. Pius Pp. X die 28 junii 1908 sequentes concedere dignatus est indulgentias applicabiles defunctis:

1. Pour quiconque récitera, *quovis idiomate,* devant le St-Sacrement renfermé dans le Tabernacle, l'invocation: *Jésus, mon Dieu, je vous adore ici présent dans le Sacrement de votre amour* (2), 100 jours d'indulgence *toties quoties.*

2. Pour quiconque récitera la même invocation, en adorant à deux genoux le St-Sacrement exposé solennellement, 300 jours *toties quoties.*

3. Pour quiconque fera un acte extérieur de révérence en passant près d'une église ou oratoire où le St-Sacrement est conservé, 100 jours *toties quoties.*

E Secret. S. C. Indulg. 3 julii 1908.

Recitatio SS. Rosarii.

Indultum concessum confratribus separandi singulas decades (3) extenditur *ad omnes fideles.* S. C. Indulg. 8 julii 1908 (4).

Possunt igitur fideles, in ordine ad lucrandas indulgentias adnexas rosario benedicto a religioso ordinis S. Dominici vel sacerdote debitam facultatem habente, separare decades in recitatione integri rosarii vel tertiæ saltem partis complendæ intra eamdem diem.

Corona VII Gaudiorum Deiparæ.

SS. D. N. Pius Pp. X benigne concessit indultum, « quo liceat christifidelibus, in recitatione coronæ VII Gaudiorum Deiparæ, *decades separare,* intra tamen

---

(1) *Moeder van liefde, van droefheid en bermhertigheid, bid voor ons. Mère d'amour, de douleur et de miséricorde, priez pour nous.*

(2) *Jesus, mijn God, ik aanbid u hier tegenwoordig in het Sakrament uwer liefde.*

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 774 sq.

(4) Cf. *Anal. eccles.*, t. XVI (1908), p. 393.

unius ejusdemque diei naturalis spatium, quin indulgentiæ dictam coronam recitantibus a RR. PP. concessæ amittantur ». — E Secr. S. C. Indulg. 22 julii 1908.

Nota. Sodales Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis, qui, licet non confessi aut S. Communione refecti, et etiamsi utantur rosario consueto 5 decadum, recitant *coronam seraphicam* seu VII Gaudiorum B. M. V. (quæ constat 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster*, addito uno *Pater* pro Summo Pontifice), possunt semel in die (1) lucrari indulgentiam plenariam (2). Possunt nunc separari 7 decades, dummodo intra eamdem diem compleatur integra corona.

Sanatio defectuum.

Memoratu utile est indultum, « quo in radice sanantur, ob defectus essentiales, sæpius nullæ et irritæ:

1. Admissiones ad habitum, tyrocinia et professiones Sodalium Tertii Ordinis sæcularis sancti Patris Francisci;

2. Erectiones Stationum Viæ Dolorosæ D. N. J. C., sive in ecclesiis, sive in oratoriis tam publicis quam privatis, sive in aliis locis habitæ » (3).

E Secret. S. C. Indulg. 23 maii 1908.

Privilegium.

In audientia 15 septembris 1908 concessit S. P. Pius X sacerdotibus adscriptis *fœderi sacerdotali eucharistico* privilegium benedicendi coronas eisque adnectendi *indulgentias Crucigerorum vulgo dictas* (4).

Benedictio fit simplici signo crucis (5).

H. Mahieu.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 308.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 622.
(3) *Anal. eccl.*, t. XVI (1908), p. 443.
(4) Cf. *Annales de l'assoc. des Prêtres-Adorateurs*, Déc. 1908, p. 417.
(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 732.

Consultatio

Quær. « Quum missa cantetur sine ministris et nullus sit clericus inserviens qui superpelliceo indutus epistolam decantet, juxta rubricas, satius erit quod ipsa epistola *legatur sine cantu* ab ipso celebrante ». Ita declaravit S. R. C. n. 3350 (ap. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 593). Nonne a pari in simili casu satius est ut pariter non cantetur sed tantum a celebrante *legatur Graduale?*

Resp. Prorsus negandam esse paritatem :

1° Ex natura rei. Epistola enim scripta et in missam inducta est ut *legeretur,* licet etiam quadam modulatione cantari possit : ideo inscribitur in Missali « *Lectio* epistolæ... vel libri Sapientiæ ». Graduale contrà origine et natura sua est *cantus* et in missam introductum est ut inter duas S. Scripturæ lectiones cantus varietatem induceret et attentionem foveret (1).

2° Merito igitur decreta S. R. C. n. 3350 et *Cencten.*, 5 mart. 1904, *suadent* ut epistola, in casu, legatur (2), dum alia plura *stricte imponunt* ut in omni missa cantata a choro revera *cantetur* Graduale sicut et omnia quæ ex rubricis canenda sunt (3).

C. Callewaert.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 725.

(2) Non est præceptum, ideoque in nostra diœcesi servetur usus vigens ut nempe celebrans ipse *cantet* epistolam.

(3) Vide decreta citata ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 333 ss.

Notæ Bibliographicæ

H. Couget. *Le sens catholique.* (Collect. *Science et Religion*, nos 518-519). Paris, Bloud, 1909, 126 p. F. 1,20.

Si la situation extérieure de l'Église de France est lamentable, il faut en rechercher une des causes principales dans l'affaiblissement du sens catholique qui devrait nous faire penser, sentir et agir toujours, à l'unisson de l'Église. L'auteur établit solidement que les catholiques doivent restaurer en eux le sens catholique : dans le domaine de la pensée par une foi intégralement conforme à celle de l'Église ; dans la vie personnelle par une conscience plus sensible aux indications évangéliques ; dans les rapports avec l'autorité religieuse par une soumission loyale à ses directions. Ils restaureront ce sens catholique chez leurs frères égarés par une apostolat généreux, méthodique et dirigé par l'Église.

Le prix élevé de ce bon livre de propagande sera un obstacle à sa diffusion.

***

Dom D. Johner, O. S. B. *Nouvelle méthode de plain-chant grégorien.* Traduction française par l'abbé J. Benoît. Ratisbonne, Pustet (Bruges, Ch. Beyaert) 1908, in-12, XVI-275 p. F. 3,25 relié percaline.

La présente édition française a tenu compte de certaines critiques faites à l'ouvrage allemand du R. P. Johner, paru en 1906. Le traducteur y a apporté un certain nombre de changements, d'améliorations et d'additions, qui n'ont fait que développer les qualités justement appréciées de cette méthode. Celle-ci est véritablement le fruit de la tradition d'art, de piété et de liturgie qui fleurit à l'abbaye de Beuron. Elle a des parties excellentes, celles, par exemple, qui traitent du solfège, de l'accompagnement, de la valeur et de l'exécution artistique du plain-chant, des rapports entre la liturgie et les mélodies grégoriennes. Elle contient une foule de renseignements précieux, sur l'histoire et les rubriques du chant, sur certaines questions d'érudition (1), parmi lesquels, le maître n'aura qu'à faire son choix, en tenant compte de la capacité de ses élèves et du temps dont il dispose.

Le livre est divisé en deux cours — l'un, élémentaire, l'autre, supérieur — précédés de notions préliminaires, où il est principalement question de la formation de la voix, et suivis de trois appendices : I. Abrégé de l'histoire du plain-chant ; II. Termes techniques de l'*Ordo* ; III. Exercices de vocalise et de solfège.

(1) Nous regrettons la disparition de la bibliographie allemande.

On peut faire à la méthode Johner-Benoît, les trois critiques suivantes: 1° au point de vue méthologique, elle manque de simplicité, pour être accessible à tous les chantres d'église; 2° au point de vue de la rythmique, elle fait une application outrée du principe de la division rythmique en groupes binaires et ternaires; 3° au point de vue de l'exécution de la notation, elle ne tient pas suffisamment compte de l'*Introduction* officielle au Graduel Romain.

A. De Meester.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Bourlon I. *Les Assemblées du Clergé et le Jansénisme.* Paris, Bloud et Cie, 1909, In-8, 379 p. Fr. 6.

Bourlon I. *Les Assemblées du Clergé et le Protestantisme.* Collection « *Science et Religion* » Paris, Bloud et Cie, 1909. — Fr. 1,20.

Étude bien documentée qui fera mieux connaitre la situation juridique des Protestants en France, avant et après la révocation de l'Edit de Nautes.

De Bie J. *Philosophia moralis* ad mentem S. Thomæ Aquinatis. Pars prior. Philosophia moralis generalis. Lovanii, Ceuterick, 1908. In-8, XII-275 p.

de Cauzons Th. *Histoire de l'Inquisition en France,* I vol. Paris, Bloud et Cie, 1909. In-8, 499 p. Fr. 7.

des Cognets Jean. *Les idées morales de Lamartine.* Coll. (*Science et Religion,* n. 514).

de la Vallée Poussin Louis. *Notions sur les religions de l'Inde. Le Védisme.* (Collect. « *Science et Religion* », n. 526-527).

Fortin A. *Les Croisades.* Collection « *Science et Religion* » Paris, Bloud et Cie, 1909.

Aperçu clair mais pas documenté et peu complet, surtout pour les origines des croisades.

Garriguet L. *Traité de Sociologie d'après les Principes de la*

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Théologie catholique. Régime du Travail. Paris, Bloud et Cie. 2 vol. in-16. Chaque volume: 3,50 fr.

Gay (Mgr). *Fragments eucharistiques*. Bruxelles, Aimé Schepens, 1908. In-32, XVI-366 p. Fr. 2,50.

Goffin Arnold. *I Fioretti, Les petites Fleurs de la vie du petit Pauvre de Jésus-Christ Saint François d'Assise.* Paris, Bloud et Cie [s. d.]. In-16, 144 p. (Collection *Science et Religion,* nos 516-517). Fr. 1,20.

Les Livres *de Saint Patrice, apôtre de l'Irlande.* Introduction et notes par G. Dottin. — (Collection *Science et Religion,* n. 505).

Lesêtre H. *La Foi catholique.* Paris, Beauchesne, 1909. In-16, X-497 p. Fr. 3,50.

Maumus. *Les Modernistes.* Paris, Beauchesne, 1909, In-16, 269 p. Fr. 2,50.

Nicole. *Le prisme. Des défauts des gens de bien. Des moyens de profiter des mauvais sermons. Pensées. Lettres choisies.* Introduction de H. Brémond. (Collection *Science et Religion,* n. 524).

Noldin H., S. J. *Summa Theologiæ moralis,* editio septima, Œniponte, Rauch, 1908, 5 vol.

Oxenham H. *Histoire du dogme de la Rédemption.* Traduit de l'anglais par J. Bruneau, S. S. Paris, Bloud et Cie, 1909. In-16, 350 p. Fr. 4,00.

Planque G. *Histoire du Catholicisme en Angleterre.* Collection « *Science et Religion* » Paris, Bloud, et Cie, 1909. — Fr. 1,20.

Résume de bons ouvrages généraux; expose les situations plutôt que les évènements, depuis les origines jusqu'au vote de l'émancipation en 1829.

Sertillanges. *Art et apologétique.* Paris, Bloud et Cie, 1909. In-16, 334 p. Fr. 3,50.

Souriau M. *Les idées morales de Chateaubriand.* (Collection *Science et Religion,* n. 525).

Willems C. *Institutiones philosophicæ.* Treveris, ex officina ad S. Paulinum, 1906. 2 vol. in-8°, 578 p. et 662 p. 7 M. et 8 M.

Willems. *Philosophia moralis,* Treveris, officina ad S. Paulinum, 1908; In-8, XV-584 p. 7 M.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii.

—

I

Ostende, rite exponendo logicam connexionem idearum, quomodo S. Paulus in ep. ad Gal. 3, 1-4, 31 demonstret « quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi » (2, 16).

II

An et quare ad invicem subordinantur distinctio voluntatis *beneplaciti* ac *signi* et distinctio voluntatis *antecedentis* ac *consequentis?*

III

Quo tempore contrahitur bonitas vel malitia effectus voluntarii in causa? Proba responsum.

IV

Variis summatim indicandis significationibus quibus usurpari solent voces *Fides* et *Credere*, oppone accuratam notionem Fidei theologicæ (supernaturalis).

V

Breviter expone, simul indicatis argumentis, quodnam sit subjectum actus Fidei theologicæ.

VI

Dans quelles limites un État chrétien peut-il user de tolérance civile ou politique à l'égard des infidèles et de leur culte?

Viennent de paraître :

Exhortation de S. S. Pie X au clergé catholique. Texte latin avec traduction française, annoté par **J. Mahieu**, S. T. L., Directeur du grand Séminaire. Bruges, Beyaert, 0,40 fr.

A. De Meester. *Règles pratiques pour l'exécution du chant grégorien d'après l'édition vaticane.* Roulers, J. De Meester, une petite brochure in-8, 35 p. Fr. 0.60.

Contenu. Introduction générale à l'exécution du Graduel de l'Édition officielle. — Règles spéciales pour le chant des récitatifs (oraisons, épîtres etc.), la psalmodie et l'hymnodie.

A. De Meester. *Praktische leer ter uitvoering van den gregoriaanschen zang naar de Vaticaansche uitgave.* Rousselare, J. De Meester, in-8, 37 p.

C. Callewaert. *L'étude et l'esprit de la Liturgie* (Extrait des *Collationes Brugenses*, 1908). Bruges, Maertens-Matthys, 35 p. Fr. 0.50.

C. Callewaert. *Les reliques de Ste Godelive à Ghistelles et leurs authentiques* (Extrait des *Annales de l'Émulation de Bruges*, 1908). Bruges, L. De Plancke, 86 p. Fr. 2.00.

— Om te verschijnen vóór 1^n Januari 1909, bij K. Van de Vyvere-Petyt, te Brugge :

Kerkelijk kalender *van het bisdom Brugge voor 't jaar 1909,* aanwijzende al de oratiën en bijzonderheden der Mis van iederen dag en der Vespers van iederen Zon- en Feestdag, 64 bl. Prijs 0.15 fr.

Nuper prodierunt apud domum editricem H. Dessain, Mechliniæ, *Missæ propriæ pro diœcesi Brugensi,* in-8, 27 p., quæ per modum appendicis ad Graduale Romanum vaticanæ editionis addendæ sunt.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. *Breviter exponantur præcipua systemata quæ ad Synopticam Quæstionem solvendam proposita fuerunt.*

R. I. **Prænota.** Similitudo triplex inter Mt Mc et Lc suprà (p. 22 ss.) descripta tanta est, ut, etiam attenta identitate materiæ tractandæ, fortuita plane seu casu orta dici nequeat. Neque convenienter explicatur ex eo quod tres Synoptici testes oculati atque auriculares fuisse dicantur; quod, ut patet, de Lc non verificatur et de traductore Evangelii aramaici (hebræi) Mt probari non potest. Neque tribui potest inspirationi: quo casu auctores inspirati, mere mechanice, non autem modo vere humano i. e. intellectivo ac libero necnon uniuscujusque indoli, culturæ, cæterisque dispositionibus ac adjunctis individuantibus proportionato, scripsissent (1). Præterea in hac sententia, cui patrocinatur nemo, triplicis differentiæ assignatæ conveniens ratio proponi non posset.

Manet igitur ut similitudines vi cujusdam *relationis*, inter tria Evangelia synoptica vigentis, ortas dicamus; discrepantias vero vel fontibus tribuamus, vel etiam scopo a singulis evangelistis intento, necnon methodo servatæ adscribamus.

---

(1) Auctores inspiratos hanc actionem humanam ac personalem seu individualem in opere Dei perficiendo habuisse, a priori præsumitur (cùm ordo supernaturalis ordinem naturæ non destruat, sed reverentur perficiatque), et a posteriori probatur.

Quæstio Synoptica neque a Patribus neque ab exegetis medii ævi neque a magnis interpretibus s^i 16 et 17 instituta fuit. Solummodo inde a s° 18° exeunte viri critici hanc quæstionem ex professo pertractare cœperunt. Mirum in modum variæ fuerunt virorum doctorum sententiæ (1), ità ut ad similitudines ac dissimilitudines explicandas systemata penè innumera proposita fuerint.

Omnia tamen systemata excogitata ad tria genera reduci posse videntur, cùm asserta cognatio et dissimilitudo tribus modis oriri potuerit: vel 1° e traditione orali; vel 2° e facto quod unum Evangelium dependeat ab alio præexistente; vel 3° ex eo quod tria Evangelia ex uno eodemque documento scripto vel pluribus fontibus derivanda sint.

II. **Præcipua systemata** breviter proponuntur.

1° Hypothesis **traditionis oralis** *(Traditionshypothese).*

a/ *Exponitur.* Tria Evangelia synoptica dependent a sola traditione orali seu a catechesi apostolica, et hac sola dependentia eorum mutua relatio explicanda est.

Apostoli in quotidianis catechesibus quas ad neophytos habebant, ea facta dictaque Christi selegerunt quæ populo rudiori potius et inculto convertendo aptiora essent. Fieri autem solet, ut homines, qui sæpe easdem res narrant, certo quodam et stabili narrandi typo utantur, eadem verba insigniora usurpent, eodemque modo res narrandas ordinent. Ita eadem catecheseos methodus sua sponte efformata est, quamvis haud perfecte eadem ubique fuerit, sed pro variis personarum locorumque adjunctis plus minus varia. Synopticorum similitudo et discrepantia explicatur ex triplici forma aliquatenus

---

(1) Hujus controversiæ (nondum sopitæ) historiam expositam invenies apud Jacquier, *Histoire des livres du N. T.*, t. **2**, Paris 1905, p. 284 ss.; Cornely, *Introductio in U. T. libros sacros,* t. **3**, Parisiis 1886, p. 170 ss.; Bonaccorsi, *I tre primi Vangeli e la critica letteraria ossia la Questione Sinottica,* Monza 1904; Zahn, *Einleitung in das N. T.*, 3ª ed., t. **2**, Leipzig 1907, p. 187 ss.; Belser, *Einleitung in das N. T.* Freiburg i. B. 1905, § 20.

diversa quam referunt ejusdem primævæ traditionis christianæ, prout nempe communitatibus Judæo-christianorum, vel Ethnico-christianorum, vel ecclesiis utroque elemento constantibus Evangelium prædicabatur (1).

b/ *Dijudicatur*. Hoc systema, *seorsim sumptum*, plures quidem differentias, non tamen omnes explicare potest; at verò rationem sufficientem triplicis cognationis statutæ non præbet, plures easque graves difficultates facescit (2). — Attamen probabile est evangelistas ad utilitatem adeoque ad traditionem Ecclesiæ pro qua immediate et præcipue scribebant, attendisse.

2° Hypothesis **mutuæ dependentiæ** *(Benützungshypothese)*.

a/ *Exponitur*. In hac sententia secundus evangelista libro primi, tertius autem secundi et primi evangelio usus est. Variæ excogitatæ sunt hujus systematis formæ: alii enim Matthæum, alii Marcum, alii Lucam primum scripsisse asserunt, neque in aliorum duorum ordine statuendo concordes reperiuntur (3).

b/ *Dijudicatur*. Hæc sententia *per se sola* mutuam dependentiam sufficienter non explicat. Si enim evangelista posterior prædecessoris sui libro usus sit, optime quidem Evangeliorum similitudines intelliguntur; undenam autem exortæ sint variæ differentiæ, et cur tot apud juniores evangelistas factæ sint dictorum factorumque omissiones non apparet. — At varia argumenta quæ contra hoc systema *modo exclusivo* propositum moveri possunt, non impediunt quominus etiam mutua dependentia ut *pars* seu elementum solutionis in Quæstione Synoptica adhibeatur. Ità Evangelio Marci usus

---

(1) Hoc systema evolvitur et propugnatur a CORNELY, *o. c.*, p. 184 ss.

(2) Uti exponit JACQUIER, *o. c.*, p. 301 ss. Cf. A. CAMERLYNCK et H. COPPIETERS, *Synopsis*, Brugis 1908, p. XVII s.

(3) Cf. JACQUIER, *o. c.*, p. 287 ss.; 310 ss.; FILLION, *Introduction générale aux Evangiles*, Paris 1889, p. 42. A. CAMERLYNCK et H. COPPIETERS, *o. c.*, p. XVIII s.

est velut fonte præcipuo Lucas; præterea rationes vere probabiles afferuntur quibus constat Evangelium Mt græcum ab Evangelio Marci pendere. Dependentia immediata Mt inter et Lc non probatur (1).

3° Hypothesis **documentorum scriptorum.** *(Quellenhypothese).*

a/ *Exponitur.* Hoc systema contendit tria Evangelia synoptica ex uno documento scripto vel e pluribus fontibus communibus esse derivanda. Alii evangelium primitivum aramaicum *(Urevangelium)* statuunt, ex quo tria nostra dependeant. Discrepantias autem ope variarum recensionum ac versionum ejusdem textus primævi explicare conati sunt. — Alii verò varia posuerunt fragmenta evangelica tum græca, tum aramaica, minime cognata, quorum vario usu apud Mt, Mc et Lc, horum mutua relatio enucleanda esset.

b/ *Dijudicatur.* Utraque hæc forma systematis documentorum hodie vix non ab omnibus criticis jure merito derelicta est. Notasse sufficiat documenti istius vel documentorum illorum seriei existentiam testimoniis externis de origine Evangeliorum minime probari; insuper in hujus sententiæ altera forma *ordinem* inter Synoptica vigentem apte vel potius nullo modo explicari valet.

Alia quæstio est utrum Synoptici nullos fontes scriptos (præter assertam sub 2° dependentiam) adhibuerint. Documenta scripta a Mc usurpata fuisse nostro judicio non certò probatur. Sed Evangelistæ posteriores Mt et Lc scriptis fontibus usi fuerint (cf. *Lc* 1, 1-4), quamvis hæc documenta non amplius exstent (2).

Conclusio. Uti ex dictis liquet, tria systemata descripta, quamvis *seorsim* « discordiam concordem » Synopticorum non explicent, singula (3) tamen solu-

(1) Cf. JACQUIER, *o. c.*; A. CAMERLYNCK et H. COPPIETERS, *o. c.*, p. XX ss.
(2) Cf. *Synopsis*, p. XXIV ss.
(3) Dummodo hypothesis « documentorum » non eo intelligatur sensu quo in secundo systemate exponitur.

tionis elementa seu adminicula præbent. *Similitudo* partim explicatur dependentiâ Lc et Mt græci a Mc; convenientiæ tum Lc tum Mt in iis quæ apud Mc desunt, fonte scripto (vel fontibus scriptis) elucidantur; similitudo pariter ex primæva traditione aliquatenus intelligitur. — *Discrepantia* verò explicatur partim usu documenti (vel documentorum) præter Mc ac Mt et Lc adhibiti, partim traditione orali in variis Ecclesiis aliquatenus diversa, partim perculiari scopo a singulis Synopticis intento necnon speciali methodo ab unoquoque ad peculiarem finem adhibito.

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone secundum mentem S. Thomæ distinctionem inter Dei voluntatem* antecedentem *et voluntatem* consequentem.

R. 1. Distinctionis prædictæ declaratur **formalis significatio.** *Antecedens* dicitur voluntas quæ respicit aliquid prouti in se est et abstracte seu absolute ab omnibus adjunctis quæ possent hanc rem circumdare. *Consequens* dicitur voluntas quæ respicit aliquid cum circumstantiis quæ illud circumdant. Quia autem aliquid cadere potest sub voluntate aut ejus objectum esse *aliter* secundum quod consideratur in se ipso tantum, et *aliter* secundum quod consideratur cum adjunctis, ideo aliquid potest esse objectum voluntatis antecedentis quod non sit objectum voluntatis consequentis. Quia, tandem, consideratio rei, prout in se ipsa est, est *prior* considerationi rei prout hæc etiam circumstantiis subjacet, ideo voluntas, quæ respicit rem prout est in se ipsa tantum, vocatur *antecedens*, altera vero, *consequens*.

Audiamus S. Thomam:

« Unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in *prima* sui conside-

ratione, secundum quod *absolute* consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est *consequens* consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere. Unde potest dici quod judex justus *antecedenter* vult omnem hominem vivere; sed *consequenter* vult homicidam suspendi. Similiter Deus *antecedenter* vult omnem hominem salvari; sed *consequenter* vult quosdam damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ » (1).

Aliud exemplum tradit S. Thomas his verbis:

« Exemplum de mercatore qui vult omnes merces suas salvare absolute, et hoc voluntate antecedente. Sed si consideret salutem, non vult omnes merces per comparationem ad alia salvare, sc. quando cum salute sequitur submersio navis. Et hæc est voluntas consequens. Sic in Deo salus omnium hominum in se considerata habet rationem ut sit volibilis... et sic ejus voluntas est antecedens. Sed si consideretur bonum justitiæ, et quod peccata puniantur, sic non vult. Et hæc est voluntas consequens » (2).

---

(1) I, Q. XIX, a. 6, ad 1.

(2) *Commentarius in 1 ad Tim.*, cap. II, lect. 1. Cf. In I, Dist. XLVI, Q. I, a. 1; Dist. XLVII, a. 1, 2, 3; in III, Dist. XXXII, Q. I, a. 2; *De Veritate*, Q. XXIII, a. 2, Q. XVIII, a. 3, ad 15. — Prædictam distinctionem desumpsit S. Thomas ex S. Joanne Damasceno scribente: « Hoc ibidem nosse oportet, Deum primaria et antecedente voluntate velle omnes salvos esse et regni sui compotes fieri. Non enim nos, ut puniret, condidit sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suæ participes essemus. Peccantes porro puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplacitum, cujus ipse causa sit; secunda autem, consequens voluntas et permissio ex nostra causa ortum habens ». *De fide orthodoxa*, L. II, c. 29. — Cf. S. Bonaventura, in I, dist. XLXI, a. 1, q. 1, ad 3; Dist. XLVI, a. 1, q. 1; Capreolus, *Defensiones theologiæ S. Thomæ*, in I, Dist. XLV, Q. I, concl. 4a; Jungmann, *De Deo uno et trino*, P. I, n. 237, *in nota* (nam in ipso textu aliter explicat distinctionem); Kleutgen, *De ipso Deo*, Ratisbonæ, 1881, n. 617; Billot, *De Deo uno et Trino*, Romæ, 1893, P. I, Thes. XXVII; Janssens, *De Deo uno*, Romæ 1899, t. II, p. 256 ss., 587 s.; Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, ap. *Collat. Brug.*, t. V, 1900. p. 106; Pègues, *Commentaire français*

2. Utriusque voluntatis **objectum**. Prædicta distinctio non desumitur ex parte *actus* voluntatis divinæ, sed ex parte *volitorum* seu *objectorum;* non tamen ita ac si ageretur de objectis omnino disparatis; sed agitur de eodem objecto secundum diversam ejus considerationem: v. gr. aliquem hominem vult Deus salvare ratione humanæ naturæ, quam ad salutem fecit; sed vult eum damnari, voluntate consequente, propter peccata quæ in eo inveniuntur (1). Itaque Deus volendo voluntate antecedenti (quæ est conditionata, ut statim dicemus) *omnes* **salvari** homines, simul vult, voluntate consequente, *quosdam* **damnari**: sic habetur *oppositio* in volitis: *salus* omnium est *in se,* abstracte ab adjunctis, bona et eatenus volita a Deo; *damnatio* quorumdam est *propter adjuncta* bona et eatenus volita a Deo.

S. Thomas in *De Veritate,* in *Commentario in I Tim.*, et in *Summa theologica* semper tamquam objectum voluntatis antecedentis assignat *salutem* omnium, et tamquam objectum voluntatis consequentis *damnationem* quorumdam; non ponit ut objectum voluntatis consequentis *salutem prædestinatorum* (2). Hæc autem non recte, ut videtur, poneretur ut objectum voluntatis consequentis.

Et sane ut definitioni antea traditæ respondeat ob-

---

littéral de la Somme théologique de S. Thomas d'Aquin, Toulouse, 1907, t. II, p. 257 ss.

(1) S. Thomas, *De Veritate,* Q. XXIII, a. 2, ad 2.

(2) Attamen S. Thomas, in III, Dist. XXXII, Q. I, a. 2, dixerat: « Sic ergo Deus, communiter loquendo de dilectione, diligit omnia, in quantum vult eis bonum aliquod, scilicet bonum naturale ipsorum; sed bonum quod ipse sibi vult, scilicet visionem sui, et fruitionem qua ipse beatus est, vult quidem omni creaturæ rationali voluntate antecedente, sed voluntate *consequente* solis *electis,* quæ est voluntas simpliciter ». Ut mihi videtur, S. Thomas, re melius perspecta in ultimis operibus, ibi tantum ponit *damnationem* quorumdam ut objectum voluntatis *consequentis.* S. Thomas conscripsit *De Veritate* anno circiter 1258, *Commentarium in epistolas S. Pauli* anno circiter 1270, *Summæ theologicæ Partem Primam* et *Primam Secundæ* inter 1265 et 1269. Cf. De Groot, *Het leven van den H. Thomas,* Utrecht, 1907, p. 129 ss., 197 ss., 291 ss.

jectum assignatum, oportet ut res quæ *in se sola* considerata est bona, jam considerata *simul cum adjunctis* non sit amplius bona, vel vice-versa, ut res quæ *in se sola* considerata, est mala, jam, considerata *simul cum adjunctis*, sit bona. Porro salus omnium et salus quorumdam est utraque res bona et non est oppositio in his duobus objectis: inde non adest ratio distinguendi voluntatem quæ est de re, in se sola spectata, a voluntate quæ est de eadem re, spectata cum adjunctis. Et sane distinctio, de qua hic agimus, non sic intelligenda est ac si Deus prius vellet omnes homines salvari, posterius autem quosdam salvari et quosdam damnari, sed distinctio sumitur ex parte *volitorum*, quæ simul sunt volita: quatenus voluntas antecedens est *de eo quod est bonum per se*, voluntas consequens *de eo quod est bonum per accidens*. Porro illud, quod est *per se*, prius ratione est eo quod est *per accidens*. Consequenter non eadem est omnino voluntas *absoluta* et voluntas *consequens:* voluntas absoluta latius patet, quum respiciat salvandos ac damnandos (1).

3. **Ulterior explicatio** de voluntate *antecedente*. S. Thomas post verba quæ suprà citavimus ex I, Q. XIX, a. 6, ad 1, pergit:

« Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid. Quia voluntas comparatur ad res secundum quod in se ipsis sunt: in seipsis autem sunt in particulari (h. e. prout res vestiuntur omnibus ipsarum adjunctis). Unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Unde potest dici quod judex justus simpliciter vult homicidam suspendl; sed secundum quid vellet eum vivere; scilicet inquantum est homo. Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet quod quidquid Deus simpliciter vult, fit; licet illud quod antecedenter vult, non fiat ».

---

(1) Cf. Billot, *o. c., l. c.;* Molina, *Concordia liberi arbitrii*, Q. XIX, a. 6, disp. 1.

Igitur S. Thomas *antecedentem* voluntatem dicit *velleitatem,* quia est voluntas secundum quid tantum : hæc tamen velleitas non est mera fictio vel affectio omnino inefficax (1): nam ad voluntatem antecedentem Dei consequitur quod omnibus hominibus dat media sufficientia ad salutem : etenim damnatio quorumdam, quæ est objectum voluntatis consequentis, est propter peccatum, quod ex homine solo est, non ex Deo. « Ipse autem defectus peccati, quo aliquis redditur dignus pœna in præsenti vel in futuro non est volitus a Deo neque voluntate antecedente, neque consequente, sed est ab eo solummodo permissus » (2). — « Unde ex principali intentione miseretur (Deus), sed punit quasi præter intentionem voluntatis antecedentis, secundum voluntatem consequentem » (3).

Tandem « voluntas antecedens potest dici voluntas *conditionata ;* nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem » (4).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Qualis requiritur intentio finis ultimi ut actus sit moraliter bonus? Explica et proba responsum.*

R. Præsupponitur in quæstione *aliqualem* requiri intentionem finis ultimi, quippe qui est omnino obligatorius : « Est autem debitum, ait S. Thomas 1-2, q. 21, a. 4, ut ad finem ultimum omnes actus referantur, ut supra habitum est (q. 19, a. 10) : unde qui facit actum

(1) « Diligenter distingues duplicem velleitatem : unam quæ est omnino sterilis, et in simplici quodam affectu consistit ; aliam quæ includit voluntatem efficacem dandi id quod ad consecutionem finis requiritur, puta sufficientia media salutis. Et talem voluntatem antecedentem ponimus in Deo, ad omnium hominum salutem quod spectat », Billot, o. c, l. c.

(2) S. Thomas, *De Veritate,* Q. XXIII, a. 2.

(3) Id., *o. c.*, Q. XXVIII, a. 3, ad 15.

(4) Id., in I, Dist. XLVI, Q. I, a. 1, ad 2.

malum non referibilem in Deum, non servat honorem Dei, qui ultimo fini debetur ». Item 1-2, q. 1, a. 6: « Necesse est quod omnia quæ homo appetit, appetat propter ultimum finem », notatim quia finis ultimus se habet sicut primum movens (1).

Porro quæritur *qualis* requiratur intentio finis ultimi seu relatio actus in finem ultimum, et quidem, quod diligenter advertas, ut actus sit *moraliter bonus*, np. ut habeat aliqualem moralitatem saltem imperfectam, non vero ut sit meritorius (2).

1. *Sufficit relatio naturalis*. Certum enim est non requiri ut actiones referantur in Deum ex motivo charitatis, vel ex alio motivo supernaturali per fidem cognito: secus esset dicendum cum hæreticis omnia opera *peccatorum* et *infidelium* esse peccata (3).

2. Hæc relatio naturalis *non debet esse explicita et actualis sive virtualis,* sed *sufficit quod sit implicita et habitualis* (4), quæ locum habet, dum homo actum ex objecto vel fine proximo bonum ponit, etsi illum in ulteriorem finem explicite non referat. Hujusmodi enim actus natura sua hominem perficit et refertur ad Deum, finem ultimum, ac proinde Deum glorificat, ut præclare explicavit Augustinus: « Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis: quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum.... Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? noli inebriari, et laudasti Deum. Discedis, ut dormias? noli surgere ad male faciendum, et laudasti Deum » (5). Hoc sensu dici potest præceptum, quod monet Apostolus (1 Cor. X, 31): « Sive ergo manduca-

---

(1) Quod est ultimum in executione (ideo dicitur *finis*, fl. *einde*), est primum in intentione (ideo dici posset *scopus*, fl. *doel*); habet autem finis rationem causæ seu principii moventis. in ordine intentionis.

(2) Cf. omnino *Collat. Brug.*, t. XII, p. 13 ss.

(3) Cf. JUNGMANN, *De gratia*, n 109 ss., 138 ss.

(4) Notiones recolantur ex dictis apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 571.

(5) *In ps.* XXXIV, serm. 2, n. 16.

tis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite » (1).

Apposite Angelicus (1-2, q. 1, a. 6, ad 3m): « Dicendum quod non oportet ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit vel operatur; sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur; sicut non oportet quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine ». Unde non requiritur intentio *actualis*.

Sed nec requiritur *virtualis:* « Cum rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali: *si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni* » (1-2, q. 18, a. 9). Sic si homo allectus delectatione ambulat, dormit, comedit, servatis tempore, loco et mensura debitis, agit rationabiliter seu modo conformi ordini naturæ et *implicite* seu *interpretative* intendit ipsum finem operis, et ideo illæ operationes sunt ordinatæ ad debitum finem seu implicite ad finem ultimum, et consequenter sunt moraliter bonæ (2).

H. Mahieu.

IV

Q. *Ex ipsa notione blasphemiæ, dijudica malitiam blasphemiarum* 1°/ mere materialiter *seu* recitative, 2°/ jocose, 3°/ ficte *prolatarum*.

R. Blasphemia definitur *locutio contumeliosa in Deum*. In qua definitione vox *locutio* sumenda est sensu

(1) Cf. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.* ed. 2a, n. 356, ed. 3a, n. 362; *Theologia Mechliniensis, Theol. mor. gener.*, n. 27, Q. 2.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 17, coll. hoc t. XIV, p. 31. Advertat diligens lector connexionem cum quæstione: *Utrum dentur actus in individuo indifferentes.*

generali quo idem dicit ac *significatio*, adeo ut fieri possit sive *verbis*, — et erit blasphemia externa *verbalis*, — sive *factis* et gestibus, — et erit blasphemia externa *realis*, — imo fieri possit etiam signis *internis*, mentem coram solo Deo significantibus, quo casu erit blasphemia *interna*. Unde patet ad determinandum quænam sit in casu particulari *significatio*, minime sufficere ut v. g. sola *verba* prolata attendantur, sed **omnia simul esse inspicienda**, varia nimirum adjuncta quæ possunt vario modo modificare sensum quem verba de se haberent (1).

In qua re optime animadvertes convenientiam dicendorum cum iis quæ dici possent in materia valde connexa, *mendacii* nempe, prout, occasione data, in notis subjiciemus (2).

Hinc sequitur quomodo dijudicandæ sint:

I. Blasphemiæ mere materialiter seu recitative prolatæ.

Stricte loquendo, blasphemia *materialis* duplici sensu sumi posset: *Primo* quo significat locutionem revera Deo contumeliosam, adeoque objective et materialiter peccatum, sed quæ subjective non imputatur ad culpam, eo quod desit sufficiens cognitio et deliberatio,

---

(1) Varias applicationes habes jam supra, t. XIII, pp. 573, 580, 624, 665 ss., 570.

(2) Ita jam quod attinet ipsum sensum vocis *locutio*. Etiam mendacium definitur: *locutio* contra mentem. ubi locutio idem sonat ac *significatio, expressio;* de qua ulterius hæc habet Ill. Waffelaert, *Dissertation morale sur la malice du mensonge*....., p. 55: « Il n'y a pas mensonge toutes les fois que l'*expression* n'est pas en opposition avec le jugement intérieur.... Or cette expression d'un jugement intérieur peut se faire, ou en *paroles*, qui en sont les signes expressifs naturels et propres, ou bien per accidens par des *actes* et des *choses*, ou bien des deux manières à la fois....: Si les *actes* extérieurs répugnent comme signe au jugement intérieur, c'est un mensonge *de fait* (mendacium *reale*).... Si ce sont des *paroles* qui sont en opposition avec le jugement intérieur, il y a mensonge *proprement dit* ». Eodem modo notant AA. blasphemiam *proprie dictam*, eam esse quæ *verbis* fit, adeo ut si alicubi reservetur peccatum blasphemiæ, hæc reservatio attingat solam blasphemiam verbalem, non autem realem.

quæ ad omne peccatum formale requiritur. Talis esset v. g. blasphemia prolata a puero; blasphemiæ prolatæ « in somno, phrænesi, subito motu passionis vehementis, quo prius verba proferuntur quam sensus attendatur. (Item) in ebrietate perfecta, nullo modo prævisis blasphemiis, puta quia numquam expertus est se ebrium blasphemare » (1). Item blasphemia quam quis profert, ignorans ipsam esse blasphemiam, etc. — Quo casu, adest quidem materiale peccatum blasphemiæ, non vero formale (2).

Altero sensu, de quo hic proprie quæritur, blasphemia materialis, seu melius quæ mere recitative seu historice seu narrative profertur, talis est quam mere exponendo refert lector in schola, pœnitens et confessarius in confessionali, testis in judicio, persona in theatro, relator in diariis vel libris, sicut in S. Scriptura refertur impium dixisse: *Non est Deus.* — Talia dicta revera *non sunt blasphemiæ,* nequidem materialiter. *Significatio* enim minime est: Deum non existere; vel: Deum esse damnandum, etc., sed significatio *hæc* est: *Impius dixit Deum esse injustum; qui optat Deo damnationem, peccatum blasphemiæ committit; tali die et loco talis homo protulit hanc blasphemiam;* dixi Deum esse injustum; etc. (3). — Poterit tamen in tali relatione interdum adesse levis quædam irreverentia, si nempe fieret sine necessitate

---

(1) Ill. Waffelaert, *Confessarius rite....* p. 18.

(2) Notabis hic *discrimen* a *mendacio*, præcise oriundum ex *altero* elemento quo *differunt* blasphemia, locutio *contra Deum*, et mendacium, locutio *contra mentem*. Hinc enim sequitur mendacium non esse, nequidem materiale, si externe significo illud quod *objective* quidem falsum est, sed quod ego subjective verum puto. Talis enim non est locutio *contra mentem,* sed *juxta* mentem. Contra si bona fide profero verba objective Deo contumeliosa, adest locutio *contra Deum,* adeoque materiale peccatum blasphemiæ.

(3) A pari, si heri Petrus mendacium protulit, et hodie narrat *se heri hoc mendacium protulisse,* sane non mentitur nunc, sed omnino verax est. — Ratio proinde non est in *modo* quo proferuntur *blasphemiæ*, et multo minus in eo quod daretur *ratio sufficiens* ad proferendam blasphemiam.

vel utilitate; imo posset interdum adesse scandalum, eo quod sic audientes blasphemias doceres (1).

II. **Blasphemiæ jocose prolatæ.**

Juxta dicta, videndum est, utrum *omnibus* inspectis, inspectis in specie intentione et adjunctis jocosis, maneat contumeliosa Deo. Ad hoc ut absit contumelia *imprimis* requiritur ut desit *intentio* Deum contumelia afficiendi. Etsi enim adjuncta externa auferrent contumeliosam significationem, maneret tamen objective (2) peccatum grave blasphemiæ (3). Sola autem *intentio* jocandi, quum nequeat auferre externam significationem, blasphemiam non aufert (4); quare *ulterius* requiritur ut *adjuncta* revera tollant pravam significationem, ita np. ut « animus Deum non contumeliandi ex adjunctis satis manifestetur, ut rationabiliter possint audientes ita interpretari animum loquentis. Quodsi prævideat loquens audientes, non quidem fictos sed sinceros, nihilominus non esse ita accepturos verba, non excusabitur a blasphemia, nisi clarius manifestet suum animum. Et si postea tantum videat auditores sinceros serio verba accipere, tenetur illis veritatem

---

(1) Ita non semper approbanda sunt diaria, quæ referunt varias horrendas blasphemias puta in comitiis publicis ab acatholicis prolatas. — Item notavimus supra t. XIII, p. 581 nota 2º sedulo cavendum esse confessario vel concionatori, ne claritatis gratia fideles proponant modum practicum blasphemandi, puta: « Si *sic* diceres: Deus sit damnatus, tunc blasphemares »! Eadem ratio vetat, ne fidelibus forte de eo non cogitantibus, proponamus sensum *maledictum* cujus vox *Sacré* capax est.

(2) Dicitur: *objective*; nam subjective poterit quis bona fide putare se non blasphemare, adeoque *culpam* formalem seu subjectivam blasphemiæ non incurrere.

(3) Quæstio subtilior poni posset utrum *externa* an *interna* blasphemia talis dicenda esset. Diceres *internam* eo quod supponitur deesse, propter adjuncta, significationem externam Deo injuriosam, adeo ut sola voluntate interna consummetur injuria. Diceres *externam*, eo quod talis homo de facto signum aliquod externum adhibet et ordinat ad Deum injuriandum, quæ ordinatio adstantibus sane non nota, Deo tamen nota est. Præplacet hoc alterum dici. Practice tamen quæstio parum refert.

(4) Cfr. supra, p. 41 s., cum notis *ibid.*

aperire » (1). Tales sunt v. g. variæ quotidie narratæ, recreationis et joci gratia, sic dictæ « historiæ » vel « fabulæ », in quibus de Deo vel de Sanctis incongrua interdum narrantur; imo talia quæ, si secundum se, abstractione facta ab adjunctis consignificantibus, sumerentur essent blasphemiæ hæreticales. Quo item possunt referri varia effata supra (2) relata, *si lapis caderet de cœlo, in me caderet; Deus videtur mei oblitus,* et similia, quæ solent a loquente non proferri et ab audientibus non apprehendi sensu pravo quem de se sonant (3).

Apparet tamen sæpe satis mirum et ineptum esse in tali materia jocum quærere, et sæpe periculosum esse ne deficiant conditiones requisitæ ad tollendam blasphemiam; item, his præsentibus, sæpe tamen manere levem quandam in Deum vel Sanctos irreverentiam.

III. **Blasphemiæ ficte prolatæ.**

Quæ iterum duplici sensu possunt intelligi : *uno sensu*

---

(1) Ill. Waffelaert, *Confessarius rite institutus*... p. 24. — Sic Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, n. 370: « Etiam ad jocandum, sine propria intentione contemptûs, blasphema loqui, a peccato gravi tum immune non est, quando vera inhonoratio seu contumelia erga Deum apud audientes existit: quod fit, si quis de Deo divinisque rebus contemptim jocatur. Verum si jocose quædam dicuntur, quæ serio dicta essent blasphema, blasphemia non sunt, quando apud audientes contumelia erga Deum cum tali locutione conjuncta non est ». — Patet paritas cum mendacio jocoso. Petro narras factum aliquod quod novisti esse falsum, ex *intentione* jocandi, causa delectationis, recreationis. Si intentio tua Petro manifesta esse nequit, mendacium erit; si varia adjuncta, puta res narrata, sufficienter intentionem produnt ut possit morali quodam conatu a Petro percipi, deerit mendacium (etsi forte interdum non erit sufficiens *manifestatio* positiva veritatis). Talia enim adjuncta mutant sensum verborum tuorum.

(2) t. XIII, p. 665 s.

(3) Sumas exemplum eorum quæ narrantur de scala S. Joseph. Hæc *de se* Deo et Sanctis sunt irreverentialia et hæreticalia; *adjuncta* autem auctoris, vel scopi intenti, etc., omni legenti manifesta, produnt hæc non tali animo, sed optimo contra fine proferri, adeoque tollunt significationem pravam, quam verba et res narratæ de se habent. — Et intelligitur talem correctionem, per adjuncta auctoris, scopi, etc., non ita raro *deesse* pro similibus « *fabulis* » quas *prava* diaria vel scripta jocando suis lectoribus exhibent.

quo significant casum illius qui externe vere blasphemat, sed minime ex intentione directa Deum inhonorandi, sed, puta, ad terrendos homines vel bestias, ad admirationem excitandam apud audientes, etc.; *altero sensu* quo complectantur casum illius qui verba vel signa, quæ ab adstantibus errore particulari (1) et irrationabili pro blasphemia habentur, eo fine adhibet ut pro blasphemante ab auditoribus habeatur. Priori casu dices blasphemiam fictam; altero vero potius fictionem blasphemiæ.

Utroque autem casu objective (2) adest blasphemia: *Priori enim casu*, quævis sit *intentio*, nequit hæc efficere *ipsum opus* positum, verba vel signa, jam non esse Deo injuriosa; adeoque intentio non blasphemandi inanis et inefficax est, manetque blasphemia indirecta (3). *Altero casu* adest blasphemia, eaque *directa*. Supponitur enim in verbis vel signis adhibitis adesse *aliquid aliqua ratione* capax ad significandam contumeliam in Deum. Et præcise hanc significationem Deo contumeliosam *intendit* homo tanquam medium ad finem suum, ut np. habeatur qua blasphemator (4).

---

(1) Cur hoc addatur, apparebit ex dicendis ad qu. seq.

(2) Supra, p. 70, nota 2°.

(3) Similiter dum *externe loqueris contra mentem* (in quo est mendacium), absurde *intenderes non mentiri*. Eodem modo « contra externam fidei professionem peccat.... qui negat fidem licet mere externe..., sine interna negatione, quæ est negatio ficta ». Ill. Waffelaert, *Confessarius*... p. 25.

(4) Similiter, etsi pro hominibus communitur sumptis recte loquereris, *si ideo præcise*, alloquens Petrum, talia verba adhibes, quæ cognoscis a Petro perverse intelligi, *ut ipsum decipias*, mendacium erit. Eodem modo « contra externam fidei professionem peccat,... qui loquitur quæ de se non important negationem fidei, eo animo ut habeatur ab audiente tamquam fidem negans, quæ est fictio negationis ». Ill. Waffelaert, l. c.

V

Q. *Ex notione blasphemiæ explica et proba regulam communiter traditam ab auctoribus, ad judicandum de natura blasphematoria* formularum, *esse attendendum non solum proprium sensum verborum, sed et communem æstimationem in loco quodam vigentem.*

R. Sic enuntiatur dicta regula ab Ill. Waffelaert, *Confessarius rite institutus*... p. 26: « Speciatim quoad locutionem verbalem, ut sensus blasphemus determinetur, non sufficit attendere significationem etymologicam, nativum et *proprium sensum* litteralem, sed etiam *usus* est inspiciendus, qui potest significationem substantialiter mutare: adeoque et *communis apprehensio* ac æstimatio seu usualis interpretatio patriæ, civitatis, *loci*, eaque *actualis* debet attendi, sicut enim locus, ita et tempus mutat usum ». — Circa quam hæc notari possunt:

1. Ratio asserti hæc est: Blasphemia essentialiter est in significando contumeliam in Deum. Significatio autem alicujus dicti (1), vel, siquidem de hac agitur, alicujus « formulæ », non tantum pendet a significatione quam verba *de se*, etymo suo, præ se ferunt, sed, et potissimum (2), a modo quo communiter formula illa apprehenditur (3). Unde etiam patet apprehensionem

---

(1) Idem cæteroquin dices de variis *factis* aut *gestibus*, quorum nimirum vis significandi potissimum pendet a conventione et æstimatione hominum, adeo ut varia esse possit pro variis locis, temporibus, adjunctis.

(2) Cæterum, nonne denique tandem sensus etymologicus pendet ab æstimatione communi? Cur verba dicuntur *de se* habere talem sensum determinatum, nisi quia olim hunc sensum ipsis tribuerunt, seu quia ad talem conceptum significandum, conventione communi, tale signum verbale assumpserunt?

(3) Sic vox apud nos usitata « *liberaal* », ex etymo suo minime sensum pravum, sed bonum habet; et tamen æstimatio communis apud nos hodie ipsi tribuit sensum pravum. Vox *modernismus*, nativo suo sensu minime sonat pessimum illud, quod, juvantibus variis adjunctis, communiter hodie ipsi tribuitur.

hanc communem esse sumendam relate ad certum *tempus,* certam *regionem*, certa *adjuncta*, et sic variam esse posse pro variis adjunctis.

2. Ut autem æstimatio possit revera affigere alicui formulæ aliquem sensum, requiritur æstimatio vere, sensu nimirum morali, *communis,* et proinde non sufficit æstimatio existens apud quosdam, vel imo apud multos; imo requiritur æstimatio communis *certo existens*, juxta regulam communiter traditam de blasphemiis dubiis. Unde ut æstimatio communis de indole blasphematoria stabiliatur, non sufficit adducere certam classem hominum rem male apprehendentium, puta pueros, vel præcise rudissimos et minime excultos homines; vel eos tantum qui formulas proferunt, sed *omnium* indaganda est æstimatio. Inde, ut diximus t. XIII, p. 623, ut æstimatio communis de indole blasphematoria, puta formulæ G. v. d. nobis jam non videatur existere, non requiritur ut omnes vel major pars rem bene cognoscant; si enim bene multi sufficienter edocti existunt, vel saltem de re dubitant, jam nequit stare simul æstimatio communis in contrarium (1).

---

(1) Hinc, ubi l. c. diximus æstimationem communem de indole blasphema G. v. d. apud nos jam non existere, *minime* intendimus dicere jam dari æstimationem communem in sensum oppositum, ac si communiter æstimare deberent homines G. v. d. *non* esse blasphemiam! Hinc resolvere liceat quod in relatione conferentiarum civitatis N. invenimus. « Attentis quæ in confessione audiuntur, dicendum est in hac civitate: 1°/ Rudiores, qui semel in anno confitentur, G. v. d. tanquam blasphemiam habere. 2°/ Eos qui magis edocti sunt ac sæpius sacramenta recipiunt, et qui de hac formula se accusant, *tres* de *decem* incipere credere eam jam non esse blasphemiam. Quum autem blasphematores præcipue ii sint qui non vel raro confitentur, dicendum est hanc æstimationem communem de indole blasphematoria adhuc pergere in hac civitate ». — Attentis expositis, quæ sane in aliis locis sæpius obtinent, sine dubio concluderemus tali loco dictam æstimationem *communem* jam *non* vigere. Ex expositis enim 1/ sequitur *ad summum, proferentes formulam* communiter æstimare G. v. d. esse blasphemiam; sed num *hæc* est æstimatio communis *civitatis N.?* Etiam cæteri interrogandi essent, inter quos utpote magis excultos non ita parvum numerum invenires, qui, ex audito monito Episcoporum, auditis varia occasione instructionibus, audito miro ru-

3. Applicationes habes: formulam *G. v. d.*, quæ, ante aliquot annos, contra sensum genuinum verborum *in se*, habebatur communiter ut Deo contumeliosa; formulam *S. n. d. D.* quæ, etsi *de se* duplicem sensum habeat, unum pravum, alterum bonum, et hunc magis obvium et origini formulæ congruentem, communiter variis in locis hodiedum apprehenditur ut necessario blasphema; formulam ipsam *N. d. D.*, quæ testibus *Collat. Namurc.*, t. 2, p. 199, ante aliquot annos in illa diœcesi communiter habebatur ut blasphemia; formulam *Sanctus diabolus*, quam Berardi, *Praxis confessariorum*, ed. 1884, n. 86, refert ut vulgarem in Calabria, et quæ, etsi in se considerata honorem tribuat diabolo, in communi tamen sensu populi, pro signo honoris diabolo præstiti, minime habetur. — Ex quibus sequitur æstimationem communem efficere posse, non tantum ut « quæ secundum etymologiam et grammaticam blasphema essent, non semper re ipsa pro blasphematoriis habenda sint, sed etiam e converso aliquando pro blasphematoriis ea habenda sint quæ ex etymologia contumeliam non continent » (1). Applicationem habes in quæstione de formulis *corruptis,* ubi v. g. ex æstimatione communi pendet quod *dju*, non autem *dji* ponitur pro voce *Dieu*.

---

more publico blasphemias hodie aboleri, audito testimonio illorum qui se accusaverunt in confessionali, etc., sciunt G. v. d. non esse blasphemiam, vel saltem de eo dubitant. Et patet tanquam testes idoneos æstimationis populi non præcise ipsos rudissimos homines esse excultioribus præponendos! 2/ Diximus: *ad summum*. Nam etiam nequit dici *proferentes communiter* æstimare G. v. d. esse blasphemiam, quum ex iis qui magis exculti sunt inter hos, jam dentur *3* de *10* qui sufficienter edocti existunt.

(1) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, t. I, n. 365. — Nonne eodem modo multa explicares in materia mendacii? Importuno advenienti respondet ancilla: Herus non est domi, optime sciens ipsum esse domi. Non mentitur! Cur? Præcise quia, ex modo sic communiter agendi et inde nata æstimatione communi hæc verba jam *non* significant quod *de se* significare videntur, sed *hoc:* « *Herus non est domi*, vel, *saltem te non cupit recipere* ». Ergo ne dicas: Ancilla *excusatur* a mendacio, seu, hoc casu licet mentiri quia, v. g., omnes sic faciunt, sed: ancilla *non mentitur*. Sunt enim verba ipsius, prout communiter æstimantur, bene conformia menti ipsius.

Et notamus, contra alios, ad hoc ut æstimatio reddat aliquam formulam blasphemiam, non requiri ut æstimatio tribuat sensum *determinatum* aliquem huic formulæ; sed sufficere ut vago modo formulam ut *aliquid* Deo injuriosum accipiat. Ita si nostri flandri, linguæ gallicæ indocti, communiter putant S. n. d. D. esse blasphemiam, non videtur nobis ratio esse quia communiter putant *Sacré* significare *maledictum* vel excecrabile, ut alia occasione dicemus.

4. Stante autem æstimatione *communi* (1) in sensum blasphemum, tales formulæ habendæ sunt et tractandæ ut *blasphemiæ,* eo loco, eo tempore, illis adjunctis pro quibus existit æstimatio communis. Unde qui eos dictis adjunctis profert, *blasphemat,* etiam si ipse intendat sensum alium eumque forte magis proprium, ut si quis ante 20 annos apud nos, prodiens in publicum, clamasset G. v. d., *intendens* ipse *sensum:* Deus damnet me. Nequit enim ipse solus intentione sua mutare modum communem loquendi et intelligendi (2). At contra, si ex errore *particulari* adstantium, puerorum, rudium, devotarum, putatur blasphematoria formula quæ talis non est, tunc *non* blasphemat, etiam si sciat errorem audientium, (etsi tali casu scandalum dare possit), dummodo non velit ita se ostendere blasphematorem, ut dictum est supra, p. 72.

5. Subjicimus quasdam difficultates, in quarum solutione ulteriores explicationes dictorum invenies, et simul in genere modum practicum in talibus servandum.

---

(1) Talis autem æstimatio communis, ubi, contra sensum etymologicum formulæ tribuit sensum blasphemum, corrigi prudenter *poterit,* et proinde, ob honorem Dei et salutem animarum *debebit* corrigi. Cfr infra, nº 5, Dices 4.

(2) Nonne idem in materia mendacii? Amico dicis Petrum esse « *liberaal* », *intendens* quidem tu sensum nativum vocis quo dicit v. g. misericordem in pauperes, sed illud dicis talibus adjunctis in quibus communiter vox auditur in sensu hodierno *pravo,* nonne mendacium profers?

Dices 1. Supposita æstimatione communi habente S. n. d. D. ut blasphemiam, si ego eam profero *intendens* sensum: *Saint*, audientes quidem *putabunt* me blasphemare; sed *Deus* cui manifesta sunt abscondita cordium, sciet me non blasphemare.

Resp. Hæc intentio tua forte poterit *subjective* propter bonam fidem tuam te excusare a culpa, sed *objective* aderit blasphemia. Hæc formula enim, ob æstimationem communem, *habet* hisce adjunctis sensum Deo injuriosum, eamque adhibendo, tu publice appares tanquam Deo injuriam inferens: *intentio* tua, *non manifestata*, indolem pravam non aufert, significationem non mutat.

Dices 2. Sed si, priusquam profero, auditoribus dicerem: « Vos erratis, putantes hæc esse blasphemiam; en, optimo sensu potest intelligi: *Saint* n. d. D., et ego eam sic intelligo ». An blasphemarem? Item si, genibus flexis, manus jungam, et pie ad Deum mentem attollo, et laudare intendens Dei nomen, dico: *Sacré*, – an blasphemarem? Si negas, ergo rejicis omnia hucusque exposita.

Resp. His casibus *non* blasphemas, *juxta* dicta. Æstimatio communis enim nequit sensum blasphemum tribuere alicui dicto, nisi *pro tempore, loco et adjunctis, pro quibus æstimatio existit*. Jamvero ad casus allatos se non extendit dicta æstimatio: in 1° casu, manifestatione tuæ intentionis, te ipsum ponis in adjunctis quæ æstimatio non attingit: item patet in secundo (1).

---

(1) Paritas optima adest in materia mendacii, quam liceat vulgari exemplo evolvere. Vox flandrica nostra: Koorn, in regione Thiletana significat ex æstimatione communi *secale* (rogge), dum in regione Poperingana ex æstimatione communi significat *frumentum* (tarwe). Si quis ex T. tendit in P., ibidemque *suo modo* loquitur de koorn, cum viris ex P., mendacia proferet; quia, dum est in P. debet rationem habere sensus quem verba hic habent, et se illi conformare; si vero in antecessum moneret se vocem *koorn* alio sensu intelligere, jam non mentitur, quum æstimatio communis hæc adjuncta non attingat; item non mentitur, si in regione P., cum alio viro ex T. loquitur de koorn in sensu T., nam iterum æstimatio communis hucusque non extenditur.

Item videtur æstimatio communis non attingere casum illius qui solus in cubiculo v. g., in motu iræ, exclamaret S. n. d. D., intendens ipse, etsi interne tantum, sensum *saint*. Talis enim de facto *coram nemine* apparet qua Deum injurians.

Dices 3. Sed talis æstimatio communis sæpe erit omnino irrationabilis! Quo jure talis ego rationem habere debeo?

Resp. Vi notissimi principii: usum esse patrem linguarum. Verba sunt signa conceptuum arbitraria, conventionalia, ad quorum sensum determinandum proinde ratio habenda est conventionis, seu modi quo communiter ea intelligunt. Eodem proinde jure quo non posses dicere Petrum esse *homicidam*, intendens interne ipsum esse *virum mansuetum*.

Dices 4. Sed si hæc omnia ita se habent, quomodo unquam potuerunt et possunt hodie dicere: G. v. d. non esse blasphemiam. Certissime enim ante 20 annos erat, ex æstimatione communi blasphemia. Unde qui primus inceperit dicere pœnitentibus G. v. d. *non* est blasphemia, errabat et in errorem inducebat.

Resp. Concedimus quod ille qui *ab initio simpliciter* dixisset: G. v. d. *non* est blasphemia, errasset. Sed præcise *non sic* processerunt, sed paulatim et prudenter conati sunt corrigere hanc æstimationem communem, dicentes v. g.: « Hæc formula *de se* non *esset* blasphemia, *si homines bene intelligerent;* sed quum hodie communiter putent eam esse blasphemiam, *ideo* debes illam cavere tanquam blasphemiam, etc. » Cfr. modum tunc temporis propositum apud Ill. Waffelaert, *o. c.*, p. 20 ss., item *Collat. Brug.*, t. III, pp. Talibus mediis paulatim cæperunt homines animadvertere æstimationem de indole blasphematoria esse exaggeratam, et sufficienti numero illud animadvertentibus, jam non existebat æstimatio communis, ut, monito suo, quasi authentice declararunt et multum confirmarunt Episcopi (1).

A. Vander Heeren.

---

(1) Hinc non possumus probare modum propositum a *Collat. Namurc.*, t. 3, 254 ss., quoad formulam Sacré n. d. D. Posita æstimatione communi quæ hoc dictum ibi habebat ut blasphemiam, non videtur quo jure *ab initio* confessarii potuerint suis pœnitentibus dicere: « Hoc *non* est blasphemia; nam significat: le Saint n. d. D. » Ut nobis videtur, prius per aliquod tempus fuisset *præparanda* materia, ut, æstimatione vere communi jam non obtinente, potuerint *tunc recte* negare indolem blasphemam.

Nota. Dixit quidam corrigendum esse modum loquendi pœnitentium ubi dicunt: « Protuli illam magnam blasphemiam quæ nunc abolita est ». Sic loquentes minime corrigerem, quum talis modus ostendat ipsos rem forte male *dicere*, sed bene *intelligere*. Attamen utile esse posset

VI

Q. *Prouvez que la thèse de la séparation absolue de l'Église et de l'État est fausse et pernicieuse?*

R. « Qu'il faille séparer l'État de l'Église, c'est une thèse absolument fausse, une très pernicieuse erreur ». Ainsi s'exprime S.S. Pie X dans son encyclique *Vehementer nos* (1) réprouvant la loi de séparation en France. Nous empruntons au même document les raisons qui condamnent la doctrine de la séparation absolue des deux pouvoirs (2), défendue, soit au nom de la souveraineté de la raison humaine, soit au nom de l'indifférentisme religieux ou de la séparation de l'ordre temporel et spirituel et conséquemment de la fin des deux sociétés (3).

I. *Cette thèse nie le droit de Dieu à un culte social* (4).

En effet, le Créateur de l'homme, en voulant que celui-ci s'unit à ses semblables, afin que les besoins de sa nature puissent trouver dans l'association la satisfaction que des efforts solitaires seraient impuissants à

---

aliquam explicationem addere, ut intelligant non pro arbitrio quasi statui vel aboleri blasphemias, puta: Nunquam fuisset blasphemia si eam bene intellexissent homines; vel: Immerito eam olim tanquam blasphemiam habuerunt.

(1) V. *Collat. Brugen:* 1906, t. XI, p. 203 ss. Traduction française dans É. Ollivier, *Nouveau manuel de droit ecclésiastique français,* t. II, p. 258 ss. Paris, 1907.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. I, nº 32, p. 34; Van den Berghe, *L'Église et l'État,* p. 72; Moulart, *L'Église et l'État,* éd. 4, p. 262; Planeix, *L'Église et l'État. Leur séparation en France,* p. 161 ss. Paris, Lethielleux, 1906; Claraz, *De la séparation de l'Église et de l'État d'après l'Encyclique « Vehementer »,* Paris, 1907. Ouvrage plus général: Rothenbücher, *Die Trennung von Staat und Kirche,* München, 1908, xvi-480 p.

(3) V. dans De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.,* p. 33 les diverses acceptions du mot séparation de l'Église et de l'État, et nº 36bis, p. 41 ss. l'exposé des principes du libéralisme.

(4) Les arguments de Pie X sont empruntés aux encycliques de son prédécesseur Léon XIII. Voir les textes dans Cerceau, *Catéchisme de Léon XIII,* p. 88 ss. Paris, 1901.

lui donner, est aussi le fondateur des sociétés humaines. Il leur donne, autant au moins qu'à l'individu, la conservation et la multitude de ses biens. C'est pourquoi, de même que l'individu doit reconnaître Dieu comme son principe et rendre à son autorité l'hommage de son culte, en embrassant non la religion qu'il lui plaît, mais celle que Dieu a prescrite et que des preuves certaines établissent comme étant la seule vraie ; de même, les sociétés ont l'obligation stricte d'honorer leur auteur et bienfaiteur, suivant les règles et le mode que Dieu lui-même a déterminés, et ne peuvent sans crime se conduire comme si Dieu n'existait pas, ou se passer de la religion comme étrangère ou inutile, ou en admettre une indifféremment selon leur bon plaisir.

Or, cette religion que les individus comme les sociétés doivent professer, c'est la religion catholique.

II. *Cette thèse est la négation de l'ordre surnaturel ou du moins méconnaît la subordination de la fin temporelle à la fin spirituelle* (1).

« La thèse de la séparation des deux pouvoirs limite l'action de l'État à la seule poursuite de la prospérité publique durant cette vie, qui n'est que la raison prochaine des sociétés politiques, et elle ne s'occupe en aucune façon, comme lui étant étrangère, de leur raison dernière qui est la béatitude éternelle proposée à l'homme, quand cette vie si courte aura pris fin » (2). Et cependant, l'État a pour fin propre de procurer à ses membres le bien temporel commun, tel qu'il faut le concevoir à la lumière du droit divin, naturel et positif. Or cette fin temporelle, poursuivie par les hommes vivant individuellement ou réunis en société, est un moyen pour l'obtention de l'éternelle félicité et en conséquence est subordonnée à la fin spirituelle.

---

(1) Textes des encycliques et actes de Léon XIII dans Cerceau, *o. c.*, p. 75, 104, 129. Cf. *Collat. Namurcen.*, 1908-1909, t. VIII, p. 142 ss.; *Collat. Brugen.*, 1908, t. XIII, p. 676; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 19, p. 20; nº 25, p. 27; Van den Berghe, *o. c.*, p. 23.

(2) Encyclique « *Vehementer nos* ».

Il en suit que l'État n'a pas seulement le devoir négatif, obligatoire en toute hypothèse, de ne point mettre obstacle à la conquête du bien suprême, mais qu'il a en outre l'obligation positive (1) de nous y aider, en faisant alliance avec l'Église, en dehors de laquelle il n'est point de salut (2).

III. *La séparation sera nécessairement la source de conflits entre les deux sociétés et de troubles pour les consciences* (3).

Si l'État a la faculté d'établir sa législation sans se soucier de celle de l'Église, il se fera inévitablement que certaines matières seront régies par des ordonnances contraires ou contradictoires, soit par le fait de l'ingérence des gouvernants civils, soit de par la nature même des choses dans les matières communes aux deux sociétés. Si l'on considère que les graves questions relatives au mariage, aux écoles, à la propriété, intéressent au plus haut point l'Église et l'État, on se convaincra sans peine de la nécessité d'un accord à l'amiable, à moins d'affirmer que la volonté du pouvoir civil prévaudra toujours, ce qui équivaut à reconnaître à l'État le droit d'opprimer l'Église. Que si l'on envisage la question du côté des citoyens, sujets de l'État et de l'Église, il n'en faut pas moins rejeter le système de la séparation, parce que la conscience humaine ne peut être simultanément obligée par deux législations en opposition l'une avec l'autre. « De là, dit Léon XIII (4), naîtraient de véritables angoisses de conscience pour

---

Dr Jul. De Schrevel. *Vade-mecum of zakboekje voor verplegers. (Roode Kruis van België, afdeeling Brugge).* Brugge, L. De Plancke, 1909. In-8°, 168 bl.

Dit werkje, met talrijke platen verrijkt, « bevat de beknopte samenvatting van de lessen die gegeven » worden, onder meer, aan het Groot Seminarie te Brugge.

« Het is verdeeld in vier deelen: *het eerste* handelt over den mensch, het voorwerp onzer zorgen; *het tweede* over de geneesmiddelen en het verbandgerief ten gebruike van de verplegers van het Rood Kruis; *het derde* over de ongevallen en ziekten welke spoedige hulp vragen, alsmede hunne behandeling; *het vierde* over het geleiden, verdragen en vervoeren van gekwetsten en zieken nadat zij de eerste zorgen ontvangen hebben », met een aanhang over ontsmettingsleer en ziekenverpleging.

---

(1) Cf. etiam ejusdem Auctoris opuscula ex collectione *Science et Religion: La Pénitence publique dans l'Eglise primitive*, 1903, et *La Confession sacramentaire dans l'Eglise primitive*, 1903, necnon *Dictionnaire de Théologie*, vo *Absolution*.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii.

—

I

Expone typicam interpretationem historiæ duorum filiorum Abrahæ Gal. 4, 21-31. Quomodo inservit argumentationi Apostoli in hac parte epistolæ?

II

Utrum voluntas Dei semper impleatur. Cf. S. THOMAS, I, Q. XIX, a. 6.

III

An et quare omne peccatum morale est offensivum Dei seu peccatum theologicum?

IV

Accurate per summa capita delimitetur influxus voluntatis in ordine ad inveniendam et admittendam veritatem in genere.

V

Exinde breviter indica quidnam valeat voluntas in ordine ad hoc ut homo disponatur ad actum Fidei theologicæ, illumque eliciat, habitumque Fidei conservet.

VI

Quid est et quotuplex distinguitur missa *votiva?*

Viennent de paraître :

Exhortation de S. S. Pie X au clergé catholique. Texte latin avec traduction française, annoté par **J. Mahieu**, S. T. L., Directeur du grand Séminaire. Bruges, Beyaert, 0,40 fr.

A. De Meester. *Règles pratiques pour l'exécution du chant grégorien d'après l'édition vaticane.* Roulers, J. De Meester, une petite brochure in-8, 35 p. Fr. 0,60.

Contenu. Introduction générale à l'exécution du Graduel de l'Édition officielle. — Règles spéciales pour le chant des récitatifs (oraisons, épîtres etc.), la psalmodie et l'hymnodie.

A. De Meester. *Praktische leer ter uitvoering van den gregoriaanschen zang naar de Vaticaansche uitgave.* Rousselare, J. De Meester, in-8, 37 p.

C. Callewaert. *L'étude et l'esprit de la Liturgie* (Extrait des *Collationes Brugenses*, 1908). Bruges, Maertens-Matthys, 35 p. Fr. 0.50.

C. Callewaert. *Les reliques de Ste Godelive à Ghistelles et leurs authentiques* (Extrait des *Annales de l'Émulation de Bruges*, 1908). Bruges, L. De Plancke, 86 p. Fr. 2.00.

— **Kerkelijk kalender** *van het bisdom Brugge voor 't jaar 1909,* aanwijzende al de oratiën en bijzonderheden der Mis van iederen dag en der Vespers van iederen Zon- en Feestdag, 64 bl. Prijs 0.15 fr.

Nuper prodierunt apud domum editricem H. Dessain, Mechliniæ, *Missæ propriæ pro diœcesi Brugensi,* in-8, 27 p., quæ per modum appendicis ad Graduale Romanum vaticanæ editionis addendæ sunt.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. *Explica Mt* 16, *28 coll. Mc* 8, *39 et Lc* 9, *27. An et quare eodem modo interpretaris verba* « *donec* veniat Filius hominis » *apud Mt* 10, *23?*

Respondetur. A/ Interpretatio *Mt* 16, 28.

Mt 16, 28	*Mc* 8, 39	*Lc* 9, 27
Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.	Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute.	Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

Hic locus Mt 16, 28 difficilis est; difficultas autem oritur tùm ex ipso textu v. 28, tùm ex contextu, sc. e v. 27.

Textus significat: *Amen dico* seu assevero *vobis, sunt quidam* (ergo non omnes) *de hic stantibus qui non gustabunt* seu experientur (1) *mortem donec videant Filium hominis* seu Messiam (2) *venientem in regno suo* sc. messianico (3). Difficultas adest, quia hujus regni religiosi et spiritualis a Christo prædicati duplex in N. T. stadium distinguitur, sc. stadium *inchoationis* his in terris, stadiumque *consummationis* in cœlis quod ad-

(1) Est hebraismus: cf. *Jo* **8**, 52; *Hebr* **2**, 9.
(2) Cf. omnino *Collat. Brug.*, t. **7**, p. 633 ss.
(3) Cf. denuò *Collat. Brug.*, t. **7**, p. 578 ss.

ventu Christi ad judicium ultimum inaugurabitur. De quonam autem stadio hîc agitur?

Prima fronte agi videtur de stadio consummationis et de adventu Christi judicis in fine mundi. In *contextu* enim v. 27 de *glorioso* Christi reditu sermo fit: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. Verùm (1) a principio removenda est interpretatio quæ adventum Christi v. 28 annuntiatum plane eumdem intelligeret ac adventum ad judicium universale in v. 27 descriptum. Christus enim dicere non potuit quia falsum erat, aliquos e suis auditoribus victuros esse usque ad extremum judicium. Nec concedi potest quod quidam suspicantur, sc. Matthæum verba Christi male recitasse et ipsum, ex falsa qua laboraret opinione, substituisse talia verba quæ extremum judicium tanquam vicinum significarent (2). Hoc concedi non potest, quia inspirationi sacrorum librorum repugnat.

Præterea, si Matthæus **16**, 28 extremum judicium ut proximum significaret, secum ipse pugnaret; siquidem ipse parabolam proposuit de bono semine et zizaniis (**13**, 36-43), de perfidis vinitoribus (**21**, 33-46), promissionem Christi de Petri primatu (**16**, 17-18), promissionem Christi se cum Apostolis futurum « omnibus diebus usque ad consummationem sæculi » (**28**, 20), quæ omnia terrenum regni stadium ultra tempus unius generationis extendere videntur (3).

Liagre, Ceulemans aliique post plures SS. Patres multosque auctores (4) interpretationi favent, quæ verba apud tres Synopticos intelligit de *prædictione*

---

(1) Ut observat CEULEMANS, *Commentarius in Evangelium secundum Matthæum*, Mechliniæ 1900, p. 227.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. **11**, p. 529 ss. Satis liquet in præsenti casu non posse applicari quæ ibidem n° 3° et 5° (hypothetice) proposuimus.

(3) Cf. LAGRANGE apud *Rev. Bibl.*, 1906, p. 563.

(4) S. AUG., S. HIER., S. JOAN. CHRYS., S. LEO M., — TOLETUS, MALDONATUS, LUCAS BRUG., CORN. A LAP., PATRITIUS, KILBER, etc.

Transfigurationis. Proinde sic explicant verba Christi apud Mt: Sunt quidam de hic stantibus (sc. Petrus, Jacobus et Joannes), qui non morientur donec viderint Filium hominis apparentem in splendore suo regio. Similiter verba apud Lc et Mc « *donec videant regnum Dei* » « *veniens in virtute* », i. e. donec videant regnum Messiæ gloriosum potenter manifestatum, sc. in Transfiguratione.

Verùm hæc explicatio est plane improbabilis. Transfiguratio enim jam facta est post sex dies (*Mt* 17, 1). Jam verò solemnis loquendi modus « sunt *quidam* de hic stantibus, qui non gustabunt mortem », cùm Christus loquatur humano modo, evidenter longum temporis spatium indicat, intra quod *plerique* de hic stantibus mortem sunt obituri.

Unde meritò plerique recentiores interpretes (1) verba « venientem in regno suo » intelligunt *de Christo veniente ad excidendum Jerusalem, et* (2) *ad firmiter fundandum regnum messianicum seu Ecclesiam*. Huic explicationi favent verba Lc et præsertim textus Mc « regnum Dei veniens in virtute » i. e. regnum Dei quod *jam venit* (partic. temp. perf.; ἐληλυθυῖαν) in virtute (ἐν δυνάμει). Quod ità gallice reddi potest (3): « Il en est parmi ceux qui sont ici quelques uns qui ne goûteront pas la mort, avant qu'ils n'aient vu le règne de Dieu *venu* en puissance, c'est-à-dire réalisé efficacement, entré en scène avec une énergie divine ».

Revera virtus Christi divina in fundatione Ecclesiæ (quam tot comitatæ sunt *virtutes* δυνάμεις) seu miracula, clare eluxit, dum ruina civitatis et Templi antiquam œconomiam penitus e medio tulit regnumque messianum spirituale firmavit.

---

(1) Ita Calmet, Bisping, Beelen, Reischl, Fillion, Van Steenkiste, Knabenbauer, Rose, etc.

(2) Quod plures addunt.

(3) Cf. *Rev. Bibl.*, 1906, p. 564 s.

B. Apud *Mt* 10, 23 « *Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis* », non agitur de adventu Filii hominis ad excidendum Jerusalem. Quod non de hoc adventu, et multo minus de Christi reditu ad extremum judicium agatur, patet vel ex hoc quod Christus, mittens Apostolos « ad oves quæ perierunt domus Israel » (*Mt* 10, 6), eos *citò* redituros expectabat: hoc Mt, ut e contexta oratione satis liquet, evidenter supponit, illorumque reditum Mc 6, 30 et Lc 9, 10 explicite narrant (1).

Omissis aliis interpretationibus probabilibus (2), hic videtur esse hujus loci sensus: « Priusquam prædicando et miracula patrando (3) perambulaveritis omnes civitates Judæorum, adveniet regnum messianicum ». Etenim ex una parte dictio « Filius hominis », juxta prophetiam Danielis (7, 17) a qua desumpta est, tùm fundatorem regni messiani, tùm regnum ipsum significare potest (4); ex alia parte Messiæ regnum prædicatione et miraculis Apostolorum *inter Judæos* quodammodo inaugurabatur.

A. Camerlynck.

---

(1) Immeritò igitur opinatur Batiffol, (*L'Enseignement de Jésus*, Paris, 5e éd., p. 289 s.) in hoc textu Mt sermonem esse non de brevi missione Galilæa, sed de conversione mundi universi, quasi significaret « que les villes d'Israël résisteront encore au dernier jour, à l'Évangile ».

(2) Cf. e. g. Knabenbauer et Ceulemans, *l. l.*

(3) Cf. *Mc* 6, 12-13; *Lc* 9, 6. Videsis apud A. Camerlynck et H. Coppieters, *Synopsis*, Brugis 1908, integrum § 69, p. 57 ss.

(4) Cf. *Rev. bibl.*, 1900, p. 177; 1906, p. 562; *Collat. Brug.*, t. 7, p. 634.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas: Si homo, moraliter perfectus, certo præsciret filium ex ipso nasciturum esse futurum infelicem seu damnatum in æternum, abstineret a generando; ergo Deus, qui est infinite perfectus et benignus, non potest vitam dare hominibus quos certo cognoscit in æternum esse damnandos.*

R. *Concedo antecedens, negando paritatem nego consequentiam et consequens.*

Explicatur. 1. *Concedo antecedens.* Admissa in Deo cognitione de futuribilibus, possibile foret ut Deus alicui hoc revelaret quod si genuerit filium hic damnandus fuerit. Præterea ille homo, ne magna per totam vitam afficeretur tristitia ex damnatione filii certo cognita, vel ut, quantum in se est, impediat omne peccatum omnemque hominis damnationem, abstineret ab actu generationis. — Non dico illum hominem *obligari* ad abstinendum a generatione, sed ad illam abstinentiam servandam ex sua perfectione morali induci (1).

---

(1) Inde non solvitur difficultas ex distinctione (quæ in quibusdam conferentiis fuit proposita) inter hoc quod ille homo sic agat non ex obligatione sed ex mera perfectione: qua distinctione posita concluditur Deum *non teneri* ad non creandos homines quos præcognoscit damnandos. Dico ex hac distinctione non solvi difficultatem: nam hæc desumitur ex *perfectione hominis* et in hoc consistit: si homo, pura creatura, ita perfectus esse potest ut potius abstineret a generando quam produceret hominem damnandum, cur Deus, etiam ex sua perfectione, non potius abstinet a creandis hominibus in æternum damnandis.

Ut statim dicemus, solutio invenitur in disparitate perfectionis moralis qualis est in Deo et qualis est in homine.

Nec solvitur difficultas respondendo ad antecedens: « Si ille homo prævideret simul bonum effectum ex suo actu proventurum qui compensaret effectum malum ad quem permissive se habet, nego; si secus, concedo ». Quisnam effectus bonus posset, in casu, compensare effectum malum?

Nec apta est in præsenti re distinctio inter voluntalem *antecedentem* et *consequentem* illius hominis, vel inter voluntatem *ut natura* et voluntatem *ut ratio:* quia tota difficultas remanet si admittitur illum hominem voluntate *ut ratio* seu *deliberativa* abstinere a generando.

2. *Negatur paritas:* et duplicem ob rationem. Etenim ille homo eligeret abstinere a generando vel ad *vitandam* intensam *tristitiam* qua afficeretur ex cognitione certa de damnatione filii, vel ad *impediendum,* ex vero zelo, quantum in se est, *peccatum* ac hominis *damnationem*, in qua Deum homo prosequitur odio.

Jamvero quoad utrumque differt homo et Deus ex perfectione unicuique propria.

a/ *Tristitia* consequitur in aliquo ex hoc quod apprehendit proprium malum ut præsens (1). In tantum igitur inesse potest tristitia alicui in quantum potest apprehendere se privari bono, se carere perfectione quam appetit. Inde amor naturalis, quo aliquis *sibi concupiscit* bonum, est radix tristitiæ; si quis non sibi concupisceret bonum nunquam tristaretur de ejus privatione.

Sed qui sibi vult bonum potest etiam et alii velle bonum, quatenus nempe alius consideratur ut *unus cum ipso* (2): sic pater vult bonum filio, filioque vere concupiscit omne bonum, et tristatur de malo filii tamquam de malo proprio: quo intensius est amor patris (et quo perfectior est pater) eo intensior est tristitia de malo filii. Sed, quod bene est notandum, sicut conditio requisita ad tristitiam in aliqua persona de malo quod ipsam afficit est *concupiscere sibi* bonum oppositum, ita conditio requisita ad tristitiam de malo quod alterum afficit est *concupiscere alteri* bonum oppositum. Igitur ad hypothesim nostram: ideo tristitia afficeretur ille pater ex æterno filii supplicio cum certitudine cognito, quia filio concupiscit æternam felicitatem.

In Deo autem nulla esse potest tristitia. Quum Deus sit Summum Bonum, necessario se amat et gaudet de propria bonitate. Non alius voluntatis actus seu affectio

---

(1) Cf. S. Thomas, I-II^{æ}, Q. XXXV, a. 2, a. 8; Q. XLII, a. 3, ad 2.

(2) « Illud quod est unum cum aliquo est ipsummet: unde unumquodque diligit id quod est unum sibi ». S. Thomas, I, Q. LX, a. 4, Cf. II-II^{æ}, Q. XXIII, a. 1. Inde amicus recte dicitur *alter ego*.

est formaliter in Deo. Quum cognoscat se ut infinite perfectum, et prorsus immutabile, nihil boni potest *sibi concupiscere;* nullam boni privationem ut suam apprehendere, ideoque nec timor, nec tristitia ipsi inesse possunt: gaudium solum ipsi convenit.

Sed, quærat quis, quum amet Deus homines amore benevolentiæ non potest tristitiam habere de illorum malo, sicut amicus, etiam felicissimus, compatitur de malo amici? In Deo hoc est impossibile. Nam Deus eatenus actu amat homines, omnesque creaturas, quatenus actu vult bonum ipsorum, idque (in qualibet temporis differentia) efficit (1), ita ut bonitas et perfectio creaturæ semper correspondeat ipsi volitioni divinæ et, consequenter, ut Deus nequeat *concupiscere* aut *desiderare* homini aliquod bonum quo caret, et, tandem, ut Deus nequeat tristitia affici de malo hominis (2). Deus damnando aliquem hominem vult bonum justitiæ, nempe restitutionem ordinis per peccatum læsi, quod bonum habetur in cruciatu hominis culpabilis; non concupiscit Deus hunc hominem esse felicem (3).

Hæc est igitur, sub hoc respectu, radicalis differentia inter patrem humanum ac Deum: ille, quamtumvis perfectus, naturaliter appetit ac desiderat bonum filii, præsertim æternam ejusdem beatitudinem; Deus vero hoc nullius hominis bonum naturaliter appetit ac desiderat; potest Deus hoc libere velle et efficaciter, et

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 614, 663, t. IX, p. 21.

(2) Hic cogitemus quomodo *aliter* amet creatura et *aliter* Deus. Creatura revera *movetur,* attrahitur bonitate objecti et bonitas est proprie *causa* finalis amoris et, secundum hoc, amor est vere *effectus* bonitatis rei apprehensæ. Deus vero *non movetur,* non attrahitur bonitate creaturarum. Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 613 s. « Voluntas nostra, cum excitetur a volito, et causam et rationem habet et quantum *ad se* et quantum *ad volitum,* maxime cum vult aliquid quod est propter finem; sed voluntas Dei, cujus actus est ipse, quia non excitatur aliqua ratione alia a se causam quantum ad se habere non potest » S. Bonaventura, in I, Dist. XLV, dub. 3.

(3) Cf. S. Thomas, I, Q. XXIII, a. 3, ad 1.

tunc fiet. Ultima hujus differentiæ ratio est quod finitus est homo, infinitus vero Deus.

b/ Abstractione facta a tristitia, de qua egimus, considerandum etiam est quod ille homo potest ex vera erga Deum *charitate zeloque* velle abstinere a generando ut sic impediat, quantum in se est, peccatum in hac terra committendum et deinde offensam Deo in æternum illatam ab anima damnata, quatenus hæc in malo est complete obstinata : et sane illam abstinentiam eligeret homo satis in ordine morali perfectus ut ad sanctitatem continuo majorem tendat, omnemque virtutis actum, ipsi possibilem ponat. Sic ad perfectionem ascendere potest homo quia est essentialiter finitus.

Sed in Deo zelus suprà descriptus inesse nequit. Quum Deus sit essentialiter infinitus, tum physica, tum morali perfectione, nec ad majorem tendit perfectionem, nec concupiscit sibi gloriam maximam quæ posset contingere ; nec appetit impedire omne malum, etiam morale, quod posset impedire.

Etenim Dei sanctitas formaliter consistit in illa rectitudine divinæ voluntatis, qua Deus semetipsum ut ultimum finem infinite amat : hæc sanctitas, quæ est ipsa subsistens sanctitas, infinita, immutabilis, non augetur ulla operatione ad extra. Potest utique Deus suam bonitatem aliis, scilicet creaturis, communicare : sed in tantum hoc facit in quantum *suam amando bonitatem* (1) vult eam diffundi, producendo similes Ipsi creaturas : non creaturarum bonitate *allicitur*, nec gloriam suam externam *sibi concupiscit.*

Effectus Dei ad extra, tum distributive sumpti debent esse singuli in perfectione *finiti,* tum collective sumpti debent tendere ad *limitatum* finem, nempe ad aliquam finitam ac limitatam gloriam Dei externam. Ad Deum autem pertinet ex omnibus possibilibus rerum ordini-

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 614.

bus, quos ab æterno cognoscit, eligere unum (1): cur hunc ordinem eligat potius quam alium nescimus omnino, et nullum est Dei attributum quo unus ordo præ aliis possibilibus exigatur.

Sanctitas igitur Dei exigit ut *semetipsum amet*, ut *non nisi ex amore sui ipsius* aliquid agat ad extra, non vero exigit ut maximam, quæ possibilis est, velit externam gloriam: quia hæc est communicatio ad extra, hæc porro omnino libera est, nec aliquid adjungit sanctitati divinæ; hæc iterum sanctitas non opponitur meræ permissioni peccati, quia non lædit illum Dei erga se amorem, qui est infinitus; tandem divina sanctitas non opponitur damnationi, quia hæc est justa pœna, conformis infinitæ Dei justitiæ.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Explica et proba hoc assertum: Executio externa per se non auget moralitatem formalem actus interni efficacis.*

R. Nemini dubium est solum actum *voluntarium*, imo docent communiter theologi solum actum *liberum* esse moralem (2). Porro in actu, qui non est mere elicitus a voluntate, potest spectari tum voluntas seu actus elicitus imperans, tum executio seu actus imperatus a voluntate. In præsenti autem quæstione consideramus voluntatem absque executione et dicimus eam posse retinere integram moralitatem formalem.

I. Explicatur assertum.

Dicitur 1° *Per se,* id est ratione sui et prout est mera

---

(1) Cf. Billot, *De Deo uno et trino,* V. I, thes. XXXII, § 3 (Edit. 1ª, 1893, p. 282 ss.); Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. VII, p. 566 ss.; De Baets, *Quæstiones de operibus divinis,* Lovanii, 1903, p. 242.

(2) Cf. Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis,* ed. 2ª, n. 369; ed. 3ª, n. 375.

executio actus interni. Nam *per accidens* non raro augetur moralitas per executionem : np. ad mentem Angelici (S. Th. 1-2, q. 20, a. 4 in corp.) in quantum occasione executionis externæ actus internus fit magis intensus, diutius continuatur, imo et multiplicatur.

2° *Moralitatem:* consideramus actum sub respectu moralitatis tantum, non vero *effectus*, qui ita alligantur actui externo ut omnino nequeant ex ejusdem voluntate quantumvis efficaci haberi: hujusmodi sunt gratia sacramentalis, indulgentia etc.; item pœnæ latæ in peccata quædam opere consummata, vel obligationes, puta restitutionis, quæ solum ex operis executione oriuntur.

3° *Formalem*, quia executio externa addere potest moralitatem *materialem*.

4° Actus interni *efficacis:* secus enim dicendum est de inefficaci qualis est voluntas (seu potius velleitas) convertendi totum mundum, alendi omnes pauperes, liberandi omnes animas e purgatorio, tantum placendi et obsequendi Deo quantum B. Virgo et Sancti, etc. Sunt quidem hi similesque affectus optimi et utilissimi, quippe qui semper aliquid participant de bonitate actus externi et interdum signa sunt maximi affectus interni (1); sed non habent eam bonitatem quæ esset in executione, cum voluntas illa non sit medium proportionatum ad assequenda ista (2).

II. **Probatur assertum.**

Actus moralitas (bona vel mala) formalis desumitur a voluntate libera. Jamvero defectus executionis, ut supponitur, est involuntarius, adeoque nihil addere vel detrahere potest moralitati formali actionis.

---

(1) Ita ex amoris excessu procedunt plurimi modi laudandi Deum, qui occurrunt in psalmis. Cf. S. François de Sales, *Traité de l'amour de Dieu*, L. V, ch. 8 ss.; Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis*, L. XII, c. 19. Habes exemplum talium affectuum in *Florilegio* (2ª ed.), p. 77: *Laus SS. Sacramenti*.

(2) S. Th. 1-2, q. 19, a. 8. — Cf. Bouquillon, *op. cit.*, n. 370 (n. 376); *Theol. Mechlin.*, *De actibus humanis*, n. 21.

Audiamus S. Thomam (1), qui simul indicat quid sit voluntas efficax: « Non est perfecta voluntas, ait, nisi sit talis quæ opportunitate data operetur. Si vero possibilitas desit, voluntate existente perfecta, ut operaretur si posset, defectus perfectionis quæ est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem, sicut non meretur pœnam vel præmium in operando bonum aut malum, ita non tollit aliquid de præmio vel de pœna, si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum », id est impediatur invitus a faciendo quod efficaciter sibi proposuerat faciendum.

Hinc in sacris litteris voluntas sincera reputatur pro facto, et non minus laudatur aut damnatur, ac si quis factum exercuisset; sic Deus ad Abraham: « Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi » (Gen. XXII, 16-17); et Christus Dominus: « Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo » (Mt V, 28) (2).

H. Mahieu.

IV

Q. *Præmisso momento quæstionis, quæritur de modo quo theoretice sint judicandæ, et practice tractandæ:*

1°/ *Consuetudo blasphemandi;*

2°/ *Blasphemiæ ex consuetudine prolatæ.*

Prænota momentum practicum quæstionis. — *Alia est consuetudo* illarum blasphemiarum, quæ sunt varia *asserta* vel *scripta* Deo vel rebus sanctis contumeliosa (3). Solent istæ cum plena advertentia actuali proferri; et consuetudo earum magis est voluntatis

(1) S. Th. 1-2, q. 20, a. 4 in corp.

(2) Bouquillon, *op.* et *l. cit.*, ubi invenies responsum ad objectiones.

(3) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 575.

ipsius quam potentiarum executivarum; quare de iis nulla specialis difficultas, et optimo jure iis applicas quoad culpabilitatem verba S. Thomæ (1-2, q. 78, a. 2) « quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia », et sic gravius peccat (1). *Alia est consuetudo*, quam solam invenies h. l. ab AA. tractatam, variarum formularum vel dictorum communiter adhibitorum (2) quæ variis nominibus vulgus designat et ut plus minusve ad blasphemiam accedentia habet. — De his proinde agetur.

Revera apud nostrates tales formulæ *de se* vere blasphematoriæ vix sunt in usu, sed tantum formulæ imprecatoriæ in creaturas, aut irreverentiales in Deum. Attamen in his multi adhuc reatum blasphemiæ incurrunt, sive ex conscientia erronea, (puta qui G. v. d. adhuc æstimarent blasphemiam), sive quia in formula ambigua apprehendunt sensum blasphemum (puta qui S. n. d. D. intelligeret: maledictum...) (3), sive quia formula adhibita, etsi de se non vel saltem non necessario blasphema, ex communi æstimatione blasphematoria evasit. Unde *pro his adjunctis* practica sunt dicenda (4).

R. I. **Dijudicatur ipsa consuetudo blasphemandi.** Consuetudo potest esse blasphemandi deliberate, vel blasphemandi indeliberate; de facto erit blasphemandi interdum deliberate, interdum indeliberate, et eo frequentior erit indeliberatio, quo consuetudo magis intensa et inveterata. Cum ideo talis consuetudo constituat periculum proximum de novo blasphemandi, præcaveri debet ne nascatur, et exstirpari ubi existit.

---

(1) *Ibid.*, p. 664.

(2) *Ibid.*, pp. 665 ss.

(3) *Ibid.*, pp. 233 ss.

(4) Cæteroquin, dicenda suo modo applicantur variis peccatis oris, puta juramentis (de quibus cfr. Dignant, *Tract. de Virtute Religionis*, n. 241), vanæ usurpationi, imprecationi in creaturas, etc.

Hinc a/ gravis culpa committitur ab eo qui plene advertit se *contrahere* consuetudinem, eamque nascentem non impugnat. *Practice* tamen vix reperies homines in hoc graviter peccare, cum raro sufficienter advertant periculum peccandi quod exsurgit. Unde confessarius circa hoc non interrogabit pœnitentem, quum sit extraordinarium et præter communiter contingentia.

b/ Gravis culpa contrahitur quoties (1) voluntarie et graviter negligit *retractare et impugnare* habitum existentem. Retractare, i. e. elicire actum voluntatis se in futurum jam non advertenter blasphematurum esse; impugnare, i. e. adhibere seriam curam ad tollendum habitum (2). Ut autem hac ratione peccet, debet imprimis advertere, sive ex se, sive ex monitis, v. g. confessarii, suam gravem obligationem. Unde *practice* iterum raro hanc culpam incurret. Quare practice culpa *gravis* tunc tantum præsumenda erit, quando pœnitens, debite monitus, nullum omnino conatum adhibuit; præsumitur *levis,* si aliquam curam adhibuit, sed non satis sedulo et perseveranter (3).

---

(1) Tot nimirum erunt peccata numero distincta quot actus moraliter distincti quibus voluntas statuit non impugnare consuetudinem. De qua quæstione, sæpe perdifficili vide AA. in *theol. mor. fundamentali.* Cfr. infra, p. 142, nota 1°.

(2) Talia varia exhibentur ab AA. Sic Lehmkuhl, *Theol. mor.*, I, n. 373: « Studium... quod adhibere tenetur est *concipere seriam voluntatem* eamque retinere, seu aliquoties renovare, non amplius verba blasphema proferendi. Quo melius et efficacius hanc voluntatem gerat et ad effectum deducat, instruendus est, ut de prolato utcumque aliquo verbo in se blasphemo statim doleat, sibique pœnitentiam, etsi levissimam, imponat, v. g. ex animo dicendo « Gloria Patri etc. », atque vespere quotidie de defectibus atque emendatione speciatim se examinet. Quæ media pro *quolibet* vitio exstirpando sunt efficacissima. Nihilominus qui non omnem hanc curam adhibet, non eo ipso gravis negligentiæ reus dici potest: proposui potius magnæ diligentiæ methodum ».

(3) Ex solo defectu notabilis ameliorationis, immerito concluderes ad gravem negligentiam, quum optime sit distinguendum inter propositum *affective* efficax et propositum *effective* efficax.

V

II. **Dijudicantur ipsæ blasphemiæ ex consuetudine prolatæ.**

a/ Quæ *cum plena advertentia actuali* proferuntur, sunt *in se* voluntariæ adeoque peccata gravia secundum numerum (1) in confessione declaranda.

b/ Quæ *cum semi-plena deliberatione actuali* proferuntur, non sunt graviter sed leviter tantum imputabiles *in se*, sed possunt esse graviter culpabiles *in causa*, np. consuetudine graviter culpabili; inde ad statuendam necessariam seu obligatoriam materiam confessionis, applica dicenda sub c/.

c/ Quæ *sine ulla deliberatione actuali* proferuntur, *in se* nullomodo imputantur, sed possunt esse graviter imputabiles *in causa* sua, np. consuetudine graviter culpabili. Hinc si aliquam curam adhibuit, etsi non satis sedulo et perseveranter, blasphemiæ indeliberatæ prævisæ non imputantur nisi ad culpam levem; quum enim non sint voluntariæ nisi in causa sua, non possunt esse magis voluntariæ et proin magis culpabiles quam ipsa sua causa. Si vere seriam curam adhibuit, blasphemiæ indeliberatæ prævisæ *nullomodo* imputantur (2). Hinc *tunc tantum* blasphemiæ indeliberatæ prævisæ imputantur ad culpam *gravem,* quando gravis apparet negligentia in impugnanda consuetudine; ideoque tunc

---

(1) *Numerum* blasphemiarum solent rudes et etiam docti determinare juxta numerum formularum, adeo ut qui in ira sua decies repeteret eamdem formulam, decies peccare censeretur. Quod falsum est. Est enim regula: tot sunt peccata numero distincta quot actus moraliter distincti, sc. qui non coalescunt in unum actum peccati. Et ita æstimantur tanquam unus actus continuatus et unum morale, unum proin peccatum constituunt variæ formulæ etiam multæ per modum unius cum brevi quodam intervallo, v. g. ratione passionis, prolatæ. Eodem modo unum, etsi gravius sane, peccatum committit qui eadem conversatione, vel eodem scripto, varia et plura asserta Deo contumeliosa profert. Cfr. *Coll. Tornac.*, t. X, p. 221.

(2) Sunt tales blasphemiæ, involuntariæ tum in se, tum in causa sua, actus *hominis*, nulla ratione *humani*.

tantum sunt de necessitate declarandæ in confessione. Et sic practice si aliquam satis seriam curam adhibuit eradicando habitui, ita ut v. g. minuerit numerum, jam nulla blasphemia indeliberata est confitenda (1).

Intelliges frequenter impossibile esse pœnitenti et confessario etiam approximative determinare *numerum* blasphemiarum, et multo magis discernere blasphemias quæ cum plena actuali deliberatione fuerint prolatæ, vel quæ in consuetudine graviter culpabili fuerint perfecte prævisæ. Neuter in his anxius esse debet, et

---

(1) In dictis adhæremus sententiæ quæ tenet has blasphemias, utique in se plene vel semi-plene indeliberatas, si tamen sunt prævisæ in consuetudine graviter culpabili (i. e. practice nullo modo retractata et impugnata), esse declarandas in confessione. Recedimus proin, a sententia illorum qui contendunt sufficere ut, (præter blasphemias cum plena deliberatione actuali prolatas), declaretur « quoties vel consuetudinem retractare positive renuerit, vel gravem in ea impugnanda admiserit negligentiam: et nihil amplius » (*Coll. Namurc.*, t. 2, p. 204). Ratio autem hæc est: In confessione declaranda sunt, non tantum peccata interna, sed etiam externa; eaque sive voluntaria sint in se et actualiter, sive in causa tantum. Quemadmodum qui se inebriat prævidens se, etsi indeliberate, hominem occisurum, non sufficit ipsi confessio ebrietatis, sed et homicidii addi debet. Quo casu nec sufficeret declarare peccatum *qua prævisum,* sed ipsa materialis exsecutio, si postea secuta est, declarari debet. Hæc enim est et ab omnibus vocatur *peccatum* et non merus effectus peccati, quod proin sicut omnia peccata, in confessione est accusandum. Unde eodem modo hic tenemus, *theoretice* loquendo, declarandas esse, non tantum blasphemias cum plena advertentia actuali prolatas, et quoties vel consuetudinem retractare positive renuerit vel gravem in ea impugnanda admiserit negligentiam, — sed ulterius tum quot blasphemiæ fuerint prævisæ proferendæ sive indeliberate sive cum semi-plena deliberatione, tum quot ex iis prævisis fuerint de facto prolatæ. Dicitur: *theoretice;* etenim quanta est consuetudo blasphemandi, tantus eo ipso erit numerus blasphemiarum prævisarum, et tantus erit, moraliter loquendo, numerus prolatarum: prævisæ numero moraliter coincidunt cum completis. Quare practice sufficiet declarare quot generatim fuerint prævisæ, seu quanta sit consuetudinis ad blasphemias proferendas efficacia. Quæ doctrina exponitur et vindicatur ab Ill. Waffelaert, *Confessarius rite institutus....* nn. 35 ss., cum nota *ibid.* — Immerito huic doctrinæ objiciunt practicam impossibilitatem applicandi. Difficultas enim practica ratio erit cur non possit exigi tanta sollicitudo in applicanda theoria, sed ipsam theoriam falsam esse non probat.

judicare possunt secundum grossam æstimationem et communiter contingentia; v. g. quoties de die, quoties de hebdomada, et ut bene notat Lehmkuhl, n. 373, sæpe confessarius Deo judicium relinquere debebit. Quod in specie valet ubi agitur de consuetudine inveterata et intensa, quo casu frequens omnino erit indeliberatio.

Quod spectat obligationem confessarii *instruendi* suum pœnitentem, casu ordinario, ut patet, erunt corrigendæ vario modo falsæ conscientiæ, et proponenda indoles leviter vel nullomodo culpabilis formularum variarum. — Ubi autem adesset consuetudo proferendi genuinam blasphemiam, confessarius urgeat obligationem retractandi habitum; ad illudque hic et nunc faciendum inducat; et moneat ut in futurum impugnet, interdum retractationem iterando, interdum se examinando speciali modo, recitando ad hanc intentionem bonam orationem, præcavendo occasiones: iram, ebrietatem; frequentius accedendo ad Sacramenta confessionis et communionis, etc. (1).

A. Vander Heeren.

VI

Q. *Expone rubricas missæ privatæ a fine orationis:* Hæc commixtio... *usque ad verba* Domine, non sum dignus.

R. 1. Sicut fractio S. Hostiæ, ut notavimus supra p. 45, est materialis præparatio panis consecrati ad communionem, ita preces et cæremoniæ quæ fractionem sequuntur (Agnus Dei, pax, tres orationes secretæ, etc.) constituunt moralem præparationem proximam celebrantis ad S. Corporis perceptionem.

---

(1) Has quæstiones vide optime solutas apud *La Vie Diocésaine... de Malines,* Juillet 1908. Documenta III, p. 74 ss.

Finita oratione **Hæc commixtio...**, non prius, *pollices et indices super calicem tergit*, ut facit semper post tactum S. Hostiæ, eosque *jungit*, *calicem palla cooperit, genuflexus Sacramentum adorat* (1), *surgit et stans junctis manibus ante pectus* non super altare positis, aliquantulum corpore *inclinatus* seu *capite* profunde *inclinato* (2) *versus Sacramentum, dicit intelligibili* seu clara *voce:* **Agnus Dei qui tollis peccata mundi**, et in signum contritionis qua obtineatur peccatorum remissio, *dextera* seu tribus digitis extensis *percutiens sibi pectus, sinistra super corporale posita, dicit* eadem alta voce **Miserere nobis.** *Et deinde non jungit manus*, sed statim repetit: **Agnus Dei qui tollis peccata mundi**, et *iterum percutit sibi pectus cum dicit* **Miserere nobis**; *quod et tertio facit, cum* in fine tertii **Agnus Dei** *dicit* **Dona nobis pacem.**

Quum in missis pro defunctis intendat Ecclesia totam impetratoriam efficaciam orationum (extra canonem) convertere in suffragium animarum purgantium, solet illas orationes quibus directe nobis gratias efflagitamus vel supprimere vel in preces pro defunctis mutare. Ideo *in missis pro defunctis non dicitur* **Miserere nobis**, *sed ejus loco* **Dona eis requiem**, *et in tertio additur* **sempiternam**; *et* consequenter *tunc sacerdos non percutit sibi pectus.*

---

(1) Inde a consecratione usque ad communionem, regula est ut celebrans genuflectat quotiescumque calicem discooperuit aut in eo est ut S. Hostiam tangat et rursus quoties S. Hostiam tractavit vel calicem cooperuit.

(2) Quidam circulus quærit de oppositione inter verba *Ritus*, qui dicit « capite inclinato », et textum *Ordinis* dicentis « inclinatus ». Ex his licet vel *caput profunde* vel *corpus mediocriter* inclinare, ut cum auctoribus notavimus ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 163. Sed forte melius inde deduci licet non adeo presse verbum « inclinatus » esse sumendum ac si necessario, ut volunt auctores, *corporis* inclinationem designaret. Inter corporis mediocrem et capitis profundam inclinationem vix in praxi habetur discrimen; et in recenti responso S. R. C. (*Collat. Brug.*, t. XI, p. 523) legitur: « *inclinatio mediocris*, id est *capitis et modica humerorum inclinatio* ».

Fracta S. Hostia, antiquitus probabiliter cantabatur Oratio Dominica, quam S. Gregorius Magnus transtulit ante fractionem Hostiæ immediate post canonem. Postea Sergius Papa (687-701), juxta Librum Pontificalem, « statuit ut tempore confractionis Dominici Corporis, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis* a clero et populo decantaretur », ut, dum celebrans materiam sacrificii et seipsum præpararet ad Communionem, omnes assistentes misericordiam Dei implorarent quatenus et ipsi ad S. Synaxim digne accedere possent. Postea vero, quo facilius, ut videtur, implerent silentii spatium ante Communionem, eadem invocatio (s. XI-XII) ter repeti cœpta est; quumque ita infra primam orationem et osculum pacis protraheretur, ultimum *Miserere nobis* mutatum est in *Dona nobis pacem.*

Quia *Agnus Dei* est publica præparatio *fidelium* ad S. Communionem, non cantabatur primitus a celebrante, qui interim secretis et sibi propriis orationibus sese disponebat ad communicandum. Postea vero (s. XI) a sacerdote etiam cantari vel recitari (*alta voce* ut ex origine et scopo patet) cœpit, quasi communis celebrantis et fidelium præparatio.

2. *Deinde manibus junctis* ad sustentationem *super altaris* oram *positis*, *oculisque ad Sacramentum intentis*, parum *inclinatus*, *dicit secreto* tres *sequentes orationes:*

Domine Jesu Christe qui dixisti etc.;

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi etc.;

Perceptio Corporis tui etc.

In missis autem *defunctorum*, ob rationem mox adductam, *omittitur prima oratio*, in qua sacerdos non suis meritis nitens sed promissis Christi et fidei Ecclesiæ immaculatæ, efflagitat pro se et Ecclesia pacem illam quæ exsuperat omnem sensum, quamque statim (in missa solemni saltem) osculo altaris a Christo accipiet atque aliis apprecatione et osculo communicabit (1).

Quum omnes missæ cæremoniæ ac preces sint quædam

(1) De danda pace ope « instrumenti pacis » non agimus. Ritus, parum usitatus, exhibetur in Missali, et ejus significationem historice exponere nunc non vacat.

præparatio ad susceptionem Corporis Domini, in primitiva liturgia nulla oratio præparatoria speciatim præscribebatur. Nihilominus quo melius sese disponeret celebrans ad S. Communionem, piis affectibus et orationibus pro devotione propria electis indulgere poterat et solebat, dum *Agnus Dei* cantabatur vel pacis osculum fidelibus dabatur.

Inde in variis liturgiis et ecclesiis diversæ erant (1). Ex natura rei, orationes illæ — utpote personales seu soli celebranti propriæ — recitabantur *secreto* et *in singulari;* et, quia solebant directe dirigi ad Christum in altari præsentem, recitabantur *oculis in Sacramentum intentis* et, in signum humilis reverentiæ, cum capitis aut et corporis *inclinatione.*

Inter diversas hujuscemodi orationes, Missale Romanum selegit et injunxit eas quæ jam in longo usu erant Romæ aliisque in ecclesiis. Sunt orationes deprecativæ in quibus enixe petuntur salutares effectus S. Communionis: in priori signanter unio intima cum Deo per liberationem a peccatis et mandatorum observationem; in altera mentis et corporis tutamen ac medela.

3. Præfatis *orationibus dictis*, *genuflectens Sacramentum adorat* antequam illud tangat, *et se erigens*, et non ante, *dicit secreto* cum fiducia: **Panem cœlestem accipiam et nomen Domini invocabo** (2). *Quo dicto*, pollice dextro

---

(1) Vide hujusmodi orationes nonnullas collectas in præstantissimo opere R. P. E. Martène O. S. B. *De antiquis ecclesiæ ritibus,* t. I, p. 415 ss. (ed. Rotomagi, 1700).

Ex manuscripto Turonensi: « Sumentes ex sacris altaribus Christi Domini ac Dei nostri Corpus et Sanguinem oramus ut semper fide plenos esurire detur et sitire justitiam, sicque opus ejus confortati salutaris sancti gratia faciamus, ut non in judicium sed in remedium sacramentum quod accepimus habeamus. Per. » Alia: « Ecce Jesu benignissime, quod concupivi jam video, quod desideravi jam teneo: hinc tibi quæso jungar in cœlis, qui tuum Corpus et Sanguinem cum gaudio quamvis indignus suscipio in terris. » — « Ave in ævum, sanctissima Caro, mea in perpetuum summa dulcedo ».

(2) In antiquissimis Missalibus et Ordinibus hæc oratio frustra quæritur. Ejus tamen origo facile percipitur. Ibi enim inveniuntur, ante sumptionem S. Sanguinis, aptissima illa, quæ hodiedum recitamus, verba Psalmi 115, 3-4: **Quid retribuam... Calicem salutaris accipiam et...** Postea ultima hæc verba Communioni S. Corporis adaptarunt pauca mutando: **Panem cœlestem accipiam** etc.

ambas partes Hostiæ ducit ad oram patenæ (nisi ibi jam sint positæ) easque inter pollicem et indicem *dexteræ manus de patena reverenter accipit et collocat* per medium *inter pollicem et indicem sinistræ manus*, ibique eis *patenam* ex parte dextera acceptam, ex eadem parte (1) *inter indicem et medium digitos* sinistræ manus *supponit, et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi* Hostiæ *super patenam inter pectus et calicem, parum inclinatus*, quin brachium sinistrum altari innitatur, *dextera tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus voce* mediocri seu *aliquantulum elevata* (2) *dicens devote et humiliter* verba centurionis paulisper mutata: **Domine non sum dignus,** et secreto prosequitur **ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.**

C. CALLEWAERT.

---

(1) Ita cavetur quominus digitis adhæreant fragmenta forte in patena jacentia: dextram enim patenæ partem S. Hostia nondum tetigit.

(2) Notat quædam conferentia juxta *Rubricas generales*, t. XVI, priora verba dicenda esse « *clara* voce ». Sed inde non oritur vera difficultas quia *Rub. gen.* distinguunt tantum inter ea quæ « clara voce » et ea quæ « secreto » dicenda sunt. Distinctio inter vocem claram, ab omnibus intelligibilem seu altam et vocem mediocrem seu « parum aut aliquantulum elevatam » ponitur tantum in *Ritu* et *Ordine*, qui ambo in præsenti casu dicunt « voce aliquantulum elevata ». Qua de re, cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 705.

De dispensationibus quadragesimalibus.

Occasione variorum dubiorum, quæ circa dispositiones nonnullas Indulti quadragesimalis hujus anni mota fuerunt, quædam exponere juvabit, quo appareat

I. Quod lex de non miscendis epulis de qua art. IV est intelligenda de iis tantum qui carnes edunt *vi dispensationis;*

II. Quænam sit extensio facultatis dispensandi concessa parochis et confessariis, vi art. IX;

III. Quod facultas omnibus concessa certis diebus ova vel carnes manducandi, licitum facit ova vel carnes edere *pluries de die*, *omnibus* non jejunantibus sive ob rationem excusantem, *sive vi dispensationis*.

Sit igitur:

I. De lege non miscendi epulas.

« Il est défendu, même à ceux qui peuvent faire gras, de manger de la viande et du poisson au même repas, non seulement tous les jours du Carême, y compris les Dimanches, mais encore tous les autres jours de jeûne pendant l'année. » *(Art. IV Ind. quadr.)*.

Hæc dispositio non potest ita absolute intelligi ut textus videtur indicare: Il est défendu, même à ceux qui peuvent faire gras....

Et revera prohibitio lata a Benedicto XIV, de non miscendis epulis hac ratione intelligenda videtur ut sit restrictio seu conditio de necessitate adjungenda cuivis *dispensationi* quæ datur ad comedendas carnes per dies jejunii stricte dicti vel per dies dominicas infra quadragesimam (1). Unde docuerunt quidam theologi lege

(1) Ita fere Constit. Benedicti XIV, *In Suprema*, § 2 (Bullarii Bened. XIV edit. Mechlin., 1826, t. I, p. 132 ss.): « Nos, *quibuscumque*, quacumque occasione, sive multitudini..., sive singulis... (dummodo nulla certa et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario

benedictina non teneri eos qui his jejunii diebus, ab abstinentia *per se* excusantur, quin nim. dispensatione indigeant, puta ratione gravis morbi. Et hanc doctrinam S. Pœnit., 9 Jan. 1899, respondit tuta conscientia teneri posse (1).

Sequitur hinc cit. art. IV Ind. quadr. esse *cum hac restrictione* intelligendum : Omnibus (sive jejunantibus, sive non jejunantibus), prohibentur eadem refectione simul carnes et pisces ; etiam illis quibus *vi indulti* licet carnes manducare ; iis vero quibus carnes licitæ existunt, per se, seu quin dispensatione indigeant, puta ob gravem morbum (2), licet etiam mixtio epularum. — Imo ex dictis sequitur eum qui, nulla ratione excusatus vel dispensatus, carnes manducat, et sic præceptum abstinentiæ infringit, non novum peccatum committere ex eo quod eadem refectione etiam pisces manducat. Talis enim non comedit carnes *vi dispensationis* (3).

II. De Facultate dispensandi Confessariis et parochis concessa.

« Nous accordons à tous les curés et confesseurs le pouvoir de dispenser dans des cas particuliers, en tout ou en partie, du jeûne et de l'abstinence ou de changer ces obliga-

---

exigat), in Quadragesimæ aliisque anni temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus, *dispensari contigerit* ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore præsentium declaramus, et edicimus; [quod et confirmat exemplo suo in dispensando] quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christifidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque jejunio consecratis diebus, vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse præscribimus, atque præcipimus ».

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. V, p. 139 s., et t. X, p. 378 ss.; cfr. Ballerini-Palmieri, pp. 783, 787 (1890).

(2) Dicitur; *puta* ob gravem morbum. Unde non est *sola* causa hæc affecta valetudo; et ideo qui ab abstinentia *excusaretur* ob graves labores, ob senectutem, vel ob aliam causam, licite simul carnes et pisces manducaret.

(3) Genicot, *Casus Consc.*, p. 234.

tions en d'autres œuvres de piété, à condition que la demande se justifie par un motif raisonnable, et ne provienne pas uniquement de la crainte qu'inspire la mortification chrétienne. Cette dispense ne peut s'étendre au delà d'un an. » *(Art. IX Ind. quadr.)*. — Cfr. *Epistola ad Clerum Diœc. Brug.*, n° 137, sub I.

1/ **De Personis quibuscum parochi et confessarii, vi descriptæ facultatis, dispensare possunt.**

a/ **Parochi** ea uti possunt imprimis erga *subditos* seu parochianos suos, i. e. cum iis qui in hac parochia sua domicilium vel quasi-domicilium habent; deinde erga quoslibet *vagos*, (i. e. qui relicto suo domicilio cum animo non redeundi aliud adhuc non invenerunt), qui tamen de facto in parochia nunc commorentur; ulterius erga *peregrinos a parochia sua* (i. e. qui alibi domicilium suum vel quasi-domicilium retinentes, accidentaliter degunt in parochia sua), qui tamen intra diœcesim brugensem domicilium vel quasi-domicilium retinent. Quod enim Episcopus ipse erga tales facultate dispensandi fruatur, nemini dubium est, et ideo, quum nullam faciat restrictionem in facultate deleganda, etiam parochi, eadem amplitudine, infra terminos parochiæ suæ eamdem possident (1). Unde etiam deducimus tandem parochos dispensare posse cum *peregrinis a diœcesi ipsa* (i. e. qui intra ipsam diœcesim nec domicilium nec quasi domicilium habent, sed tantum accidentaliter in ea degunt), qui tamen, ut patet, infra terminos parochiæ versentur. Etenim juxta sententiam, theoretice acriter controversam, at practice tutam, ipse Episcopus, et consequenter etiam illi quibus potestatem suam delegavit, erga tales facultate dispensandi gaudent (2).

Unde *practice* parochus dispensare potest, cum *quovis in parochia sua actu degente*. Quare parochus etiam

---

(1) Nec obstat tales relate ad hunc parochum esse peregrinos; facultas enim dispensandi alicui commissa, juxta sententiam practice tutam (*Collat. Brugen.*, t. XIII, pp. 36 ss.) extenditur etiam ad peregrinos.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XIII, pp. 36 ss.

secumipso dispensare potest; tamen melius forte faciet per suum confessarium dispensationem obtinendo. — Hac autem facultate uti nequit nisi intra limites territorii sui (1).

b/ **Confessarii** hac facultate sua uti possunt, erga *quosvis pœnitentes* (2); — at, quod bene advertatur, unice *in actu sacramentalis confessionis,* sive ante, sive post absolutionem concessam, sive etiam ubi absolutio non concederetur, puta ob casum reservatum, vel in medicinam, alicui qui tamen in ordine ad absolutionem obtinendam, sacramentaliter confitetur.

2/ **Quousque valeat sive parochus sive confessarius dispensare,** seu quousque valeat relaxare obligationes legum communium.

a/ *Ad summum pro uno anno* (3). Unde ubi cum quovis dispensat maxima qua potest amplitudine, clare indicare tenetur hanc facultatem ad summum valituram usque ad idem tempus anni proxime futuri, quo consequenter tempore, dispensatio erit renovanda.

b/ *In casibus particularibus tantum.* Unde *hunc* et *illum* dispensare possunt ex multis puta ex membris alicujus familiæ; adeo ut tandem *individualiter* multi dispensentur; non tamen possunt uno actu dispensare totam multitudinem, puta integram familiam, vel talem classem operariorum, etc.

c/ *Sive integre sive partim dispensare valent super lege jejunii et abstinentiæ.* Quousque opportunum sit super his dispensare, ex omnibus, et speciatim ex causa allata, judicet prudenter confessarius. Vide statim dicenda de causa ad dispensandum requisita.

---

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, n. 95, ed. 7, p. 103.

(2) « Confessio sacramentalis, vi consuetudinis universalis facit, ut omnes etiam peregrini fiant subditi Episcopi loci, et vi facultatum huic etiam pro foro interno concessarum possint in Sacramento Pœnitentiæ absolvi et dispensari *prout incolæ* ». Konings-Putzer, *Commentarium in facultates apostolicas...*, Neo-Eboraci, 1898, p. 70.

(3) Vide infra dicenda de causa ad dispensandum requisita.

Quæri autem hic posset in specie utrum, possint dispensare in ordine ad *carnes simul et pisces manducandas*, in die quadam jejunii.

Resp. Negative. Quoties enim quivis Papa inferior *dispensat* in lege abstinentiæ, in ordine ad carnes edendas, ex voluntate positiva Benedicti XIV, sæpius postea decretis confirmata, dispensare tenetur *cum hac restrictione:* ne simul manducentur pisces et carnes. Non gaudet proinde parochus vel confessarius facultate dispensandi præcise in ordine ad carnes cum piscibus manducandas.

Notabis legem benedictinam non cadere nisi in dies *jejunii*, et in dominicas quadragesimæ, non autem in alias dies simplicis abstinentiæ. Hinc feria VI quadam per annum, dispensatus ad carnes, eo ipso licite simul et pisces manducat.

e/ *Aut hujusmodi obligationes commutandi in alia pia opera.* Ut plurimum autem *juvabit*, nisi parocho vel confessario pateat oratorem objective excusari et ex timorata conscientia dispensationem postulare, non simpliciter dispensare, sed abstinentiam aut jejunium in aliud opus pium commutare, ex. gr. in Rosarium pro conversione peccatorum, in quinque Pater et Ave, in piam receptionem Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, etc. Sic enim servatur spiritus ecclesiæ, jejunia instituentis in pœnitentiam peccatorum, et ad mentem ad altiora extollendam. Sic etiam, quod valde momentosum videtur, minus mirabuntur simplices fideles, « jam omnia mutari in Ecclesia ». Cæteroquin sic etiam Episcopus, in dispositionibus quadragesimalibus, rigori legum communium, varias obligationes orandi vel eleemosymas dandi substituit. (Cf. n. III et V).

f/ *Justa de causa.* Vide n. 3, infra. Et notetur : Juxta principia generalia (1) in hac materia jejunii et absti-

(1) Van den Berghe, *De Legibus*, n. 172.

nentiæ, *cessante causa* cur dispensatio fuerit obtenta, cessat etiam dispensatio. Unde si ex. gr. confessarius dispensavit cum operario duriori labore occupato, non posset hic dispensatione uti, ubi jam huic labori valedixisset; item si ob aliqualem debilitatem valetudinis, dispensationem quis obtinuisset, non posset ea jam uti, ubi jam ex integro sanitas restituta est.

3. **Quænam causa ad talem dispensationem legitime concedendam requiratur.**

Tali quæstioni « respondent communiter AA., id certa regula definiri non posse, sed dimittendum esse judicio viri prudentis et sapientis, qui attentis gravitate legis et materiæ, ratione temporum, conditione et merito personarum, judicet coram Deo utrum causa sufficiens adsit necne. Observetur tamen non requiri causam tantam quæ per se certo vel probabiliter (1) *excuset* a legis impletione » (2). Talibus enim casibus subditus nulla dispensatione indiget, sed ad summum interpretatione doctioris se, si proprio judicio non fidit. — Vera tamen causa requiritur, nec ullatenus sufficit, ut ait textus dispositionum quadragesimalium, ut petitio dispensationis oriatur unice ex timore mortificationis christianæ (3).

Quocirca sequentia forte non inutiliter animadvertentur :

a/ Facilius ordinarie aderit ratio dispensandi *in jejunio stricte dicto*, seu in ordine ad plures refectiones plenas sumendas, quam in *abstinentia stricte dicta*, seu in ordine ad carnes vel alios cibos vetitos manducandos.

b/ Eo major vel diuturnior ratio requiretur quo ad

---

(1) Si tamen dubitatur *graviter* utrum causa sufficiens sit, dicunt auctores requiri dispensationem. Cfr. LEHMKUHL, *Casus Conscientiæ*, I, n. 978; SANCHEZ, *Consil.*, lib. 5, cap. 1, dub. 6, n. 2.

(2) VAN DEN BERGHE, *o. c.*, n. 152.

(3) « ... à condition que la demande se justifie par un motif raisonnable, et ne provienne pas uniquement de la crainte qu'inspire la mortification chrétienne ». Ind. quadrag., sub n. IX.

diuturnius tempus conceditur dispensatio. Et sic sæpe minime expedire videbitur quod dispensatio concedatur pro integro quodam anno; et sæpius, saltem conveniens erit quosdam dies excipere, puta feriam IV cinerum, feriam VI in Parasceven. Sic etiam Episcopus cum militibus aliisque his æquiparatis, non absolute dispensat; item poterit dispensatio sæpius concedi *ad tempus tantum,* puta trium vel sex mensium, etc. Res ex adjunctis est dijudicanda.

c/ In dijudicandis causis legitimis dispensandi, teneat dispensans *auream viam medii*, cavens simul ne nimis sit difficilis in eis admittendis, et ne nimis etiam facilis. Et quoad hoc, negari nequit hodiernis adjunctis periculum dari posse, ne facilius dispensati, multi omni praxi religiosæ valedicant, et revera ab abstinentia refugiant unice ex timore mortificationis christianæ, quia nimirum non amant jejunare vel abstinere.

Unum alterumve *casum* indicemus: Dispensato ob unam alteramve rationem patrefamilias, non eo ipso *dispensantur* reliqua membra familiæ (1); at sæpe aderit hic, in difficultate sic varios cibos præparandi, in eo quod pater minus forte religiosus, ægre ferret tales discrepantias, etc., causa legitima dispensandi singillatim cum reliquis membris familiæ (2). — Operariis, aliis ab iis quibuscum ipse Episcopus dispensavit n° VI, sæpe incumbit labor valde durus; vel in centris industrialibus, refectiones sumit cum variis aliter sentientibus ita ut merito ab iis timeat objurgationes, irrisiones, blasphemias, etc.; cum talibus sæpe utiliter dispensares. In tali enim modo agendi sodalium suorum, sæpe grave aderit incommodum. Quare utiliter cum talibus pœnitentibus, cæteroquin abstinentiam vio-

---

(1) Constat ex variis decretis S. Pœnit., relatis apud *Acta Sanctæ Sedis*, t. I, pp. 422 ss.

(2) Imo ex iisdem decretis apparet S. Pœnit. talia incommoda sæpius habere qua causam *excusantem* relate ad reliqua membra familiæ.

lare solitis, ipse confessarius indicet dispensationem posse obtineri, et moneat ipsos, quod in posterum, ne videatur aliis religionem contemnere aut ne aliis scandalum det, sodalibus indicet dispensationem obtentam (1). — In nostras regiones, et signanter ad stationes balneares, non ita raro accedunt extranei ex tali diœcesi in qua generaliter dispensatum est in abstinentia, cum omnibus itinerantibus. Isti dispensatione hac *generali*, extra propriam diœcesim, uti non valent (2). Poterit in casu facilius causa adesse cur parochi nostri vel confessarii cum talibus dispensent *personaliter*, dummodo aliquod motivum rationabile afferant. — « Causa dispensandi, ut habitualiter dispensetur, est notabilis difficultas, quam aliquis habet vel a/ in digerendis seu ferendis cibis esurialibus, vel in habenda utcumque sufficienti nutritione ex esurialibus cibis, vel b/ in habendis esurialibus cibis » (3).

4. **Locus quo dispensatione hac obtenta uti potest dispensatus.**

Hac dispensatione *per se* uti licet *ubique*, etiam extra diœcesim; est enim dispensatio *personalis*, concessa uni personæ propter causam personalem; et ideo respectu ipsius simpliciter sublatum est jus commune (4). Dicitur: *per se;* nam cessante causa ob quam fuit concessa dispensatio, cessat etiam facultas; item intercedere potest ratio scandali vitandi.

(Sequetur).

A. VANDER HEEREN.

---

(1) Recolatur hac occasione, decr. 1m *Congreg. prosynod.* 2 Junii 1908: « Vi facultatis apostolicæ dispensamus cum operariis laborandi causa ad exteras migrantibus super *lege abstinentiæ* pro tempore quo a patria aberunt » (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 430).

(2) VAN DEN BERGHE, *o. c.*, n. 167.

(3) LEHMKUHL, *Casus Conscientiæ*, n. 981.

(4) VAN DEN BERGHE, *o. c.*, n. 167.

De quotidiana communione puerorum

In congregatione prosynodali anni 1908 latum est hoc decretum (1): « Servetur usus Neocommunicantes uno mense post primam communionem convocandi ut iterum *conjuncti solemniter* ad sacram mensam accedant. Attamen minime prohiberi possunt isti pueri ne interim communicent *singuli*. Optandum quoque est ut non modo singulis mensibus deinceps sed et singulis quindenis ad sacramenta suscipienda convocentur ». Porro ut plurium votis fiat satis, juvat describere praxim sequendam, ut memoratum decretum ad usum aptiori modo adduci possit. Eo libentius huic desiderio morem gerimus, quod decretum istud, instante primæ communionis solemnitate, pro prima vice applicandum sit.

Triplex autem, pro triplici pericopa decreti, distingui potest punctum.

A/ *Servetur usus* **convocandi** *Neocommunicantes ad secundam* **solemnem** *communionem.*

In memoriam revocandum est responsum S. C. Concilii 15 Septembris 1906, ad 1m: « S. Communionis frequentiam commendari juxta articulum primum Decreti *etiam pueris*, qui, ad Sacram Mensam... semel admissi, ab ejus frequenti participatione *prohiberi non debent*, sed *potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria* alicubi vigente » (2). Hisce ultimis verbis tamquam abusus reprobatur mos quem Consultor, in *Voto* prævio ad responsum S. Congr. Concilii, testatur in pluribus diœcesibus viguisse, quatenus pueri, ad primam communionem semel admissi, prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 431.
(2) Cf. *ibid.*, t. XI, p. 717 ss.

In nostris regionibus non exstabat hujusmodi prohibitio; de facto tamen mos erat, signanter in diœcesi brugensi, ut pueri ad « secundam communionem » invitarentur, uno tantum mense post primam. Unde de facto impediebatur statim ab initio applicatio Decreti *Sacra* 20 dec. 1905. Huic autem impedimento removendo, opportune statutum est ab Episcopo brugensi decretum supra laudatum : nimirum Neocommunicantes invitandi sunt, non jam ut iterum mense sequente, sed ut *iterum solemniter* et *conjuncti*, sicut in die primæ communionis, ad sacram mensam accedant.

Ita tollitur impedimentum et simul servatur utilitas oriunda ex praxi antea existente, quatenus np. parocho offertur opportunitas coadunandi pueros, eosque instruendi ac monendi iterum.

B/ **Optandum est** *ut non modo singulis mensibus sed et* **singulis quindenis** *ad sacramenta suscipienda* **convocentur.**

Hic adverte discrimen inter: *servetur usus*, quod significat præceptum, et: *optandum est;* potissimum notetur verbum : *convocentur*. Videlicet nunc in pluribus parochiis mos erat convocandi omnes Neocommunicantes ad confessionem et communionem singulis mensibus: dominica præcedente e suggestu invitabantur pueri, et monebantur parentes; imo admonitio per hebdomadam iterum fiebat in scholis. Optat Rev^mus Episcopus ut hoc idem jam fiat *singulis quindenis*, atque ita pueri ac puellæ conjunctim, sed non solemniter, eadem die accedant ad sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ (1).

C/ *Attamen* **minime** *prohiberi possunt isti pueri ne interim communicent* **singuli.**

1° Tempus præparationis proximæ ad primam communionem aptissimum est ad inculcandam menti puerorum doctrinam decreti *de quotidiana SS. Eucharistiæ*

(1) Cf. *Canisiusblad*, 7de jaar (1908), bl. 40, 91.

sumptione. Experientia constat quam ægre mutentur in hac parte mores fidelium, quia aliam receperunt olim doctrinam. Toti igitur simus in rite informandis mentibus puerorum, et consequenter mutabimus mores.

Liceat nonnulla notare, in quibus potissimum insistendum est in hujusmodi instructione tradenda (1).

a/ *Circa motiva.*

Hæc applicanda sunt modo concreto ipsis pueris, quatenus ipsos directe tangant. Motiva porro sunt:

1/ *Desiderium Christi*, at signanter erga parvulos, quos diligebat amore prædilectionis: *Sinite parvulos venire ad me* (Marc. X, 14 ss., coll. Mt XIX, 13, Luc. XVIII, 16).

2/ *Invitatio Ecclesiæ*, Romani Pontificis (decretum speciale de communione puerorum relatum supra) et Episcoporum, notatim Episcopi brugensis (decretum quod nunc interpretamur). Valde efficax censeri debet propositio facta, legendo coram pueris ipsa verba R. P. vel Episcopi.

3/ *Necessitas specialis puerorum,* qui, sicut corporaliter, ita spiritualiter crescere adhuc debent et fieri vegetiores, sumendo np. frequentius cibum solidum.

Relate ad tertium hoc motivum, inculcanda omnino venit doctrina, vere præcipua in Decreto *Sacra,* videlicet communionem frequentem ac quotidianam minime esse præmium, sed *medium vitæ christianæ* ac sanctæ. Hanc esse mentem Summi Pontificis Pii X iterum atque manifestius apparet ex epistola directa ad Episcopum Metensem die 15 Augusti 1908: « Illud autem præcipue votis et exspectationi Nostræ respondit, quod a vobis, tamquam totius rei caput (2), est constitutum, ut in usum adduceretur Decretum per Sacram Concilii

---

(1) Paulo fusius apud *Canisiusblad,* Maart 1909.

(2) Nimirum in Metensi Eucharistico conventu celebrato a. 1907. Epistola ista invenitur in limine relationis rerum gestarum in isto conventu, quæ nuper prodiit in lucem.

Congregationem latum de quotidiana aut frequenti Eucharistiæ receptione. Qui quidem vel unus Metensis congressionis fructus esset omnium optatissimus; quin potius omnes comprehenderet. Hinc enim et vera Dei caritas et germana pietas, hinc animorum perfecta conjunctio, hinc humanæ fragilitati præsidium et robur, *hinc omnis christiana vita denique pendet. Hæc ut omnes in animum inducant suum, vehementer Deum adprecamur* »... Hæc verba magis adhuc significantia apparent, si præ oculis habeatur in dicto Conventu timidiores nonnullos usum Decreti restringere voluisse (1).

b/ *Circa conditiones.*

Potissimum insistendum est in hoc: præter rectam ac piam intentionem, *sufficere statum gratiæ* seu immunitatem *a peccato mortali.*

Plurimi nunc fideles deterrentur ab usu frequentioris communionis, ob immerito existimatam necessitatem confessionis ante quemvis accessum ad sacram mensam. Hæc æstimatio omnino expelli debet apud pueros: necessaria est confessio illi dumtaxat qui conscientiam habet peccati mortalis; utilis utique est confessio venialium, at minime necessaria.

Sedulo igitur edoceri debent pueri, et ita jam disponentur ad amplectendam praxim communionis frequentis aut quotidianæ; ad quam praxim etiam ex professo debent excitari ac allici: *sed potius eos ad id hortari* (S. C. Conc. 15 sept. 1906, ad 1m).

Juvat hic obiter indicare medium aliquod valde efficax: experientia constat fideles, qui quotidie Sacrificio Missæ assistere consueverunt, facilius adduci posse ad usum quotidianæ communionis. Jamvero pueri haud ægre adduci possunt ad audiendam missam quotidie, dum proxime præparantur ad primam communionem: exponatur sedulo communionem esse partem integralem Sacrificii, et huic perfectius assistere qui communionem

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 69.

realem recipiunt (1). Interim excitentur ad communionem spiritualem instituendam quotidie, quæ pro ipsis erit actus fidei et desiderii primo communicandi. Hoc porro exercitium apte complebit oratio ad obtinendam gratiam sanctæ primæ communionis.

2° *Cavendum ne ullo modo prohibeantur* Neocommunicantes a frequenti sacræ Mensæ participatione, ne videlicet contradicatur aperte decretis S. C. Concilii et Episcopi.

Sane neque parochus, relate ad omnes, neque confessarius, relate ad singulos, prohibebit expresse; sed periculum est ne modo indiscreto proponendi pueris alteram solemnem communionem vel præsertim communionem singulis quindenis recipiendam, *de facto*, quin hoc expresse intendatur, avertantur a frequentiori communione.

Ideo distincte et insistendo significandum est pueris post mensem instituendam esse non alteram, sed *alteram solemnem* communionem, ad quam, fere sicut in die primæ communionis simul conjuncti et ex professo præparati accedent; item singulis quindenis agi communionem *generalem*, hora determinata pro confessione et communione. Aliis verbis sic proponatur hæc communio, *ut quid minimum,* quatenus nequaquam æstimare possint ipsis prohiberi frequentiorem, imo et quotidianum accessum. Invitandi sunt insuper et excitandi ut « *interim* communicent *singuli* », *interim*, id est, inter primam et alteram solemnem, et inter generales communiones singulis quindenis instituendas.

Ita monitos ac præparatos simul omnes deinde disponet confessarius *singulos*, pro facultate uniuscujusque pueri vel puellæ.

Curandum omnino est ne primus mensis vel prima quindena absque communione transigatur ; imo maximi

(1) Cf. Ill. ac Rev. Waffelaert, *Scholia de Sacrosancto Missæ Sacrificio*, apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 733; t. XIII, p. 8.

refert ut statim post primam communionem assumatur praxis frequentis aut quotidianæ communionis. Ad hoc præsto est medium efficax: nimirum in pluribus paræciis existit pia ac laudanda consuetudo — et sane posset ubique introduci — convocandi Neocommunicantes die sequente ad missam gratiarum actionis. Cur non simul convocarentur ad *communionem* gratiarum actionis? Imo forte possent invitari etiam propinqui, qui in die primæ communionis ad sacram Mensam cum ipsis accesserunt. In locis in quibus ista missa tardiori hora celebrari usque nunc consuevit, satis erit tempus mutare. Pueri sic iterum communicantes *practice* docerentur non esse necessario præmittendam singulis communionibus confessionem; item addiscerent intimius participare Sacrificio Missæ, infra hanc communicando.

H. Mahieu.

E SS. Rituum Congregatione

I

ROMANA.

De nutrienda lampade coram SS. Sacramento, in defectu olei.

Nuper expostulatum est a sacra Rituum Congregatione: an lampades, quæ ardere debent ante altare et tabernaculum in quo asservatur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, nutriri possint ex cera apum, saltem in maxima parte, quæ adhibetur in candelis præscriptis ad Missæ celebrationem, juxta mentem decreti S. R. C. *Plurium diœcesium* diei 14 Decembris 1904 (1).

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis liturgicæ sententia, omnibus accurate perpensis, proposito dubio ita respondendum censuit: In defectu olei tolerari posse, et remittendum esse prudentiæ Episcopi, juxta decretum n. 3121 *Plurium diœcesium* 14 Julii 1865.

Atque ita rescripsit, die 27 Novembris 1908 (2).

L. ✠ S. S. Card. Cretoni, *Præfectus.*
✝ D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 398.

(2) S. Congregatio « semper sollicita ut... quod usque ab Ecclesiæ primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur » tamen, inspectis rationibus ab Episcopis allegatis, declaravit: « Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri potest vegetalibus »

In diœcesi Brugensi præscriptum est « oleum vegetale ». Cf. *Collectio epistol. pastor.*, t. XI, p. 179.

II

INSTRUCTIO

pro editoribus librorum liturgicorum cum cantu gregoriano.

Quo tutius pleniusque possit obtineri in sacra liturgia etiam quoad cantum optanda uniformitas, merito statutum est, ut, in iis etiam quæ ad singula ecclesiarum Propria pertinent, eidem Officio vel Missæ eadem regulariter adoptetur melodia, ac proinde ut ante approbationem a sacra Rituum Congregatione rite petendam, iisdem revisoribus cuncta subjiciantur, quatenus illi testari possint non tantum de servatis artis gregorianæ regulis, sed etiam de constante melodiarum ea, quæ requiritur unitate. Die 27 Novembris 1908.

S. Card. Cretoni, *Præfectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Annotatio. Præsens documentum est declaratio § VI *Instructionum circa editionem ac approbationem librorum liturgicorum cantum gregorianum continentium* d. d. 11 aug. 1905 (1), vi cujus, pro edendis Missis et Officiis propriis alicujus Ecclesiæ vel Ordinis cum cantu gregoriano, prærequiritur specialis approbatio S. Rit. Congregationis.

Ad constantem generatim habendam melodiarum unitatem, præsenti Instructione decernitur revisores diœcesanos, seu censores librorum liturgicorum cantus ab Ordinariis instituendos, testari debere non tantum de servatis artis gregorianæ regulis in melodiis restitutis vel de novo concinnatis, sed etiam de adoptata eadem melodia eidem Officio et Missæ, quatenus opponeretur optatæ unitati, ut alicubi varia seu propria sit melodia, quando una est Missa et unum Officium, v. g. *Confessoris Pontificis,* diversis in sanctorum festis adhibita.

Hoc testimonium petitioni approbationis est adnectendum.

A. De Meester.

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. X, p. 574.

III

DECRETUM

de constituenda Congregationi particulari ad causas minoris momenti Servorum Dei pertractandas.

Instaurato, ad pristina gerenda munera, tribunali sacræ Rotæ Romanæ per Constitutionem Apostolicam *Sapienti consilio* die 29 Junii hujus labentis anni 1908, ac proinde revocatis, juxta decretum seu declarationem sacræ Congregationis Consistorialis diei 27 Novembris nuper elapsi, peculiaribus dispositionibus dd. 23 Octobris 1878 et 19 Decembris 1905, quibus demandatum fuerat R^mis^ Prælatis Auditoribus officium discutiendi ac judicandi, in comitiis sacrorum Rituum Congregationis ordinariis Rotalibus, causas minoris momenti Servorum Dei, nempe de fama sanctitatis in genere, de non cultu, de validitate ac relevantia processuum aliasque similes, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali sacræ Rituum Congregationi Præfecto, ad easdem causas pertractandas Congregationem particularem constituere dignatus est, quam constare voluit ex aliquot E^mis^ ac R^mis^ Patribus sacris tuendis Ritibus præpositis, nempe Præfecto, Ponente aliisque quinque a sacra Rituum Congregatione designandis, nec non ex R^mis^ Prælatis officialibus ipsius sacræ Congregationis, nempe Protonotario Apostolico, Secretario, Promotore fidei ac Subpromotore. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 9 Decembris 1908.

L. ✠ S. S. Card. Cretoni, *Præfectus*.
✝ D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

IV

De vetito choro liturgico virorum simul cum mulieribus.

NEO-EBORACEN.

Nuperrime sacrorum Rituum Congregationi ea quæ sequuntur, pro opportuna declaratione, rite ac reverenter exposita sunt, nimirum:

Per omnes fere regiones Statuum fœderatorum Americæ septentrionalis, nomine chori designatur solummodo quidam cœtus paucorum cantorum tum fœminarum quum virorum, qui seliguntur ad officium textus liturgicos intra Missas solemnes cantandi. Hic chorus, seu cœtus virorum ac mulierum, seu puellarum, in loco ejus soli usui destinato extra cancellos, immo plerumque longissime ab altari positus est, nec alius habetur chorus qui textus liturgicos cantet vel recitet. Hinc quæritur, utrum ratione habita decreti de cantu mulierum in ecclesiis (*Angelopolitana* 17 Januarii 1908) (1), quo concessum fuit ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis, talem chorum seu cœtum virorum ac mulierum supradescriptum, in loco ab altari remotissimo positum, et chori liturgici fungentem officio, posthac adhibere liceat.

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitis utriusque Commissionis tam liturgicæ quam de musica et cantu sacro suffragiis, omnibus maturo examine perpensis, propositæ quæstioni ita respondendum censuit: Prout exponitur, negative, et ad mentem *. Die 18 Decembris 1908.

S. Card. Cretoni, *Præfectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

* *Mens* est, ut viri a mulieribus et puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti, et onerata super his Ordinariorum conscientia (2).

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 341 ss.

(2) Hoc decreto confirmantur animadversiones ad decretum 17 jan. 1908 apud *Collat. Brugen.*, l. c., p. 342 s.

S. Congregatio de Religiosis

DECRETUM

de quæstuatione quoad Ordines et Instituta religiosa virorum.

De eleemosynis colligendis gravis quæstio, quæ jam anteactis sæculis non semel agitata fuit, hodie præsertim, ob peculiaria rerum ac temporum adjuncta, in praxi majores ac frequentiores præsefert difficultates. Quibus ut occurreret, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus mature perpensis, die 27 Martii 1896 promulgavit decretum *Singulari quidem* (1), quo colligendarum eleemosynarum ministerium opportunis pro hodierna humanæ societatis conditione communiebatur cautelis. Attamen mulierum dumtaxat respiciebat Sodalitates. Quo autem et virorum Institutis religiosis melius provideretur, eidem sacræ Congregationi, in plenario consessu die 8 Maii anni 1908 habito, visum est pro his quoque nonnullas apponere quæstuationum normas; quas, ex Secretaria supradictæ Congregationis Episcoporum et Regularium acceptas, sacra Congregatio Negotiis Religiosorum sodalium præposita, de mandato SS^mi^ D^ni^ Nostri Pii divina providentia PP. X, publici juris facit.

I. — Quoad ordines mendicantes.

1° Regulares, qui Mendicantes vocantur et sunt, ex institutione Sedis Apostolicæ cum sola licentia Superiorum suorum eleemosynas quærere valeant in diœcesi, ubi erectus est conventus. Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu quo conventus fundationi consensum præbuerunt.

2° Si vero iidem Regulares extra diœcesim, ubi conventus habent, stipem quæritare velint, Ordinarii illius diœceseos licentia, per suos Superiores in scriptis obtenta, indigent.

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. I, p. 317-320.

3° Ordinarii præcipue limitrophes, hanc licentiam absque gravioribus urgentioribusque causis ne denegent, si aliquis conventus ex quæstuatione in sola diœcesi, ubi erectus est, vivere nullimode possit, ut in parvis diœcesibus contingere solet.

4° Quæ licentia intelligitur habitualis, usque nempe ad expressam revocationem; quæ quidem revocatio, ut par est, nonnisi legitimis de causis, iisque tantum perdurantibus, facienda est.

5° Ut Mendicantes præfato jure gaudeant, per seipsos, non autem per personas Ordini extraneas, eleemosynas colligere debent.

6° Regulares quæstuantes semper secum habere debent litteras authenticas, quibus constet de debita facultate deque officio quæstuationis sibi commisso. Quas litteras parochis ultro exhibere tenentur; necnon Ordinariis, quoties ab ipsis requirantur.

7° Non licet Superioribus regularibus ad hoc opus mittere nisi Religiosos ætate et animo maturos; numquam eos qui studiis adhuc incumbunt.

8° Religiosi eleemosynas collecturi ne pergant soli sed bini, præsertim extra urbem seu locum ubi habent conventum, seclusa gravis necessitatis causa; quo in casu quæstuarius publice notus sit oportet atque ætate, virtute ac fidelium existimatione omnino commendatus.

9° Porro extra locum conventuum quæstuantes, apud parochos vel apud alios clericos sæculares vel regulares, aut, iis deficientibus, apud aliquem pium benefactorem, christiana honestate et virtute conspicuum, divertant.

10° Extra propriam domum ne maneant ultra mensem, si in propria diœcesi; non ultra duos, si in alia eleemosynas quærant; neque iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, vel respective per duos menses, vitam communem juxta regulam et constitutiones in conventu exegerint, prout uno vel duobus mensibus extra claustra degere debuerunt.

11° Qui in ipso loco, ubi situs est conventus, stipem corrogant, noctu extra propriam domum nequaquam manebunt.

12° Religiosi quæstuantes semper illa, qua decet, humilitate, modestia, munditie eniteant; sæcularium, præsertim mulierum cujuscumque sint conditionis, familiaritatem caveant; loca suæ professioni minime congrua omnino de-

vitent; pietatem sincere foveant atque spiritualia exercitia in religione ipsorum solita pro viribus fideliter adimpleant.

13° Superiores regulares, graviter onerata eorum conscientia, ne omittant quæstuariis suis normas agendi, quas prudentia suadet, opportunas præscribere.

14° Si vero, quod absit, Regulares quæstuantes notorie deliquerint, fidelibus scandalum præbuerint, vel etiam contra legitimam prohibitionem eleemosynas colligere ausi fuerint, Ordinarius loci jubeat eos in propriam domum redire atque etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus Superiores moneat, ut illos corrigant et pro gravitate scandali puniant; quod si secus fecerint, quam primum ad Sanctam Sedem recurrat.

II. — Quoad ordines vel instituta religiosa non mendicantium.

1° Religiosi sive Ordinum sive congregationum *juris pontificii,* qui privilegium quæritandi eleemosynas neque vi propriarum constitutionum a S. Sede approbatarum, neque vi Apostolicæ concessionis gaudent, veniam Apostolicæ Sedis impetrare debent, ut quæstuationes instituere valeant; præterea licentiam per suos Superiores ab Ordinario loci obtinere tenentur, nisi forte S. Sedes in hoc expresse et specialiter juri Episcopi derogaverit, quod numquam præsumi potest, sed indubitatis documentis probari debet.

2° Religiosi vero qui sunt *juris diœcesani,* opus colligendi eleemosynas nequaquam aggredi poterunt, nisi licentiam obtinuerint tum ab Ordinario loci in quo resident, tum etiam, si extra diœcesim propriæ residentiæ abituri sint, ab Ordinario loci in quo stipem quærere desiderant.

3° Ordinarii autem locorum, si opportunum visum fuerit, pro unaquaque domo cujusque religiosi suæ diœceseos Instituti, sive juris pontificii sive juris diœcesani, emendicato viventis, limites quæstuationis constituere possunt et respective servandos curare, præsertim ubi sunt conventus Regularium nomine et re mendicantium; nec hujusmodi Religiosis non mendicantibus quæritandi licentiam concedant, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; et si necessitatibus provideri potest per quæstuationem in loco vel districtu, in quo Religiosi

resident, aut intra diœcesim, instituendam, ampliorem licentiam nequaquam concedant.

4° Ordinarius porro illius diœceseos, ad quam isti Religiosi aliarum diœceseon eleemosynas quæsituri accedant, collectas eis minime permittat, nisi prius per se vel per suos ad hoc delegatos, præter litteras obedientiales proprii Superioris, facultatem, vel Apostolicæ Sedis si sunt juris pontificii, vel proprii Ordinarii si sunt juris diœcesani, recognoverit et hujus decreti præscriptis conformem invenerit.

5° Insuper Ordinarius sedulo advertat, utrum qui pro missionibus exteris subsidia quærunt, præter litteras commendatitias Vicarii vel Præfecti Apostolici respectivæ missionis et litteras obedientiales Moderatoris generalis proprii Instituti, habeant quoque facultatem a S. Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recenter datam.

6° Licentiam colligendi eleemosynas Ordinarii concedant gratis et in scriptis, notatis semper (sive ad calcem litterarum obedientialium sive in documento separato) tum nominibus Religiosorum, qui ad colligendas eleemosynas designati sunt, tum nomine Ordinis vel Instituti ad quod pertinent, tum loco et tempore pro quibus licentia valitura sit.

7° Licentias loco et tempore generales Religiosis hujusmodi nequaquam concedent Ordinarii, sed potius invigilabunt, ne sive quæstuantes, sive prætextu quæstuationis, extra propriam domum maneant ultra mensem, si in propria diœcesi; aut ultra duos menses, si in aliena eleemosynas quærant; neve iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, respective duos menses, in suo conventu degerint, prout uno vel duobus mensibus foris manserant.

8° Ut Religiosi Ordinariorum facultate colligendi eleemosynas uti valeant, id per se, non per alios, facere debent.

9° Ad hæc et ipsi fideliter observent, quæ supra pro Religiosis Ordinum mendicantium sancita sunt, parte I, art. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13.

10° In casu tandem, quo hi Religiosi quæstuantes contra legitimam prohibitionem eleemosynas collegerint, vel, quod Deus avertat, male se gesserint scandalove fidelibus fuerint, Ordinarius loci, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, eos pro gravitate delicti et scandali opportunis remediis coërceat et in propriam domum a suis Superioribus puniendos remittat.

Datum Romæ, ex Secretaria supradictæ sacræ Congregationis Negotiis Religiosorum sodalium præpositæ, in festo Præsentationis B. M. V., die 21 Novembris 1908 (1).

L. ✠ S. Fr. I. C. Card. Vives, *Præfectus.*
D. Laurentius Janssens, O. S. B., *Secretarius.*

S. Congregatio Indicis

Decreto 4 jan. 1909 in Indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera:

Jéhan de Bonnefoy, *Les leçons de la défaite, ou la fin d'un catholicisme. Paris, Librairie critique E. Nourry, 1907.*

— *Vers l'unité de croyance. Ibid., 1907.*

— *Le catholicisme de demain. Ibid., 1908.*

Henri Loriaux, *L'autorité des Evangiles. Question fondamentale. Paris, Emile Nourry, 1907.*

Jean Vrai, *Ephémérides de la Papauté. Paris, Fischbacher, 1904.*

T. Smyth-Vaudry, C. Pr., *The Christ-founded Order of the secular Priesthood. Montreal, Lorell and Son, 1906.*

Romolo Murri, *I problemi dell' Italia contemporanea. Vol. I. La politica clericale e la democrazia. Ascoli Piceno, Gius. Cesari; Roma, Società naz. di Cultura, 1908.*

Melchior Canal, *Eléments de psychologie concrète et de métaphysique. Toulouse, Edouard Privat. Paris, Henri Didier, 1907.*

Emmanuel Barbier, decreto S. Congregationis, edito die 25 maii 1908 (2), laudabiliter se subjecit.

(1) V. U. Mannucci. *De jure et ratione quæstuandi* in *Analecta Ecclesiastica*, 1909, p. 72-80.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 473.

S. Congregatio de Sacramentis

VENETIARUM ET ALIARUM.

Sacræ Congregationi de disciplina Sacramentorum sequens dubium propositum fuit: « an juxta tenorem formularum sacræ Congregationis de disciplina Sacramentorum, in concessione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus ex causis inhonestis intelligi debeat tacite concessa Ordinario etiam facultas declarandi legitimam prolem susceptam ante executionem dispensationis et celebrationem matrimonii ».

Eadem S. Congregatio, re mature perpensa, respondere censuit: « Negativè, sed requiri ut prolis legitimatio ab oratoribus petatur eaque in rescripto concedatur (1) ».

Datum Romæ ex ædibus ejusdem S. Congr., die 29 Januarii 1909.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

---

(1) Profectò locus erat dubio: ex una namque parte principium est generale, adhuc nuperrime in memoriam revocatum a S. Pœnitentiaria, per responsum 21 Aprilis 1908 (*Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 97 ss.), in rescriptis scil. dispensationis pro casu particulari non contineri, nisi exprimatur, facultatem legitimandi prolem; ex alia autem parte, in novis formulis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum usurpatis, deest hujusmodi explicita concessio, etiam ubi copula inter causas est allegata.

Porro confirmat S. Congr. invocatum principium, respondens opus esse ut *prolis legitimatio in rescripto concedatur*, nec tacitè concedi Ordinario legitimandi potestatem; addit vero requiri ut legitimatio *ab oratoribus petatur*, ejusdem facta mentione in precibus.

Ex audientia diei 23 Novembris 1908.

Directoribus Societatum SS. Eucharistiæ perpetuo adorandæ et pauperibus ecclesiis juvandis conceditur facultas elargiendi semel Apostolicam Benedictionem.

SS^mus^ D. N. PIUS PP. X infrascripto Cardinali committere dignatus est grati sui animi sensus iis patefacere *Societatibus SS^mæ^ Eucharistiæ perpetuo adorandæ et pauperibus Ecclesiis juvandis* quæ, occasione Jubilæi Sacerdotalis Sanctitatis Suæ, dona contulerunt ad cultus catholici splendorem augendum; Directoribus vero earundem Societatum per orbem existentium facultatem ipsis factam nunciare Apostolicam Benedictionem cum Indulgentia Plenaria, in forma Ecclesiæ consueta (1), semel impertiendi, die ab ipsis eligendo, sociis nec non aliis cæremoniæ adstantibus, si ad luculentum testimonium prædicta occasione præstitum religiosæ pietatis erga SS^mam^ Eucharistiæ Sacramentum et filialis affectus erga Christi in terris Vicarium aliquo modo sese adjunxerunt.

Romæ, die et anno ut supra.

(Sign.) VINCENTIUS CARD. VANNUTELLI.

(1) Cf. *Rit. Rom.*, t. VIII, c. XXXII; VAN DER STAPPEN, *De administr. Sacramentorum*, n. 345.

Miscellanea

Escompte des subsides promis aux fabriques d'église.

On sait que les subsides promis par l'État ou la province pour l'exécution de travaux par les communes, les établissements publics, les fabriques d'églises, ne sont point liquidés incontinent après l'achèvement des travaux. Il en résulte pour les administrations fabriciennes de sérieux inconvénients, lorsqu'obligées de faire face à leurs obligations, elles ne peuvent y pourvoir par leurs ressources ordinaires ou par d'autres voies peu onéreuses.

Une circulaire adressée le 31 mai 1905 par les ministres de la Justice et de l'Intérieur aux Gouverneurs des provinces, leur notifie l'organisation d'un service d'avances à faire aux communes et aux établissements publics par la Caisse générale d'épargne et de retraite, en cas de retard apporté à la liquidation des subsides. Nous en transcrivons les passages qui concernent les fabriques, nous contentant d'ajouter au texte quelques notes explicatives.

« La Caisse générale d'épargne et de retraite est disposée à escompter les subsides promis par l'État et les provinces, aux communes et établissements publics, conformément aux dispositions ci-après :

I. Pourront être escomptés par la Caisse, en tout ou en partie, les subsides se rapportant soit à des travaux terminés et dont la réception provisoire a eu lieu, soit à des travaux en cours d'exécution et ayant donné lieu à une réception provisoire ou à une vérification. L'escompte se fera au taux de 3,40 p. c. l'an.

II. Les communes et les établissements publics désireux d'obtenir l'escompte d'un subside ou d'une partie de subside, en feront la demande à l'autorité qui subsidie. Celle-ci, après

s'être assurée que la demande peut être accueillie, la transmet à la Caisse en indiquant, au moins approximativement, la date à laquelle le subside sera liquidé totalement ou partiellement.

III. La Caisse d'épargne remettra à la commune ou à l'établissement public intéressé *la valeur actuelle* (1) de tout ou partie de subside escompté.

IV. La Caisse d'épargne sera substituée aux droits de la commune ou de l'établissement public pour l'encaissement du subside escompté. Dans le cas où celui-ci serait liquidé soit avant, soit après la date fixée, la Caisse d'épargne bonifierait à la commune ou à l'établissement public une ristourne d'intérêts ou exigerait le paiement d'un intérêt de retard »...

« La demande d'escompte d'un subside constitue, en réalité, un emprunt.

Elle est, en conséquence, soumise aux formalités légales auxquelles sont subordonnées les opérations de l'espèce des communes ou des établissements publics (2) ».

La circulaire détermine plus loin *les formalités* relatives aux demandes d'escompte de subsides.

« La procédure des demandes d'escompte de subsides se divisera en deux phases bien distinctes : la commune ou l'établissement public demandera d'abord à l'autorité qui est compétente en matière d'approbation de ses emprunts (3),

---

(1) C'est-à-dire, le montant des subsides escomptés, déduction faite du taux de l'escompte, calculé jusqu'à la date de la liquidation des subsides.

(2) Une dépêche du ministre de l'Intérieur et de l'Agriculture en date du 5 novembre 1908, communiquée le 28 du même mois par M. le gouverneur de la Flandre Occidentale aux commissaires d'arrondissement et aux administrations intéressées, a précisé la signification de ce texte en ces termes : « Les différentes pièces exigées pour les emprunts ordinaires ne sont ... pas nécessaires pour les demandes d'escompte dont il s'agit ». V. DE CORSWAREM, *Uitlegging der wetten en dekreten over de Kerkfabrieken*, p. 339, où ces pièces sont énumérées.

(3) Pour les fabriques, cette autorité administrative est la députation permanente, quel que soit le montant total des subsides accordés par l'État et la province pour l'ensemble d'un travail déterminé. L'art. 76, 1° de la loi communale n'est point applicable aux fabriques. V. MOULART, *Fabriques d'églises*, 9e éd., p. 540.

La délibération prise par le conseil de fabrique pour se faire autoriser

l'autorisation exigée par la loi pour lui permettre d'emprunter. Une seule demande devra être faite pour l'escompte de la totalité des subsides de l'État et de la province, afférents à l'ensemble du travail. Une fois en possession de cette autorisation, la commune ou l'établissement public s'adressera à la députation permanente et à l'administration de l'État qui aura promis les subsides; la commune ou l'établissement public justifiera d'abord de l'autorisation d'emprunter obtenue, puis des conditions relatives à l'état des travaux, qui sont exigées pour que l'escompte puisse être accordé (1) (§ I des conditions).

La requête priera, en même temps, l'administration subsidiante de transmettre la demande à la Caisse générale d'épargne et de retraite, avec avis favorable.

La délibération prise à cette fin par le conseil communal ou l'établissement public, devra, après avoir visé l'approbation de l'emprunt et l'état des travaux, accorder délégation à la Caisse d'épargne pour l'encaissement des subsides (§ IV des conditions) et promettre le payement d'un intérêt de retard pour le cas où le subside serait liquidé après la date fixée *(ibidem)*.

Pour la simplification des écritures, lorque la province subsidie concurremment avec l'État, la députation permanente, après avoir donné son adhésion à l'escompte quant au subside provincial, transmettra le dossier à l'administration centrale ayant promis le subside, pour que celle-ci la fasse parvenir, avec son avis, à la Caisse d'épargne »....

La circulaire ajoute cette remarque importante : « La commission (organisatrice de ce service) a, d'autre

---

indiquera : a/ la destination de la somme à emprunter ; b/ la raison de recourir à cet emprunt ; défaut de ressources ordinaires ou impossibilité de pourvoir à ses obligations par des moyens moins onéreux ; c/ le montant de la somme à avancer par la Caisse.

Cette délibération sera d'abord adressée à l'Évêque pour avoir son consentement ; elle sera ensuite transmise à la députation permanente par la voie hiérarchique ordinaire.

(1) Cette justification doit se faire, « soit auprès de la députation permanente, s'il s'agit de subsides provinciaux, soit de l'administration de l'État qui a promis les subsides ». Dépêche ministérielle citée du 5 novembre 1908.

part, émis le vœu de voir les administrations qui accordent des subsides, n'appuyer, en général, les demandes d'escompte de ces subsides, que lorsque il aura été justifié, au besoin, par la production d'un duplicata de la quittance signé par l'entrepreneur des travaux, que l'administration subsidiée a soldé de ses deniers propres la partie de la dépense correspondant à sa part d'intervention ».

A. De Meester.

Documents de Jurisprudence

ET

Notes sur la bienfaisance et la charité.

(Suite — Voir pl. h. p. 85-93) (1).

I

Fondation privée. — Orphelins. — Hospices civils. — Demande en délivrance de la libéralité. — Rejet.

Arrêté royal du 7 mars 1905 (2). Un testateur avait disposé comme suit: « Je veux qu'il soit payé 15,000 francs à la Sœur Supérieure de Saint Vincent-de-Paul, rue du Limbourg à Gand, de laquelle somme l'intérêt doit servir à entretenir annuellement des orphelins ». Les hospices civils de Gand demandèrent à pouvoir accepter le legs précité, en se basant sur ce que les orphelins sont représentés par les hospices civils, seuls habiles à recueillir des libéralités en faveur des indigents de cette catégorie.

Un arrêté royal du 7 mars 1905 a rejeté cette demande: « considérant que le testateur, en instituant la supérieure

(1) *Errata et addenda:* page 91 et 92 *loco* art. 76 du décret de 1809, lisez art. 75. L'arrêt de Cassation du 14 janvier cité plus haut p. 89 est reproduit, avec les conclusions conformes de l'avocat général Terlinden, dans la *Pasicr.* I, 88 ss.

(2) *Moniteur,* p. 1185 s.

des sœurs de Saint-Vincent-de-Paul, a clairement manifesté son intention de ne point gratifier le service public de la bienfaisance, représenté par la Commission administrative des hospices civils de Gand ; que l'atribution du legs dont il s'agit à la dite Commission serait, dès lors, contraire à la volonté du disposant ;

vu les articles 910 et 937 du Code civil, 76-3° et paragraphes derniers de la loi communale ».

II

Legs pour de bonnes œuvres. — Énumération exemplative : Distribution de pains aux pauvres. — Revendication du bureau de bienfaisance. — Non-fondement.

Trib. 1re instance. Bruxelles (2e ch.), 20 nov. 1905. — Cour d'appel de Bruxelles (4e ch.), 19 juillet 1907 (1).

Une défunte avait par testament disposé comme suit : Je veux qu'une certaine somme soit employée en bonnes œuvres, soit pour les écoles catholiques, messes, distribution de pains aux pauvres ; une messe à trois prêtres pour ma famille décédée, avec distribution de pain aux pauvres et d'autres bonnes œuvres. Je nomme M. N .. pour cette affaire et sais qu'il agira en conscience et ne doit compte à personne. Le Bureau de bienfaisance de la localité revendiqua la totalité de ce legs, soutenant que la volonté de la *de cujus* sera respectée en appliquant cette partie de la succession au soulagement des pauvres nommément institués, les autres indications n'étant pas impératives.

Le tribunal de Bruxelles par jugement du 20 nov. 1905, confirmé par l'arrêt de la Cour d'appel en date du 19 juillet 1907, a débouté le demandeur de son action ; sans toutefois se prononcer sur la question de la validité de la disposition discutée, constatant que le demandeur n'a aucun droit, à titre de légataire : « Attendu, dit la Cour d'appel, que l'indication des pauvres n'est pas davantage impérative ; que

(1) *Rev. Cath. de droit*, 1905-1906, t. VIII, p. 216-219 ; *ibid.*, 1908-1909, t. XI, p. 356-357 ; *Pasicr.*, 1908, II, p. 328.

les termes de la disposition litigieuse démontrent que la testatrice a eu en vue les bonnes œuvres en général et qu'elle a entendu donner à ces mots leur acception la plus large, puisqu'elle y comprend l'enseignement catholique, les messes, les distributions de pain et d'autres œuvres encore qu'elle ne spécifie pas; que rien n'indique qu'elle ait voulu favoriser l'une plutôt que l'autre de ces œuvres; que pour le choix à faire entre elles, elle s'en est rapportée entièrement à la conscience de son exécuteur testamentaire ».

Observations. Ces décisions ne sont qu'une application du principe qu'en matière de legs et de donations, la volonté du bienfaiteur est la loi souveraine. En conséquence il est du devoir des pouvoirs publics de reconnaître, conformément à cette volonté, la personne à laquelle les libéralités sont faites, de s'assurer si c'est la bienfaisance publique que le testateur a eu en vue ou si au contraire, c'est la bienfaisance privée qu'il a entendu gratifier.

Ce principe est fondé sur la liberté du bienfaiteur de choisir les pauvres et les œuvres qu'il veut gratifier et de déterminer les personnes et les établissements publics ou privés, qui seront les intermédiaires de ses libéralités.

Le Gouvernement catholique de son côté (1), re-

(1) Interpellé à la Chambre des Représentants, au sujet de l'ar. roy. du 7 mars 1905, M. Van den Heuvel, ministre de la justice, a vigoureusement affirmé l'intention du Gouvernement de s'en tenir à une interprétation équitable de la volonté des fondateurs. V. *Annales Parlement. Chambre des Représentants,* Sess. 1904-1905, p. 1689-1702; *Rev. cath. de dr.,* 1905-1906, t. VIII, p. 178-184; *Revue de l'administration,* 1905, t. LII, p. 407-414; *Le Bien Public* du 22 juin 1905. On ne peut opposer à cette jurisprudence, un arrêté du Gouvernement autorisant la ville de Mouscron à réclamer un legs de 100,000 francs, fait à un particulier pour fonder une école professionnelle, vu que diverses circonstances étaient alléguées par la ville pour établir que l'intention du testateur avait été *en fait* de léguer cette somme à la ville en vue de l'établissement d'une école professionnelle, et que parmi ces circonstances figurait notamment l'aveu du légataire lui-même. Voir *Rev. cath. de dr.* 1906-1907, t. IX, p. 209 ss.; l'arrêt de la Cour de Gand, 16 mai 1904, *ibid.,* 1904-1905,

poussant la thèse libérale (1), entend poursuivre une telle application de l'article 910 du code civil; il a depuis vingt ans refusé maintes fois de mettre les institutions officielles de bienfaisance en possession de libéralités adressées à des institutions privées ou à des particuliers pour être employées en bonnes œuvres (2).

Reste à examiner quelle est *en droit civil* (3) la valeur de ces dispositions charitables, soit que le capital grevé de certaines charges ait été légué à un particulier, soit qu'il l'ait été à un établissement non reconnu comme personne civile. Mais qu'on le remarque bien, cette question est sans influence sur la précédente, puisque un legs caduc ne peut profiter à personne.

1° *La fondation privée*. C'est celle où le bénéficiaire de la disposition principale, c'est-à-dire le propriétaire du capital légué, est un particulier qui transmettra à ses héritiers, en même temps que son droit au capital, les charges dont la libéralité est grevée.

---

t. VII, p. 329, confirmé par la Cour de Cassation, 23 février 1905, *ibid.*, 1905-1906, t. VIII, p. 152. Les considérants de la Cour de Gand sont favorables à la thèse du monopole des administrations publiques.

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. III, p. 49 ss.; t. VIII, p. 208 ss. D'après la thèse libérale, les libéralités qui sont faites à un particulier ou à un établissement privé, mais qui par leur objet rentrent dans le cadre de l'un ou l'autre des services organisés, doivent échoir à l'établissement public, dans les attributions duquel la loi a placé le service que les libéralités concernent. On invoque le principe d'ordre public de la spécialisation des services représentés exclusivement par leurs organes légaux, les administrations publiques; lesquelles, dit-on, sont seules capables d'assurer l'affectation perpétuelle des revenus d'une fondation. V. *Collat. Brugen.*, t. XII, p. 559.

Ita *primario* designat *fidelitatem* in statutis vel promissis (1). Ex hac significatione aliæ *secundariæ* derivatæ sunt; quales: existimatio et fama probitatis inde præsertim alicui comparata quod promissis et statutis suis stare solet (2); ipsa promissio aut jusjurandum quod fit ad promissionis confirmationem (3); fiducia quam apud alios generat nota fidelitas in promissis vel etiam nota potentia et bonitas (4); ad hanc refer fidem salutarem quam intelligebant Protestantes, sub nomine *fidei promissionum specialis,* qua nim. ex speciali instinctu Spiritus sancti homo certo confidit promissiones Dei de remissione peccatorum concessa et salute obtinenda, quæ generalibus verbis in Scripturis continentur, sibi in specie applicari, seu sibi esse factas; item huc refer fidem quam modernistæ induxerunt et qua fides reducitur ad sensum quemdam vagum religiosum seu affectum.

Fides autem theologica, etsi interventum voluntatis requirat, hisce non continetur: est enim formaliter assensus *intellectus.*

2. Solet vox *fidei* referri directe ad **intellectum.**

Et sic interdum sumitur *sensu* omnino *improprio* et

---

(1) Rom. III, 3; II Tim. II, 13; I Cor. IV, 2.
(2) Eccli. XXVII, 17.
(3) I Tim. V, 11 s.
(4) Mt. VI, 30; IX, 2; XIV, 31.

abusivo pro **quolibet assensu** intellectus, etiam in prima principia rationis. Quo sensu iterum non sumitur fides theologica, utpote quæ essentialiter exigat imperari a voluntate.

3. Unde, inter varios assensus intellectus, fides, *sensu generalissimo* solet designare quemvis **assensum intellectus non quietati per apparitionem veritatis.** Intellectus autem non plene quietatur nisi per evidentiam *intrinsecam* et *perfectam*. Et sic:

a/ Ubi veritas propositionis apparet quidem evidentia *intrinseca*, sed tantum ut *probabilis,* intellectus quidem necessario admittit visam *probabilitatem* veritatis propositionis; sed ex seipso minime cogitur admittere ipsam *veritatem* ejusdem. Et ideo ut tali propositioni assentiat, simul sane cum formidine oppositi, seu ut **assensu infirmo seu opinativo** rem admittat, necessario requiritur interventus voluntatis imperantis assensum. Qui assensus interdum dicitur fides, quum soleant homines dicere: Hoc mihi non constat, *credo* tamen ita esse.

Assensus autem fidei theologicæ, quum sit assensus essentialiter *firmus,* tali assensui æquiparari nequit.

4. b/ Ubi veritas propositionis apparet evidentia *intrinseca,* et quidem argumentis *apodicticis*, sed tamen *non ita perfecte* ut tollatur omnis possibilitas dubitandi, etiam imprudenter seu infundate, (quo modo v. g. multis *certo* demonstrata existit, ex rebus creatis, existentia Dei sed non ita perfecte apparet ut jam fiat impossibile infundata dubia concipere) (1), voluntatis erit talia dubia cohibere et reprimere, et sic removere impedimenta quæ ab assensu firmo retraherent intellectum. — Qui assensus, etsi proprie loquendo sit **assensus scientificus,** interdum dicitur fides, quo sensu dicimus nos, ex ordine mundano, credere existentiam Dei.

---

(1) Contra v. g. de veritate 2 et 2 esse 4, nequidem imprudenter potest dubitari.

Talis iterum non est assensus fidei theologicæ, utpote qui dicatur in Epistola ad Hebræos, argumentum *non apparentium,* seu sit essentialiter assensus in veritatem quatenus intrinsece non apparet, sed *extrinsece tantum.*

5. c/ Tandem ubi veritas quidem apparet, etiam perfecte, — sed *extrinsece tantum,* i. e. in testimonio veritatis, intellectus necessario quidem admittet propositionem esse extrinsece veram, i. e. connexam cum aliquo indicio extrinseco veritatis; — sed quum *ipse* non *videat,* intrinsece np., veritatem objecti sui, *de se* non cogetur ad assensum in propositionem ipsam, sed requiret interventum voluntatis, ipsi assensum imperantis.

Et en jam **sensu proprio actus credendi** (1), seu actus fidei, quo nim. intellectus firmiter adhæret veritati alicujus propositionis, non quia ipse perspicit veritatem, sed quia alius testatur se veritatem perspicere.

Apparet autem non *omnem* talem assensum esse actum fidei *theologicæ,* sed solum illum *propriissime* esse actum fidei theologicæ salutaris qui datur **formaliter propter auctoritatem Dei revelantis,** *i. e. propter dignitatem quam,* ratione scientiæ suæ et veracitatis, *habet Deus testificans ad hoc ut sibi attestanti fidatur.*

Dicitur *a/ Dei,* non *hominis,* et sic distinguitur fides divina a **fide humana,** qua v. g. puer credit magistro, vel filius parentibus.

Dicitur *b/ formaliter propter auctoritatem* Dei revelantis, i. e. quia Deus dixit, cui, ob ipsius scientiam et veracitatem dignum est ut ego creatura intellectum meum submittam; — et sic distinguitur fides divina quæ sit meritoria, a fide quæ dicitur **ob evidentiam in attestante** (2), seu quæ daretur alicui veritati *quia tibi*

(1) Sub nomine *fidei* intelligitur quilibet assensus firmus voluntarius, non is tantum qui formaliter propter auctoritatem testantis adhibetur. — De Jaegher, *Instit. Philos.,* n. 92.

(2) Ab aliis vocatur fides scientifica, seu historica. Ita Van Noort, *De fontibus revelationis necnon de fide divina,* p. 239 s. Circa quam cfr. Billot, *De virtutibus infusis,* pp. 203 ss.

constat hanc veritatem contineri testimonio divino adeoque veridico. Quo sensu v. g. dæmones credunt imo non possunt non credere, *quia ipsis evidens* est Deum non posse errare in loquendo, et Deum esse locutum; minime vero quia volunt agnoscere auctoritatem Dei, scientiam ipsius et veracitatem infinitam, et sic Deo præstare obsequium intellectus sui et laudem deferre (1).

6. Posset autem veritas revelata credi ob auctoritatem Dei revelantis *actu naturali*, seu, supposita revelatione divina, credi solis viribus naturæ; et esset actus fidei *naturalis;* vel potest credi **actu supernaturali**, et salutari, i. e. eliciti a viribus naturæ *elevatis* sive per virtutem infusam fidei, sive per gratiam actualem transeunter supplentem vices habitus. Et hic est assensus proprie dictus fidei theologicæ supernaturalis.

Unde **actus fidei theologicæ supernaturalis**, hac ratione describi, et a variis aliis quæ vocantur eodem vocabulo fidei distingui potest: *Est assensus intellectus, a voluntate libere imperatus, firmus super omnia, in veritatem a Deo revelatam, formaliter propter auctoritatem Dei revelantis, elicitus viribus supernaturalibus seu ab intellectu supernaturaliter elevato.*

Coroll. 1/ Cum hac significatione primaria vocis fidei de qua sub 5°, connexæ sunt variæ *secundariæ,* quibus scil. fides sumitur pro

a/ veracitate et veritate loquentis propter quam ipsius verbis assensus datur;

b/ doctrina cui assensus præbetur;

c/ tota summa religionis christianæ.

2/ Variis modernis, vestigiis Kant inhærentibus et subjectivismo indulgentibus, fides est assensus firmus rerum metaphysicarum et moralium, qui ultimo nititur dispositionibus subjectivis, motivisque ordinis affectivi.

---

(1) Ab hac recta notione fidei, qua dicitur assensus præstitus *formaliter propter auctoritatem Dei revelantis*, pendet solutio integræ quæstionis de essentiali libertate fidei, de ejus merito, de ejus infallibilitate et firmitate.

In quam notionem plus æquo nonnulli apologetæ inclinantur. De quibus cf. *Collat. Brugen.*, t. XIII, pp. 201 ss., 276 s.; *Van Noort*, o. c., p. 136 s.

V

Q. *Breviter expone, simul indicatis argumentis, quodnam sit subjectum actus fidei theologicæ.*

R. **Prænota** quæstionem moveri a/ non de subjecto *remoto* actus fidei, et ideo non quæri quinam homines (vel angeli vel dæmones vel animæ separatæ) sint capaces eliciendi hunc actum, sed de subjecto *proximo*, seu de facultate vel facultatibus animæ a quibus actus fidei efficienter procedit; b/ non de subjecto *habitus* fidei, et ideo non quæri utrum præter virtutem infusam intellectui in ordine ad eliciendos assensus supernaturales, admittendi sint ulteriores adhuc habitus infusi, puta voluntati in ordine ad eliciendum imperium fidei, vel intellectui in ordine ad eliciendum judicium credibilitatis, vel assensus varios inferiores assensu formali fidei (1).

Thesis: *Subjectum eliciens actus fidei supernaturalis est intellectus; subjectum imperans est voluntas; utraque autem potentia per gratiam elevata* (2).

1ª Pars: *Actus fidei salutaris proxime pertinet ad* **intellectum**, *et formaliter consistit in assensu veritatibus præstito. — Probatur:* a/ *ex S. Scriptura.* Et *in genere* quidem dici potest in pluribus locis ubi sermo fit de fide salutari, hanc expresse exhiberi tanquam pertinentem ad intellectum; vocari cognitionem, persuasionem; exhiberi tanquam tendentem in verum; ipsi assignari tanquam objectum varias veritates speculativas admittendas. Quæ omnia abunde manifestant actum fidei proprie et formaliter esse actum intellectus. Ita *in*

(1) Ulterius exponitur apud *Collat. Brug.*, t. II 555 ss., et VI, 455 ss.
(2) Cfr. S. Th., Qu. disp., 14ª, *De Veritate.*

specie Ep. ad Hebr., c. XI, 1 ss. Hic enim agitur de fide salutari, utpote sine qua impossibile est placere Deo, et ex qua justus vivit (c. X). Hæc autem dicitur substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, i. e. sive firma *convictio*, sive *demonstratio* rerum quæ non videntur; et proinde ad intellectum pertinere dicenda est (1). Cæteroquin h. l. variæ *veritates* exhibentur ut objectum ejusdem fidei: Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit. Idem observa Jo. VI, præsertim vv. 61 et 70; XI, 25 ss.; 42; XX, 31 ubi scopus totius evangelii edicitur: « Hæc scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus »; Rom. X, 9. — Quare munus prædicatorum fidei dicitur a Paulo in eo esse ut in captivitatem reducant omnem intellectum in obsequium Christi (II Cor. X, 5).

b/ *Ex Traditione*, ubi quam plurimos textus similes illis quos ex S. Scr. hausimus, invenies — quos vide apud varios AA. — et notabis antiquissimam consuetudinem a catechumenis exigendi professionem præcipuorum mysteriorum religionis in symbolo apostolico comprehensorum. Hinc enim manifestatur constans ecclesiæ persuasio, fidem, quæ justificationis initium est, esse assensum intellectus in mysteria revelata (2).

c/ *Ex symbolis et conciliis*, præsertim Tridentino et Vaticano, quæ actum fidei salutaris exhibent ut assensum in *veritates* qua tales, quæ proin sunt *intellectu* affirmandæ (3). Fides enim dicitur virtus qua a Deo *revelata vera* esse credimus (Conc. Vat., Constit. *Dei Filius*, c. 3.; Trid., sess. 6, c. 6.); anathema indicitur

---

(1) Ampliora vide apud Billot, *De Virtutibus*, pp. 277 ss.

(2) Van Noort, *o. c.*, n. 266.

(3) Quare distinguit Conc. Vat., cap. 4, *De Fide et Ratione*, « duplicem ordinem *cognitionis*....; in altero naturali ratione, et altero *fide cognoscimus*... ea quæ... nisi revelata divinitus, *innotescere* non possunt ». Solius autem intellectus, non voluntatis, est *cognoscere*.

contra illos qui *affirmat* contradictoriam talis vel talis veritatis fidei ; in symbolis et professionibus fidei profitemur nos *credere* tales et tales veritates, Trinitatem, Incarnationem, etc.

d/ « Conspirat *universa Schola*, ut patet ex fidei definitionibus quæ in illa traduntur, ex theoremate apud eam certo, fidem esse referendam inter virtutes intellectuales, ex tot quæstionibus circa fidem agitatis, v. g. utrum de eodem objecto fides et scientia haberi possit, etc. » (1) Et clare ponit S. Th. argumentum generale, unde vim suam desumunt quos citavimus textus sub a/ b/ c/: « Credere immediate est actus intellectus, quia objectum hujus actus est verum, quod pertinet ad intellectum, et ideo necesse est quod fides quæ est proprium principium hujus actus sit in intellectu, sicut in subjecto » (2-2, q. 4, art. 2).

Et sic *congrue* omnino naturæ hominis, quem voluit Deus modo humano ad finem suum ultimum supernaturalem tendere, statuitur fidem, quæ est, juxta Conc. Vat. *salutis initium,* consistere in cognitione supernaturali. Prima enim dispositio quoad operationem quamlibet humanam, stat in vi cognoscitiva.

Nota. — Ex dictis refellitur *error Protestantium,* actum fidei constituentium in fiducia *voluntatis,* erga divinam misericordiam sibi remittentis peccata propter Christum, et sic docentium « assensionem » fidei magis esse cordis quam cerebri, et affectus magis quam intelligentiæ (2); item error multorum *modernorum*, fidem constituentium in *affectu* seu *sensu* quodam vago religioso, proveniente in homine ex sua indigentia divini (3).

2ª Pars: *Actus fidei mediate et imperative procedit a* **voluntate.**

Probatur: a/ *Ex S. Scriptura* ubi fides *præcipitur,*

---

(1) Bouquillon, *o. c.*, n. 15.
(2) Calvinus, *Instit. Rel. christ.*, l. 3, c. 2, n. 8.
(3) Cfr. *Collat. Brugen.*, t. XIII, pp. 203 ss., 276.

ubi credenti præmium, non credenti pœna intimatur. (1 Jo. III, 23; Mc. XVI, 16; Matt. VIII, 10; Rom. IV, 3). Hæc autem non intelliguntur, nisi fides a voluntate et quidem libera pendeat.

b/ Ex *concilio Vatic.* quod docet nos teneri « plenum revelanti Deo intellectus et *voluntatis* obsequium *fide* præstare »; et definivit fidem esse donum Dei « quo homo *liberam* præstat ipsi Deo obedientiam » (1). Fidei autem assensus liber esse nequit, nisi præcise ratione voluntatis libere intervenientis ad imperandum assensum fidei.

c/ Hæc fuit iterum *doctrina universalis*, post *S. Thomam*, l. c. ad 1m « Actus fidei dicitur consistere in credentium *voluntate,* in quantum ex imperio voluntatis intellectus credibilibus assentit ».

d/ *Ratio* est quia intellectus ad quemvis assensum non determinatur nisi vel per ipsum objectum, quod np. intellectui intrinsece et perfecte manifestatur, vel per voluntatem, ubi nim. vel deest evidentia intrinseca, vel intrinseca, quæ adest, est insufficiens. In casu autem, quum credere essentialiter sit aliquid admittere ob auctoritatem alterius, deest vi ipsius motivi evidentia intrinseca. Unde *a voluntate* intellectus ad assensum est determinandus.

Et sic iterum *congrue* naturæ hominis, quem voluit Deus modo humano tendere ad finem suum, statuitur ipsum initium fidei, etsi sit donum gratuitum Dei, tamen *libere* admitti vel rejici ab homine.

Nota. — Ex dictis refellitur *error Rationalistarum* quibus fides, pro quanto de ea loquuntur, est mera scientia rationalis rerum ad Deum et ad religionem pertinentium; — et *Semi-rationalistarum*, duce Hermes

---

(1) Const. *De Fide,* c. 3 et can. III, 5. — Cfr. *Conc. Trid.*, Sess. 6, c. 6: « Disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitati gratia divina et adjuti. fidem ex auditu concipientes, *libere moventur in Deum, credentes vera esse* quæ divinitus revelata sunt ».

(† 1831) quibus fides cognitionis est assensus intellectualis in veritatem revelatam, necessario productus per argumenta rationalia. Hi omnes interventum voluntatis inducere non indigent.

3ª **Pars**: *Utraque facultas, debet, ne actus maneat naturalis, elevari per* **gratiam.**

Constat hæc pars ex *principiis generalibus* de quibus in tractatu de gratia, non valere nempe hominem ullum actum ponere *sicut oportet ad salutem,* adeoque nec actum fidei salutarem, quin facultates ad actum concurrentes per gratiam eleventur. Quare elevandus est *intellectus,* per virtutem np. fidei infusam, vel saltem ubi hæc deesse contingit, per gratiam actualem vices habitus supplentem; item elevanda est *voluntas,* iterum sive permanenter, nimirum (ut contra quosdam probabilius sustinetur), per ipsam virtutem infusam caritatis, vel ubi hæc deesse contingit, per gratiam actualem transeunter supplentem vices habitus (1).

A. VANDER HEEREN.

VI

Q. *Dans quelles limites un État chrétien peut-il user de tolérance civile ou politique à l'égard des infidèles et de leur culte?* (2)

Remarques préliminaires. 1° La tolérance civile, comprise dans le sens le plus restreint du mot, s'entend de la part des pouvoirs publics, qui s'abstiennent de défendre ou de réprimer la profession et l'exercice d'une religion, qu'ils regardent comme erronée (3).

---

(1) Cfr. AA. ubi de subjecto habitus fidei.

(2) Voir: Mgr MOULART, *L'Église et l'État,* 4° édit., p. 305-312; VAN DEN BERGHE, *L'Église et L'État,* p. 100-105; DARIS, *L'Église et L'État,* p. 32-39; PLANEIX, *L'Église et l'État, leur séparation en France,* p. 213-234, Paris, 1906; *Staatslexicon,* 2e édit., v° *Toleranz,* t. V, col. 751-773.

(3) VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 89; CAVAGNIS, *Institutiones juris publici*

2° Les infidèles sont tous ceux qui, n'ayant pas reçu le baptême, ne sont point soumis à la juridiction de l'Église, soit qu'ils professent un culte — juifs, mahométans ; soit qu'ils n'en professent aucun — athées.

3° L'État a un véritable droit de juridiction sur ses sujets infidèles, en vue du bien temporel commun.

Rép. La question doit être envisagée à un double point de vue: au point de vue de la liberté de conscience et au point de vue des pratiques et des doctrines religieuses des infidèles.

I. Liberté de conscience.

L'État ne peut forcer les infidèles à embrasser la foi catholique. Il n'a point qualité pour user de contrainte en cette matière, ni en vertu de sa propre juridiction ordonnée à la fin temporelle de la société civile, ni en vertu de son titre d'auxiliaire de l'Église à laquelle les infidèles ne sont point soumis. D'ailleurs la nature de l'acte de foi répugne à l'emploi de la coaction.

L'État chrétien doit cependant venir en aide à l'Église, pour lui garantir l'exercice efficace de son droit de prêcher l'Évangile aux nations. En conséquence, il a l'obligation de réprimer toute tentative contraire à ce droit, et il est tenu de mettre au service de la société spirituelle la force de ses armes, pour protéger contre les attaques des infidèles la vie, la liberté et les biens des missionnaires catholiques (1).

---

ecclesiastici, 3e edit., t. I, nos 84 ss., p. 355; *Staatslexicon, l. c.*, col. 755. La tolérance admet divers degrés; ainsi l'État chrétien peut traiter avec une égale faveur, au point de vue des droits et avantages civils, tous les citoyens, quelle que soit la religion qu'ils professent; il peut reconnaître les cultes dissidents comme des êtres moraux, capables de droit. Il faut remarquer que la tolérance du mal, appartenant aux principes de la prudence politique, doit être rigoureusement circonscrite dans les limites exigées par le droit naturel et le salut public. V. l'encyclique *Libertas præstantissimum*, § *Vehementer quidem*.

(1) Suarez, *De Fide*, disp. 18, sect. 1; Bouquillon, *De virtutibus theologicis*, n° 280, p 202 s., Brugis, 1878; Daris, *o. c.*, p. 36 s.; Moulart, *o. c.*, p. 297; Planeix, *o. c.*, p. 218. C'est là le fondement du Protectorat

C'est par application de ce devoir positif de l'État en ce qui concerne la propagation de la foi chrétienne, que, d'après une opinion très probable, soutenue par de graves théologiens et mise en pratique par les Papes, le pouvoir civil peut forcer ses sujets infidèles à recevoir et à écouter les prédicateurs de l'Évangile et que même, il a le droit d'user de certains moyens indirects pour amener les dissidents à se convertir au Catholicisme (1). Ces moyens sont par exemple: la promesse de quelque avantage temporel et qui n'est point dû d'ailleurs, faite à ceux qui reçoivent le baptême; de justes restrictions apportées à certaines prérogatives civiles ou politiques des infidèles, à leur liberté de tester ou de s'associer. On peut encore assigner comme fondement à ce droit des princes chrétiens, le bien de l'État; puisque l'unité de foi et de principes est un élément prépondérant de paix et de stabilité sociale. Jamais cependant ces moyens indirects de conversion ne peuvent être l'équivalent d'une véritable contrainte morale.

II. Liberté des cultes et des doctrines religieuses.

a/ Les États chrétiens peuvent et doivent tolérer ces doctrines et ces cérémonies religieuses des infidèles, qui, bien que contraires aux dogmes et aux prescriptions de la foi catholique, ne sont cependant pas opposées à la loi naturelle. La raison en est, que

---

des Missions, exercé notamment par la France en Orient et en Extrême-Orient. Ce droit exclusif de protéger les intérêts catholiques dans ces pays — à part quelques exceptions de lieux et de personnes — ne dérive pas exclusivement des traités internationaux, mais surtout de la libre concession du St-Siège. V. *Le livre blanc du Saint-Siège. La séparation de l'Église et l'État en France.* Exposé et documents, p. 69-74. Paris, Édition des questions actuelles; *Le Protectorat catholique de la France en Orient et en Extrême-Orient.* Étude historico-juridique par un Prélat romain. Paris, Maison de la Bonne Presse, 32 p.

(1) Bouquillon, *o. c.*, n° 283, p. 204; Van den Berghe, *o. c.*, p. 102 s.; Cavagnis, *o. c.*, p. 381, n° 631.

dans l'ordre des vérités révélées l'État n'a pas d'autorité directe et propre, et qu'il ne peut agir comme mandataire de l'Église, puisqu'en cette matière, la société spirituelle elle-même est sans pouvoir sur les infidèles (1).

b/ Mais *en règle générale*, le prince chrétien doit interdire dans ses états les doctrines et les pratiques religieuses contraires à la loi naturelle: l'idolâtrie, la négation de l'existence de Dieu, de la spiritualité de l'âme, les sacrifices humains, les actions contraires aux bonnes mœurs, la polygamie. En effet, les vérités fondamentales de la religion naturelle sont la base nécessaire de la morale publique, de la famille, de tout l'ordre social. Or, le pouvoir du prince est avant tout destiné à soutenir et à préserver de toute atteinte les fondements mêmes de la société. C'est donc pour lui un devoir et un droit de proscrire, au nom du droit naturel social, ces pratiques cultuelles inhumaines et immorales, ces doctrines athées et libre-penseuses, destructives de tous les éléments constitutifs d'une nation. La tolérance de ces libertés antisociales qui mettent à néant toute obligation de conscience et tout droit véritable, conduit nécessairement une nation à la tyrannie ou à l'anarchie (2).

Dans cette répression, l'État chrétien ne peut jamais perdre de vue les enseignements de l'Église, puisque seule, elle est l'interprète infaillible de la loi naturelle (3). C'est en cette qualité que l'Église a toujours engagé les nations chrétiennes à proscrire l'idolâtrie, à renverser les temples des faux dieux, à détruire les livres théologiques du paganisme.

---

(1) MOULART, *o. c.*, p. 308; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 103.

(2) CAVAGNIS, *o. c.*, n° 472, p. 289; GAUDEAU, *L'Église et l'État laïque*, p. 61 ss., Paris 1905; *Staatslexicon, l. c.*, col. 762 s., 765 s. Cette obligation reste vraie en toute hypothèse, sous le régime d'union ou de séparation.

(3) MOULART, *o. c.*, p. 309.

c/ Ce principe général admet *des exceptions*. Même en cette matière, il y a parfois lieu d'user de quelque tolérance, si un semblable décret de proscription était de nature à causer un préjudice notable à la religion ou à la nation, à provoquer des troubles ou des guerres civiles, à mettre obstacle à la conversion des infidèles. Le prudence chrétienne veut que le prince mette ses lois en rapport avec l'état des mœurs et les nécessités sociales et elle ordonne qu'entre deux maux il choisisse le moindre.

Toutefois, la tolérance a des limites qu'une nation ne peut jamais franchir. Jamais on ne peut consacrer l'impunité du crime, tolérer la manifestation et la propagation de ces doctrines qui favorisent le matérialisme le plus abject, attaquent la propriété et le pouvoir, souillent la sainteté du mariage, préconisent ces pratiques immorales qui atteignent un pays dans les sources de sa vie (1). La tolérance de telles doctrines directement opposées aux principes fondamentaux de la morale et de la religion naturelle est une erreur fatale aux sociétés.

A. De Meester.

(1) Moulart, *o. c.*, p. 310; Gaudeau, *o. c.*, p. 110 ss.

De dispensationibus quadragesimalibus.

(*Sequitur*. — Cfr. suprà p. 149 ss.).

III. Quoties de die liceat ova — vel — carnes comedere.

« Nous permettons l'usage de la viande les Dimanche, Lundi, Mardi, Jeudi et Samedi de chaque semaine, excepté le Samedi des Quatre-temps (6 Mars) et le Samedi-Saint. Les personnes tenues au jeûne ne peuvent manger de viande qu'une seule fois le jour, en dehors des Dimanches, et cela au repas principal, et non à la collation; il en est de même du bouillon et du jus de viande ». *(Art. IV Ind. quadr.)*.

Similis est dispositio quod spectat, certis diebus, esum ovorum *(art. II)*.

Circa hos autem articulos dubium motum fuit, utrum per illum revera *omnibus* qui *quocumque titulo jejunare* non tenentur, liceat sæpius de die carnes (1) manducare, nim. non tantum iis qui a *jejunio* sunt *excusati,* sed etiam illis qui ab eodem tantummodo sunt *dispensati,* puta a parocho vel confessario (art. IX). Hanc enim distinctionem inducunt quidam AA., qua nim. « qui ratione ætatis vel laboris vel infirmitatis a *jejunio excusati* (non autem qui ex justa causa *dispensati*) sunt, possunt diebus jejunii, quibus per indultum generale episcopi esus carnis permittitur, toties carnes comedere, quoties cibum sumunt.... ». Hinc non liceret pluries de die manducare carnes, iis « qui solum ratione *dispensationis* jejunare non tenentur. Hi ergo indigent peculiari dispensatione, ut sæpius carnes comedere possint, quam per indultum quadragesimale licet » (2).

Circa quod dubium hæc videntur, salvo meliori, notari posse:

A. Indubium est *apud nos de facto quosvis* non jeju-

(1) Idem semper intellige dici de *ovis*.

(2) Ita NOLDIN, *De præceptis*, ed. 7ª, n. 690.

nantes, sive ob causam excusantem, sive etiam ob dispensationem tantum, licite carnibus uti quoties edunt de die. Talis enim *mens* fuisse *dispensantis,* patet ipso textu Indulti: « Les personnes tenues au jeûne ne peuvent manger de viande qu'une seule fois le jour... » Jamvero videtur impossibile expressionem: « Les personnes *tenues* au jeûne », comprehendere etiam illos qui a lege jejunii sunt *immunes,* licet per *dispensationem* tantum. Quis enim dicet illos, qui vi dispensationis legitime obtentæ, licite non jejunant, « teneri ad jejunium »? (1) — Quod omnino *confirmatur* ex comparatione instituta inter indulta quadr. inde ab a. 1895, et indulta quadr. usque ad a. 1894. Etenim, usque ad a. 1894, relate ad ova (2), tempore jejuniorum, statuebatur « il est permis d'en manger (plusieurs fois) à ceux qui sont *dispensés* du jeûne, ou qui n'y sont *pas obligés* » (3), inde vero ab anno 1895 statuitur. « Les personnes tenues au jeûne, ne peuvent en manger qu'une seule fois... ». (Quæ formula eadem adhibetur hodie relate ad carnes). Certum est autem Episcopum, mutando *formulam* adhibitam, non intendisse restringere ipsas facultates concessas.

B. Cæterum, non immerito, ut videtur, quæri potest quibusnam argumentis *probetur distinctio* hac in re tradita ab AA.

Argumenta autem hæc quæ ab AA. h. l. citantur, reducuntur ad varias *constitutiones Benedicti XIV*, *ad bullam Clementis XIII Appetente*, et ad *varia decreta S. Officii et præsertim S. Pœnitentiariæ.*

---

(1) Cæterum quemnam sensum haberent verba: « *et cela au repas principal et non à la collation* »? Num enim datur pro *dispensatis* a jejunio refectio principalis et collatio?

(2) Usque ad a. 1895, *nemini* licebant carnes pluries de die, ut dicetur infra.

(3) Ita etiam in pluribus diœcesibus Galliæ permittebatur usus carnis omnibus « qui ne sont pas tenus au jeûne, ou qui sont dispensés de l'observer ». *Nouv. Rev. Théol.*, t. XX, p. 106.

Jamvero, ex his non videtur nobis, salvo meliori, probari intenta distinctio.

I. *Ante Benedictum XIV* multum controversa existebat (1) distinctio inter præceptum *jejunii stricte dicti*, (quo prohibetur quis, ne plures refectiones plenas sumat de die), et præceptum *abstinentiæ* jejunio proprium, (quo quis, tempore jejunii, prohibetur a carnibus, ovis et lacticiniis); imo a notissimis theologis et canonistis, puta a Suarez (2), et a Schmalzgrueber (3), aperte negata; acriter fuerat ab aliis propugnata, puta a Lacroix (4). Priores nim. docebant eum qui dispensatus erat a carnibus, eo ipso esse solutum a lege jejunii, et licite plures de die *refectiones plenas* sumere; id autem negabat Lacroix. Unde, quod adverte, quæstio minime erat, utrum qui dispensabatur ad carnes edendas, potuerit eo ipso pluries de die manducare *carnes*. Cui controversiæ finem imposuit Benedictus XIV (5), et auctoritate sua apostolica distinctionem servandam esse edixit, constitutionibus suis variis (6). Quare variis his scriptis suis, continuo præcavere intendit ne dispensatio concessa in *abstinentia* vergeret in nocumentum legis *jejunii* (7). Et ideo statuit ne quivis Papa inferior dis-

---

(1) Cfr. Filliucius, *Quæstionum moralium...*, tr. 27, c. 3, nn. 51-53.

(2) Tom. III, *in 3 part.*, Disp. 70, sect. 2.

(3) *Jus ecclesiasticum universum*, lib. 3, tit. 46, n. 17.

(4) *Theol. moralis*, lib. 3, part. 2, n. 1269.

(5) Cfr. *Instit. XV*, n. 20 ss.

(6) *Non ambigimus*, 30 Maii 1741; *In suprema*, 22 Aug. 1741; *Cognovimus*, 12 Maii 1742; *Si Fraternitas*, 8 Julii 1744; *Libentissime*, 10 Junii 1745. Quæ citabuntur infra, juxta edit. Mechlin. *Benedicti XIV Bullarium*.

(7) « Nolumus vos ignorare cum hujusmodi necessitate (dispensandi quoad esum carnium), et servandam esse potissimum *unicam comestionem*... et licitas atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse » (*Non ambigimus*, o. c., t. I, p. 99). « In illo (mandato quadr.) plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendos a *jejunii* legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, et legitima prius auctoritate interposita, quadragesimæ *abstinentiam* non observarent... » (*Libentissime*, o. c., t. III, p. 153). « Decrevimus, ne ulla in posterum... concedatur facultas *adhibendi carnes* ad mensam tempore jejunii vel quadragesimæ, nisi conditio *servandi jejunii*, seu *unius comestionis* interponatur..... Equi-

pensationem concederet in usu carnium, nisi addita (præter restrictionem de non miscendis epulis) restrictione seu conditione *de unica tantum comestione habenda in die*. — Id quod præcise intendit, non erat ut *unica tantum vice carnes* manducarentur, sed ut unica esset comestio; seu, uno verbo, non admittebat immunem a lege *abstinentiæ*, eo ipso esse immunem a lege *jejunii* (1). — Ulterius tamen, *in hac hypothesi* qua quis tenetur lege *jejunii* ad unicam comestionem de die, non poterat quis *uti carnibus*, nisi in hac refectione principali, et *sic semel de die* tantum. Juxta Benedictum XIV enim, et sane omnino juxta naturam refectiunculæ (ne nim. fiat *refectio*), carnes prohibentur in hac collatione vespertina (2). In hac ergo hypothesi procedit lex Benedicti XIV; non vero examinat hypothesim illius, qui *ab ipsa lege jejunii* immunis est (3). Id ipse cæteroquin explicite:

---

dem existimavimus, *unicam* singulis diebus *comestionem* inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum Jejunium indicitur, rite obtinuerunt... » *(ibid)*. « Eam conditionem semper addidimus (variis dispensationibus a Nobis concessis in lege *abstinentiæ*), ne *jejunii lex unius per diem comestionis* ullo modo violaretur (ibid., p. 158). Sic de facto ipse egerat (*Instit.* XVI, n. 8). « Facultatem concedimus ut in futura Quadragesima *ovis ac lacticiniis* vescantur;.... Illud tamen declaramus, neminem per hanc facultatem a *jejunii* legibus absolvi ».

(1) Et hoc modo intelligi potest quæstio, secus absurda, Benedicto XIV proposita ab Archiepiscopo Compostellæ, cuique solutionem dat Pontifex in Ep. *Si Fraternitas;* « An ii quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate *carnis* vesci, quæ jejunantibus permittitur? |*Intellige:* Siquidem ipsi in collatione licita est quædam quantitas cibi, an hanc quantitatem potest *ex carnibus* sumere?| « Respondemus: non licere; sed opus habere eo cibo eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ ». (o. c., t. II, p. 285). Si enim Benedictus XIV in literis suis anterioribus, circa quas præcise quærit orator, præscripserat *unica tantum vice* posse carnes manducari, quomodo potuisset ipsi quæstio poni: utrum ergo liceat *etiam vespere* carnibus vesci. — Contra optime intelligitur quæstio si Benedictus XIV præcise urserat unicam comestionem plenam, cum refectiuncula vespertina.

(2) Vide textum, nota præcedente.

(3) « Il (Benoit XIV) n'examine pas si celui qui est déjà dispensé de l'unité de repas, pourrait ou non faire usage de la dispense de l'abstinence plusieurs fois le jour. » *Mélanges théol.*, 4e série, p. 230.

« Respondemus igitur postulato tuo, nos in literis definiendum non suscepisse, an qui ecclesiastica auctoritate a *jejunio* excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed jussæ pariter *vespertinæ abstinentiæ* fines egredi queant » (1).

Sic bene Jo. Dom. Mansi, in *Epitome doctrinæ mor. et canon.*, v° *Jejunium:* « Dispensatio impetrata in Quadragesima vescendi carnibus, non continuo deobligat ab unica comestione, quare sic dispensati declarantur (a Benedictio XIV) ad eam teneri... ».

Unde sequitur quod « lex qua carnibus vesci prohibetur in cœna non est pro iis quibus secunda comestio permittitur » (2), seu lex de unica tantum vice carnes manducando, non obligat nisi solos jejunantes (3). Et ideo, *indifferens* esse debet utrum quis a lege jejunii *excusetur*, quin indigeat dispensatione, an vero tantum *dispensetur*. Juxta mentem Pontificis, *omnes,* eodem jure, die qua licet carnes manducare, his utuntur *quoties volunt.*

Nota. — Clemens XIII, constit. *Appetente*, 20 Dec. 1759, « nonnisi sancita a prædecessore suo (Benedicto XIV), præsertim circa qualitatem cibi sumendi in serotino jentaculo, ab eis, cum quibus, ob justas et legitimas causas, ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, confirmavit, ac declaravit, nihilque amplius ad rem hanc indixit... » Unde, ex hoc nequit speciale argumentum aut difficultas desumi, et rarissimi sunt qui ex hac Constit. speciale argumentum desumunt (4).

---

(1) Constit. *Cognovimus*, o. c., I, p. 337. Cfr. *Mélanges théologiques*, 4e serie, p. 228 ss.

(2) S. Alphonsus, lib. 3, tr. VI, c. 3, n. 1027, *in edit.* 7a. Vide edit. Gaudé, *nota g*.

(3) « Lex reipsa et communis qui dicitur sensus, satis clare edicebant, id (carnes np. semel tantum licere) præscribi (a Benedicto XIV) iis qui *ratione jejunii* ad unicam comestionem obligantur ». Ballerini-Palmieri, p. 784. Sic cfr. item Dens, edit. 1829, t. 4, n. 273 de jejunio : Licet pluries manducare carnes « illi cui ex justis causis licitum est sumere aliis diebus jejunii plures refectiones integras ».

(4) *Mélanges théol.*, l. c., p. 231. Cfr. Cuniliati, *Theol. mor.*, tr. XII. cap. I, § 3, quær. 1.

II. Exposita lege qualis nobis videtur esse intelligenda ex variis Constit. Benedicti XIV, quæritur ulteriùs utrum dicta distinctio non valeat desumi *ex decretis Congregationum Romanarum*, circa hanc materiam. Revera AA. ex his arguunt.

Præmittuntur varii textus quos, ut huc facientes adducunt:

1/ « An fideles, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, licite possint in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus et lacticiniis, per idem indultum permissis, quoties per diem edunt? » Sacra eadem Pœnitentiaria sub die 24 Februarii 1819, re ponderata censuit respondere: Posse (1).

2/ « Qui obtinuit dispensationem utendi cibis vetitis in quadragesima, sed qui non tenetur lege jejunii seu unicæ comestionis, ob ætatem, laborem aut aliam causam legitimam, potestne cibis iis vesci, quoties comedit? » S. Pœnitentiaria, attente consideratis expositis, respondet: Affirmative. — 8 Febr. 1828.

3/ « An illi qui dispensantur (2) (Se coloro, i quali sono dispensati dalla osservanza del digiuno...) super observantia jejunii, ob exercitium laboriosæ artis in quadragesima, cum indultum concessum est vescendi carnibus et lacticiniis (pro unica comestione) possint uti carnibus et lacticiniis quoties per diem edunt, sicut diebus dominicis quibus jejunium non præcipitur? » S. Pœnitentiaria de mandato fel. rec. Pii Papæ VII respondet, fideles qui ratione ætatis, vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus, aut lacticiniis per idem indultum permissis quoties per diem edunt. — 16 Jan. 1834.

4/ « An ii qui ratione affectæ valetudinis a lege jejunii dispensati sunt, possint iis diebus, quibus per indultum esus carnium concessus est, sæpius per diem carnibus vesci? » Sacra eadem Pœnitentiaria, mature ac diligenter perpenso

---

(1) *Acta S. Sedis in compendium redacta*, t. XIV, p. 568.

(2) Vertit LEHMKUHL: *exempti*, n. 1220, post GURY, *Compendium Theol. mor.*, ed. 19ª, n. 514.

proposito dubio, sub die 16 Martii 1882 respondendum censuit: Fideles, qui ratione affectæ valetudinis a lege jejunii seu unicæ comestionis eximuntur, licite posse, iis quadragesimæ diebus, quibus esus carnium per indultum permissus est, toties carnibus vesci, quoties per diem edunt (1).

Ex his constat varias classes personarum de quibus in iis agitur, posse, diebus quibus Episcopus, per indultum quadragesimale carnes permittit, *pluries* comedere carnes de die, in quacumque refectione. Attamen potest episcopus, etiam relate ad has classes personarum (2) limitare hunc usum, et permittere etiam his, ut *semel* tantum comedant carnes (3). Unde, nisi *expresse* quoad has classes personarum dispensationem ad carnes, *restringat,* possunt, hi omnes de quibus in decretis allatis agitur, *pluries* de die manducare carnes.

Et circa hoc quæritur:

a/ Utrum merito dicatur hanc licentiam *pluries* manducandi carnes, (quibuscumque nunc supponatur concedi) factam esse *per hæc decreta;* seu per hæc decreta mitigatum, temperatum fuisse rigorem legis Benedicti XIV. Sic enim dixerunt: « Benedictus XIV, *cuilibet* dispensationi in abstinentia voluit addi restrictionem qua *semel tantum de die* liceret *carnes manducare.* Unde

---

(1) Decreta hæc (2-3-4) vide apud *Acta S. Sedis,* t. I, pp. 424 ss., et apud varios auctores.

(2) Ubi tamen sic restringit, restrictione hac non necessario tenentur illi qui *ratione infirmæ valetudinis* a jejunio excusantur. (*Decr. S. Pœnit.,* 29 Junii 1863 — apud Lehmkuhl, n. 1220, 6°. Cæterum, S. C. Officii respondit talem restrictionem *non expedire.* (11 Dec. 1878), cfr. *Nouv. revue théol.,* t. XII, p. 7.

(3) Ita *decr. S. Pœnit.,* 29 Junii 1863. Cfr. *N. R. th.,* VIII, p. 333 ss.; XX, p. 109 s.; Ill. Waffelaert, *De Prud., Fort. et Temperantia,* p. 153, nota 1°; *Revue cath. de Louvain,* 1863, p. 437. (Et ita revera *apud nos,* usque ad a. 1894 inclusive, omnibus, etiam non jejunantibus, nonnisi semel de die licitus erat esus carnium. Episcopus enim iis qui non tenebantur jejunare expresse permittebat ut sæpius de die *ovis* uterentur; et sic, ex judicio S. Pœnitentiariæ, censebatur se *carnes* iis qui non tenebantur jejunare, semel tantum permittere. — Inde ab a. 1895, jam non apponitur hæc restrictio, et solis illis qui jejunare tenentur, prohibetur *pluries* de die carnibus vesci).

decreta S. Pœnit. discesserunt ab eo. » (1) — *Respondetur,* juxta supra exposita, hoc non videri admitti debere. Etenim Benedictus XIV voluit neminem *obligatum ad jejunium* ita uti dispensatione in abstinentia, ut pluries manducaret carnes de die; de iis autem qui *non tenentur jejunare*, nihil edixit; et sic S. Pœnit. variis suis decretis nihil mutavit, sed *mere applicavit jus Benedicti XIV*, interpretando Indulta Episcoporum juxta jus Benedictinum (2).

b/ Utrum ex his decretis probetur vi dispensationis in abstinentia *excusatos* a jejunio *sæpius* de die carnes edere, *dispensatos* vero *semel* tantum. — *Respondetur* iterum hoc non videri demonstratum. *Imprimis etiam si* decreta citata, unice agerent de talibus qui a jejunio *excusantur* per se, quin indigeant dispensatione, nil adhuc concludi posset: Quatuor his responsis S. Pœnitentiaria constanter respondet: iis, de quibus quæritur, *licere* pluries de die edere carnes. Sic respondet ad ipsam quæstionem; nec ullatenus *excludit* eamdem licentiam variis aliis de quibus non quæritur: nullatenus indicat se alio modo fuisse responsuram si interrogata fuisset de iis qui a jejunio *dispensantur tantum*. Circa hos, nihil dixit, utpote circa ipsos non interrogata.

---

(1) Sic fere *N. R. Th.*, t. IX, p. 575. — Hoc sensu etiam, ut videtur, NOLDIN, textu supra allato: « *ex voluntate S. Sedis* ». Item D'ANIBALE, *Summula theol. mor.*, t. I, p. 130: « *ex indulgentia dispensatoris* » (et citat decreta S. Pœnit.).

(2) Et sic S. ALPHONSUS, diu ante omnia decreta Romana citata, jam concluserat ex inquisitione circa ipsas Constitutiones Benedicti XIV: « Respondetur, prohibitionem Pontificis locum habere pro solo casu, quo dispensati ad unicam tenentur comestionem, juxta declarationem ab eodem Pontifice peractam,.... Lex igitur qua carnibus vesci prohibetur in cœna, non est pro iis quibus secunda comestio permittitur [et sic, ait, diebus dominicis pluries de die licent]. Idemque puto dicendum [aliis diebus] pro senibus, pro mulieribus prægnantibus aut lactantibus, ac præterea pro convalescentibus, et fabris sive operariis, atque aliis hujusmodi, qui ob laborem aut infirmitatem sunt ad carnes dispensati ». His omnibus ergo, a S. Alphonso declaratur licitum pluries de die edere carnes, *quia ipsis licet pluries manducare,* et aliunde sunt dispensati ad carnes. — *Theol. Mor., l. c.*

Quare, positive agnoscendo his *excusatis* a jejunio, facultatem pluries edendi carnes, *minime restrinxit eamdem facultatem a Benedicto XIV factam*, (si debite eum sumus interpretati), *omnibus* non jejunantibus, etiam vi dispensationis tantum (1).

Sed *ulterius* an ita manifestum est textibus citatis agi præcise de iis qui sunt *excusati* a jejunio? Quæritur enim *modo generali* circa eos qui ratione ætatis vel laboris *jejunare non tenentur* (decr. nº 1), circa eos qui *non tenentur lege jejunii*, ob ætatem, laborem aut *aliam causam legitimam* (nº 2). — Jamvero, nonne etiam illi qui dispensantur ob aliquam rationem sufficientem, nonne etiam illi possunt dici *non teneri lege jejunii ob aliquam causam legitimam?* Imo, si *verbis* (2) insistere volumus (ita Lehmkuhl, n. 1220 ad 6, subducit vocem: *eximuntur*), nonne agitur, (nº 3) de iis qui *dispensantur* ob laboriosam artem, vel (nº 4) de iis qui ratione affectæ valetudinis a lege jejunii *dispensati sunt?* (3).

Conclusio ex dictis hæc videtur posse deduci:

Benedictus XIV omnibus dispensatis ab abstinentia, et aliunde non excusatis vel dispensatis a lege jejunii, indixit semel tantum carnes vel lacticinia permitti. — *Congregationes autem Romanæ*, decretis suis minime induxerunt mutationem vel temperationem, sed mere

---

(1) Cæterum nonne multis conceditur dispensatio a jejunio, *ad cautelam*, ita ut ignoretur utrum sint dispensati an excusati?

(2) Cæterum notum est non ita stricte semper sumi terminos: *excusare, eximere, dispensare*. Ita vel in ipsis decretis de quibus hic agitur, in qu. ponitur: *dispensari*, in resp. autem *eximi*, (n. 4), vel, *non teneri* (n. 3). Item apud *Acta S. Sedis*, I, 427 nota 2ª, pro eodem ponitur: Qui a jejunio *excusantur* ratione ætatis vel laboris, et, Qui super jejunio *dispensatur* ratione ætatis vel laboris. Item loquuntur quidam: Ab ecclesiastico jejunio *excusant:* 1º/ superioris *dispensatio*. Sic: Kenrick, *Theol. mor.*, 2ª edit., p. 136; Marc, *Instit. morales Alphons.*, p. 796.

(3) Hæc verba, ad minus, non agunt sane de solis *excusatis*, ad exclusionem *dispensatorum*. Hinc merito *Nouv. Rev. Théol.*, t. XX, pp. 106 ss., docet Indultum quadr. plurium episcoporum Galliæ, licitas faciens carnes pluries de die, tum *excusatis* a jejunio tum *dispensatis* ab ipso, esse meram applicationem doctrinæ decretorum Romanorum.

applicaverunt dictas dispositiones Benedicti XIV casibus sibi subjectis. — Hinc *disciplina vigens* hæc esse videtur : *Tum* qui a jejunio excusati sunt, *tum* qui ab ipso tantum dispensati sunt, possunt diebus quibus ipsis esus carnis permittitur, per Indultum quadragesimale Episcopi, toties comedere carnes, quoties cibum sumunt quin requiratur peculiaris dispensatio ; nisi tamen Episcopus, vi indulti apostolici dispensans hanc facultatem expresse restringat etiam quoad illos ad unicam vicem. Quod si fiat, tenentur hi omnes dicta restrictione ; et ideo *hoc casu*, ut *pluries* possint comedere carnes, indigent vel ratione excusante (1), vel peculiari dispensatione. — Unde denique, *apud nos*, ubi deficit talis restrictio, ova et carnes licet edere *pluries de die*, *omnibus* non jejunantibus, sive ob causam excusantem, sive ob dispensationem (2).

---

(1) Sic revera S. Pœnit. respondit in casu hujus restrictionis inductæ ab Episcopo, illos qui non tenentur jejunare ob infirmitatem, *non æquiparari* iis qui non tenentur jejunare ob ætatem vel laborem. Infirmi nim. illi non tantum a jejunio, sed et ab abstinentia possunt excusari. Si vero infirmitas esset levior et exigeret tantum facultatem non jejunandi, tunc æquiparatur infirmus aliis quibusvis, et semel tantum de die ederet carnes. Cfr. Decr. *S. Pœnit.*, 29 Junii 1863. — Cfr. Ill. WAFFELAERT, *o. c.*, p. 153, *nota 1°*.

(2) Dictam distinctionem inter excusatos et dispensatos a jejunio, de qua inquirimus, explicitis verbis ponunt NOLDIN, textu initio allato ; D'ANIBALE, *Summula theologiæ moralis*, ed. 4ª, t. III, p. 130 ; KENRICK, *Theologia moralis*, ed. 2ª, t. I, p. 136. — Alii unice referunt verba S. Pœnit. « eos qui non tenentur jejunare, (vel) qui a lege jejunii eximuntur, (vel) qui a jejunio excusantur, ob ætatem, laborem aut infirmitatem licite pluries de die carnibus vesci ». Videntur autem sæpius innuere vel supponere se eamdem facultatem non agnoscere etiam *dispensatis* a jejunio. Ita LEHMKUHL, o. c., I, n. 1219, 2° (attamen, in op. *Casus Conscientiæ*, n. 979, jam non videtur innui distinctio) ; PUTZER-KONINGS, *Commentarium in facultates apostolicas*, p. 294, idem supponere videtur, occasione interpretandarum facult. quinquen. S. Congr. de Prop. Fide, form. III, n. 19 (cfr. *Liber Manualis*, p. 202). — Alii tandem videntur distinctionem nec supponere nec admittere, vel mixtim adhibent voces : excusatos, dispensatos, exemptos. Ita Ill. WAFFELAERT, *o. c.*, p. 153, nota 1° ; SCAVINI, *Theologia moralis universa*, edit. 10ª, t. I, lib. 1, p. 228, nota 6. (Hic ex ipsis decretis S. Pœnit. deducit : « Si indultum est vescendi carnibus pro unica refectione, tunc dispensati a jejunio (his ver-

Corollarium. Benedictus XIV cuicumque dispensationi concedendæ in ordine ad carnes edendas, voluit duplicem conditionem addi: a/ unicæ comestionis de die, seu legis jejunii servandæ, et *consequenter* semel tantum de die carnes edendi; et b/ non miscendarum epularum. *Ratio* cur *semel tantum* liceret *carnes edere,* in eo erat quod supponebat casum alicujus jejunantis. Ex quo sequebatur eum qui a lege jejunii erat solutus, quacumque de causa, jam non teneri hac lege de unica vice carnes manducando. *Ratio* autem cur non liceret *epulas miscere,* in eo erat ne simul manducaret quis cibos vetitos (pisces, *ipsi* vetitos), et licitos (carnes, *ipsi* licitas) (1). Ex quo sequebatur eum qui a lege jejunii erat solutus, adhuc tamen teneri hac lege de non miscendis epulis: manebat enim idem incongruum: ne nim. simul se gereret ut dispensatum et ut non dispensatum.

Quare logice omnino Congr. Romanæ statuerunt non jejunantes non obligari lege de unica comestione carnis, et teneri lege de non miscendis epulis (2).

A. Vander Heeren.

---

bis sane non intelligit *excusatos,* ad exclusionem *dispensatorum*), toties quoties vesci carnibus possunt; — Item, lib. IV, append. IX, p. 78, nota 1°, referens duplicem sententiam tunc vigentem circa liceitatem miscendi epulas, aperte supponit apud patronos utriusque sententiæ, *quemvis* a jejunio exemptum licite pluries edere carnes. Quem textum ex Scavini, refert Gury, *Compendium theol. moralis,* ed. 19, p. 556); Berardi, *Praxis confessariorum,* ed. 2n, n. 3002 Ballerini-Palmieri, n. 16; *Melanges théologiques,* 4e série, p. 233 s., (præcise ex decretis supra citatis, nn. 2° et 3n, concludunt: « Ainsi donc quand le mandement de carême permet de manger une fois de la viande, ceux qui sont dispensés du jeûne, (non simplement de l'abstinence) peuvent en faire usage plusieurs fois le jour »); *Nouvelle Revue théol.,* t. IX, p. 572; XIV, pp. 252 ss.; t. XX, pp. 107 ss.; *Theol. Mechlin.* De Virtutibus, (1896) pp. 464 s.

(1) Benedictus XIV, *Si Fraternitas,* o. c., t. II, p. 285 et *Libentissime,* § 3, o. c., t. III, p. 153.

(2) Decr. S. Officii, 23 Junii 1875.

De gratia capitis in Christo.

In *Catechismo*, lect. 7, q. 2, docetur Christum esse *invisibile Ecclesiæ caput,* quatenus ut homo omnem a Deo accepit potestatem in Ecclesiam et non nisi ab Ipso in hac societate aliquis aliqua auctoritate donatus sit (1). Hæc tamen non totum explicant munus quod exercet Christus, tamquam Ecclesiæ caput: hujus denominationis rationem hic exponere conabimur. Et amplam continet doctrinam qua non solum Christi humanitatis dignitas melius perspicitur, sed etiam Ecclesiæ constitutio, Sanctorum communio et præsertim unio fidelium cum Christo et fidelium inter se (2).

Locutio *gratia capitis* est metaphorica: Christus dicitur caput relate ad homines et etiam ad angelos, propter similitudinem quæ viget inter munus Christi et munus capitis in corpore humano. Quum agatur de metaphora, sequitur latitudinem admitti in ipsa applicanda: varii enim dantur gradus in similitudine: statim ac adest

(1) LAMBRECHT, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus,* Gent, 1881, 1 B., bl. 206.

(2) Consideratio de gratia capitis ad tractatum de Verbo Incarnato pertinet: ut innotescat quem occupet locum in ordine rerum, quæ sunt materia illius tractatus, audiamus S. Thomam: « Deinde considerandum est de *coassumptis* a Filio Dei in humana natura. Et primo de his quæ pertinent ad *perfectionem;* secundo de his quæ pertinent ad defectum. Circa primum consideranda sunt tria: primo de *gratia* Christi, secundo, de scientia ejus; tertio de potentia ipsius. — De gratia autem Christi considerandum est dupliciter: primo quidem de gratia ejus secundum quod est singularis homo; secundo, de gratia ejus secundum quod est *caput Ecclesiæ.* Nam de gratia unionis jam dictum est (Q. II) » III, Q. VII, prolog.

Secundum hoc consueverunt theologi distinguere in Christo triplicem gratiam: gratiam *unionis,* gratiam *personalem* aut *singularem,* gratiam *capitis.* Gratia unionis est ipsa hypostatica unio: hæc dici potest *gratia,* quia per hanc, sine ullis præcedentibus meritis, communicatur humanæ Christi naturæ, bonum summum, nempe ipse Deus, et modo omnino supernaturali. De gratia singulari et capitis sermo erit in hac dissertatione.

una vel alia similitudo inter id quod caput est respectu corporis humani et id quod Christus est respectu hominum vel angelorum, potest adhiberi hæc metaphora: inde S. Thomas (in II, Dist. XIII, Q. II, a. 1), admittit Christum secundum *divinitatem* esse caput hominum: licet hoc aliqua ratione possit justificari, non tamen ita est extendenda metaphora et de illa longius quæsita similitudine non loquitur S. Thomas in Summa theologica.

Quum in S. Scriptura tradatur prædicta metaphora, exponemus primo loco sensum quo ibi adhibetur, deinde explicationem scholasticam de re quæ proponitur sub illa metaphora.

I

S. Paulus, 1 *Cor.* 12, 12 ss., docet homines christianos, quà tales, unum ens morale constituere, quod simile est corpori physico viventi, et quod est Christus. « Sicut enim corpus *unum* est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, *unum* tamen *corpus* sunt: ita et *Christus*. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno Spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa... » Deinde describit Apostolus quomodo singula membra ad bonum totius cooperentur, quomodo sibi sint invicem necessaria, quomodo infirmiora magis curentur et ignobiliora magis honestentur. Tandem concludit: « Vos autem estis *corpus Christi* et membra de membro » (1).

Hic Christus *moralis* seu *mysticus* est ipsa societas, nempe Ecclesia, quæ complectitur tum ipsum Christum

(1) Idem docet Apostolus, *Gal.* 3, 27 s.: « Quicumque enim in Christo (h. e. in Christum) baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos *unum* estis in Christo Jesu ».

Doctrina quam hic breviter indicamus optime exponitur a cl. P. Prat *Théologie de Saint Paul*, 1e P., Paris, 1908, p. 417 ss.

physicum, nempe personam, quæ est Verbum incarnatum, homo Deus, tum alios homines qui et quatenus uniuntur ipsi personæ Christi, ab ipso recipiunt influxum vitæ spiritualis ac supernaturalis, ita ut Christus *physicus* sit CAPUT societatis, quæ est Christus *mysticus*. « Et ipsum (Christum) dedit *caput* supra omnem Ecclesiam quæ est *corpus* ipsius et *plenitudo* ejus qui omnia in omnibus adimpletur » (1).

Capitis influxus sic describitur : « Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo (in illum) per omnia qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate » (2).

Munus capitis, sc. Christi, in Ecclesiam perfectius describitur a S. Paulo quando improbat illum qui « frustra inflatus (est) sensu carnis, et non tenens *caput*, ex quo totum corpus, *per nexus et conjunctiones* subministratum et constructum crescit in augmentum Dei » (3).

---

(1) *Ephes.* **1**, 22-23, « Jésus-Christ... a besoin d'un complément pour former le corps mystique. On peut dire qu'à ce point de vue il ne se suffit pas: ainsi la tête, qui centralise toutes les sensations et détermine tous les mouvements, ne peut exercer les fonctions vitales sans un organisme qui la complète et lui soit substantiellement uni. A la rigueur, la tête est le complément du corps au même titre que le corps est le complément de la tête; mais il est naturel que la partie moins noble soit présentée comme le complément de l'autre ». PRAT. *o. c.*, p. 422.

« Et quia Ecclesia est instituta propter Christum, dicitur quod Ecclesia est plenitudo ejus, sc. Christi, id est ut omnia, quæ virtute sunt in Christo, quasi quodam modo in membris ipsius ecclesiæ impleantur, dum sc. omnes sensus spirituales, et dona, et quidquid potest esse in ecclesia, quæ omnia superabundanter sunt in Christo, ab ipso deriventur in membra ecclesiæ et perficiantur in eis. Unde subdit: *qui omnia in omnibus adimpletur*, sc. dum hunc quidem, qui est membrum ecclesiæ facit sapientem secundum perfectam sapientiam, quæ est in ipso; illum vero justum secundum perfectam justitiam, et sic de aliis ». S. THOMAS, *Commentarium in epistolam ad Ephesios*, c. I, lect. 8.

(2) *Ephes.* **4**, 15-16.

(3) *Coloss.* **2**, 18-19.

Ex allatis S. Pauli verbis elucet ab ipso doceri: a/ hominem Christum se habere ad christianos ut caput ad corpus, ita ut ex illis constituatur corpus morale seu mysticum quod etiam est *Christus mysticus;* b/ a Christo, qua capite, provenire *unitatem* illius corporis, *augmentum* ejus, *influxum* ipsum *vitalem* (1) : ille influxus derivatur quasi per nervos et musculos *(nexus* et *conjunctiones);* c/ hujus mystici corporis vita ac augmentum obtinetur per *operationes* singulorum membrorum secundum mensuram influxus quem a capite recipit unusquisque (2).

De origine illius doctrinæ seu de fonte e qua illam hausit S. Paulus notat Prat: « L'apparition de Damas a exercé sur la théologie de Saint Paul une influence multiple dont il convient de signaler ici quelques traits. Une des théories les plus hardies et les plus originales de l'Apôtre est bien l'incorporation au Christ, en vertu de laquelle le Christ est tout en tous et tous sont un en lui. Mais cette théorie n'est-elle pas contenue en germe dans cette question de Jésus : « *Saul, pourquoi me persécutes-tu ?* » Paul ne s'attaquait pas directement à la personne du Christ : il fallait donc qu'il y eût entre Jésus et les siens une identité mystérieuse pour qu'en frappant les disciples on atteignît le Maître » (3).

---

(1) Eamdem doctrinam de *influxu vitali* Christi in suos explicuit ipse Jesus sub alia metaphora, nempe *vitis* et *palmitum.* « Ego sum vitis vera... Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere ». *Jo.* **15**, 1, 4, 5. — « Manete in me: et ego in vobis... Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet... et ardet. — Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea ». Ibid., 4, 6, 10. Igitur Christus sequentia docet: a/ Ipse influit vitam in suos; b/ hi, illa vita animati, et non sine illa, producunt opera salutaria; c/ hæc unio non permanet nisi dependenter a libera hominum cooperatione: hortatur enim Christus: « *Manete* in dilectione mea ». Conditio mansionis est: « Si præcepta mea servaveritis ».

De eadem unione loquitur Christus (Jo. **17**, 20 ss.) quando dicit: « Ego in eis et tu in me; ut sint consummati in unum ». Ibid., 23.

(2) Cf. S. Thomas, *o. c.*, c. IV, lect. 5; Prat, *o. c.*, p. 423.

(3) *o. c.*, p. 49.

II

Mysteriosæ illius unionis, seu conjunctionis fidelium cum Christo in uno, scholasticam explicationem inquirentes, imprimis consideremus oportet vitam, qua a Christo, tamquam a capite, vivificantur fideles, esse *in ordine morali,* h. e. in ordine tendentiæ ad ultimum finem, nempe ad sanctificationem et ad vitam æternam. Etenim Apostolus quum descripserit quomodo Christus sit caput adjungit: « Hoc igitur dico et testificor in Domino ut jam non ambuletis sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui... Vos autem non ita didicistis Christum... *Renovamini* autem *spiritu mentis vestræ* et *induite novum hominem* qui secundum Deum creatus est *in justitia et sanctitate* veritatis... Estote ergo imitatores Dei... » (1). Sanctitas igitur est vita quam a Christo recipiunt fideles. Quod etiam in alio loco inculcat Apostolus docendo mortuum et sepultum, mystico modo, in baptismo, christianum donari vita Christi quæ est *sanctificatio* et cujus finis est æterna vita (2).

Illa vita Christi, qua homines hac in terra sanctificantur et postea in cœlo æterna fruuntur beatitudine, est *supernaturalis*, et obtinetur principiis operandi *supernaturalibus* (tum remoto, tum proximis) a Deo infusis animæ humanæ: supponimus hoc demonstratum ex tractatu *de Gratia* (3).

Illa igitur vita supernaturalis, tum in actu primo, nempe in principiis supernaturalibus animæ infusis, tum in actu secundo, nempe in ipsis operationibus sanctis, influitur a Christo tamquam a capite. Quæ thesis variis nunc considerationibus illustrabitur.

---

(1) *Ephes.* **4**, 15-16, 17-24, **5**, 1.

(2) *Rom.* **6**. Cf. Jacquier, *Histoire des livres du Nouveau Testament,* T. I, Paris, 1904, p. 248; Prat, *o. c.*, p. 555; *Collat. Brug.*, T. XIII, p. 322.

(3) Quædam de hac re v. in *Collat. Brug.*, t. III, p. 558, 609, IV, 71, 274, VI, 437, VII, 497.

De gratia capitis secundum essentiam suam.

1. In hoc consistit ipsa unio hypostatica quod humana natura assumatur in unitate Personæ divinæ: hæc, in sententia S. Thomæ, est formaliter unio secundum *esse*, quatenus nempe humana Christi natura non per proprium sibi esse, sed per ipsum esse personale Verbi Dei *exsistit* (1); est porro ratio exigitiva gratiæ creatæ, h. e. donorum supernaturalium, in anima Christi. Etenim a/ anima Christi per ipsam unionem hypostaticam ita intime uniebatur Deo ut non conveniret Deo non effundere in hanc animam dona supernaturalia quæ omnibus hominibus destinaverat, eo vel magis quod in Christo non poterat esse debitum peccati originalis. b/ Anima Christi, quæ tam intime uniebatur Deo secundum *esse,* etiam debebat uniri Ipsi secundum *operari,* nempe secundum cognitionem et amorem: jamvero, in præsenti Providentiæ ordine, cognitio de Deo perfecta et amor erga Ipsum salutaris, sunt supernaturales et non habentur nisi per habitus a Deo infusos, seu per gratiam: hæc igitur in anima Christi adesse debebat. c/ Christus a Deo constitutus fuerat *mediator*, nempe debebat *satisfacere* pro humano genere, infecto per peccatum, *mereri* gratiam hominibus, *media efficere* quibus conferretur gratia: ut autem dignus et idoneus mediator constitueretur oportebat ut et ipse possideret gratiam quam aliis collaturus erat. — Quodsi singulæ rationes mox expositæ perpendantur, elucebit etiam hæc conclusio quod in Christo gratia adesse debebat in summo gradu, ita ut in Ipso fuerit *plenitudo gratiæ* (2).

Hæc plenitudo gratiæ complectitur omnia dona supernaturalia et etiam præternaturalia, gratias gratum

---

(1) Cf. S. Thomas, III, Q. II, a. 10, Q. XVII, a. 2; Terrien, *De unione hypostatica,* Parisiis, 1894, L. II per totum; Billot, *De Verbo incarnato,* Romæ, 1900, Thes. 7; Janssens, *De Deo-Homine,* P. I, Friburgi Br. 1901, p. 626 ss.; Van Noort, *De Deo Redemptore,* Amstelodami, 1904, p. 32.

(2) Cf. S. Thomas, III, Q. VII.

facientes et gratias gratis datas, exceptis his quæ cum alia Christi perfectione componi nequeunt: ita, v. gr. excluduntur fides et spes theologicæ propter visionem beatificam.

Hæc plenitudo gratiæ est gratia *personalis* seu gratia Christi *secundum quod est singularis* homo (1). Hæc gratia *realiter distinguitur* a gratia *unionis,* quia est complexus *habituum infusorum* animæ Christi; gratia vero unionis nullo modo est habitus infusus; præterea gratia *unionis* est natura *prior* gratia *singulari* et est hujus ratio exigitiva (2). « Gratia unionis non est in genere gratiæ habitualis; sed est supra omne genus, sicut et ipsa divina persona » (3).

Gratia vero *capitis* non realiter distinguitur a gratia personali: non enim speciali physico habitu constituitur Christus caput hominum, sed per hoc quod *influit* gratiam in alios, ut infrà explicabimus.

2. S. Paulus, in textibus suprà allatis, nihil aliud explicite docet in ratione capitis, prout hæc habetur in Christo, quam *influxum* Christi in homines. S. Thomas præter hanc, duas alias rationes ponit secundum quas etiam caput est Christus. « Sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diversa membra habet diversos actus... ita Christus dicitur caput Ecclesiæ secundum similitudinem humani capitis: in quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem et virtutem. *Ordinem,* quia caput est prima pars hominis incipiendo a superiori... *Perfectionem* autem, quia in capite vigent omnes sensus et interiores et exteriores: cum in ceteris membris sit solus tactus... *Virtutem*

---

(1) S. Thomas, III, Q. VII, prolog.

(2) Id. *l. c.*, a. 13. Cf. Cajetanus, in III, Q. VII et Q. VIII; Billot, *De Verbo Incarnato*, Romæ, 1900, p. 181-201; Janssens, *De Deo-Homine*, P. I, Friburgi Br. 1901, p. 374-399.

(3) S. Thomas, III, Q. VIII, a. 13, ad 3. Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. VIII, p. 12.

vero, quia virtus et motus ceterorum membrorum, et gubernatio eorum in suis actibus, est a capite, propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem... Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim secundum propinquitatem ad Deum gratia ejus altior et prior est, etsi non tempore: quia omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius (1)... Secundo vero perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum... Tertio virtutem habuit influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ » (2).

Hæc S. Thomæ expositio nedum contradicat doctrinæ Apostoli hanc recte complet.

S. Thomas, ut patet, rationem capitis in Christo explicat secundum gratiam ejus singularem, quatenus nempe complexus donorum supernaturalium fuit in Christo *altior*, secundum intensitatem et exemplaritatem, *perfectior*, secundum comprehensionem seu extensionem, *diffusiva*, quatenus fuerit ex Christi actionibus collata aliis. Gratia igitur capitis est *eadem* secundum *rem* cum gratia singulari et non nisi secundum *rationem* differt (3).

Attamen quum gratia unionis sit exigitiva gratiæ singularis in Christo et ratio cur hæc sit tam perfecta, quumque gratia unionis etiam ordinetur ad hoc quod Christus influat gratiam in alios, sequitur quod gratia capitis in Christo non est gratia singularis præcisive accepta a gratia unionis, sed magis prout ad illam consequitur, eamque connotat (4).

---

(1) Hoc explicatur a Cajetano his verbis: « Gratia Christi dicitur prima quia *altior* et *prior*: hoc est, secundum ordinem causæ formalis et exemplariter. Nam ex eo quod altior, est prior secundum ordinem causæ formalis, in quo, quanto quid est intensive altius, tanto formalius. Ex eo autem quod ad conformitatem ipsius aliis gratia datur, est prior tamquam exemplar reliquarum gratiarum. Et, ut in littera dicitur, non est hoc exemplar prius tempore exemplatis: sed ut finis in intentione, ut exemplar conceptum ». In III, Q. VIII, a. 1.

(2) III, Q. VIII, a. 1.

(3) Cf. S. Thomas, *l. c.*, a. 5.

(4) Ita Billot, *o. c.*, Thes. XVIII, p. 201.

Ex præcedentibus concludimus quod *gratia capitis* in Christo bene definitur: *gratia, tum gratum faciens tùm gratis data, quatenus hæc erat in Christo proportionata ipsi unioni hypostaticæ et aliis hominibus communicanda per ipsam Christi operationem.*

De Christi influxu **ACTIVE** spectato.

Nequit homo sanæ mentis Christi influxum ita concipere ac si ipsa gratia, quæ in anima Christi subjectatur, physice emanaret ac effluereet in nostras animas: gratia enim Christi est accidens physicum, vel melius complexus accidentium physicorum, quæ non nisi unam animam actuare possunt seu informare.

Sed Christus, ut homo, influit gratiam quatenus est causa **meritoria** et **efficiens instrumentalis**. Hac causalitate haberi vere influxum gratiæ nemo infitiabitur, nisi negaverit veram causalitatem competere tum merito, tum instrumento. Quod autem vere nobis *meritus* sit gratiam docetur in S. Scriptura: concessio enim gratiæ est omnino independens a meritis, seu bonis operibus, hominum, sed ipsi redemptioni a Christo factæ tribuitur (1); sanguis Christi est bonum propter cujus valorem fuimus redempti (2); actus obedientiæ Christi fuit id cujus intuitu iterum humano generi concessa est gratia (3).

Efficiens instrumentalis causa gratiæ fuit Christus quatenus ipse, ut homo, docuit veritatem, constituit Ecclesiam et in ea potestatem jurisdictionis, magisterii et ordinis, nominatim quatenus instituit sacramenta, quibus producitur gratia et illis contulit totam, qua gaudent, efficaciam (4).

---

(1) *Rom.*, **3**, 20, 24.

(2) 1 *Petr.*, **1**, 18-19.

(3) *Rom.* **5**, 19. — De illis testimoniis et de formali ratione causæ *meritoriæ* cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 157, 159 s. Cf. etiam S. Thomas, III, Q. VIII, a. 1, ad 1, Q. XLVIII, a. 1 et a. 6.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 559.

Duplex descripta causalitas aliquo sensu *perpetua* est quatenus Christus *semper vivit ad interpellandum pro nobis* (1). Hæc interpellatio in hoc consistere videtur quod Christus humanitatem pro nobis assumptam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentat continuo (2). — Hæc Christi causalitas in Ecclesia semper recolitur quatenus omnes suas petitiones ad Deum dirigit *per Christum Dominum nostrum*. — Sed speciali modo *exercetur* hac in terra causalitas Christi quatenus sese immolat voluntarie in sacrificio Missæ, sicut semel sese obtulit in cruce, et quatenus, ut victima, deponitur in corpore hominum, per sanctam communionem, et sic est titulus exigitivus gratiæ et augmenti ejusdem (3).

De Christi influxu **PASSIVE** spectato.

Influxus passive spectatus est effectus qui in hominibus producitur a Christo, tamquam a capite in membris. Scopus noster hic non est indicare singula dona quæ a Christo proveniunt, sed hæc cognita supponimus ex tractatu *de gratia*, et conamur explicare quo modo homines his donis fiant membra corporis mystici et uniantur cum capite.

1. *Unitas* animarum obtinetur per similitudinem, quippe quæ est convenientia plurium in eadem forma.

a/ *Similitudo physica* acquiritur animæ quatenus tum gratia sanctificans, tum virtutes infusæ, tum alia dona, ipsi collata, sunt *ejusdem speciei* ac in anima Christi, differunt secundum gradum, quatenus summo gradu sunt in Christo. (Gratiæ gratis datæ non sunt omnes in omnibus fidelibus). Gratia gratum faciens augeri

---

(1) *Rom.*, **8**, 34; *Hebr.*, **7**. 25.

(2) Cf. Van Steenkiste, *Commentarius in omnes S. Pauli epistolas*, Brugis, 1899, t. II, p. 557 s.

(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Scholia de sacrosancto Missæ sacrificio* ap. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 10 ss.; Mahieu, *Het brood des levens*, Brugge, 1906, bl. 41; *Le pain de vie*, Bruges, 1908, p. 74.

potest, operibus meritoriis, et sic crescit similitudo cum Christo.

b/ *Similitudo moralis* consequitur alteram : nam habitus supernaturales infusi disponunt animam ad easdem operationes, libere ponendas, quas et Christus elicuit: christianus secundum has virtutes agendo *imitatur* Christum : ad quod hortabatur Paulus : « Rogo ergo vos, imitatores mei estote sicut et ego Christi » (1). Inde Christus fit *causa exemplaris,* forma nempe mente concepta, sanctitatis, ad quam sibi acquirendam operantur fideles. Illi vero qui eminent perfectione morali et ut *sancti per excellentiam* ab Ecclesia proponuntur, divinum exemplar in se melius, quam alii, reproducunt et socios exemplis ac monitis ad imitandum Christum inducunt.

2. *Unio* per cognitionem et amorem. Cognitum est in cognoscente et amatum in amante : inde unio, non quidem physica, sed intentionalis (2). Christus a suis cognoscitur per fidem, amatur per charitatem : quam profunda possit esse hæc cognitio, quam ardens hic amor, quam efficax proinde et vivificans hic Christi

---

(1) *1 Cor.*, **4**, 16.

(2) Hæc sententia elucidatur a FERRARIENSI, *In Summam contra Gentiles,* L. IV, c. 19. « Sicut res intellecta dicitur esse in intelligente per similitudinem suæ formæ non quia ipsa res secundum suum *esse naturale* informet intellectum, sed quia in intellectu est forma quædam *intelligibilis,* quæ est rei intellectæ similitudo, ita quod rem intellectam esse in intellectu nihil aliud est quam in intellectu esse ipsius similitudinem ; ita rem amatam esse in amante sicut terminus motus est in principio motivo, per convenientiam et proportionem, non est rem amatam *inhærere* amanti secundum *suam essentiam* aut secundum suam similitudinem, sed esse in amante aliquam *complacentiam* et *proportionem* atque *affectionem* per quam in ipsam *inclinetur* rem amatam. Per talem enim *connaturalitatem,* et *affectionem* sive complacentiam, quæ est amor, amans *est quodammodo* res amata : sicut res, quæ est alteri *proportionata* et est *principium motivum* in illam, est quodammodo ipsa. Dicitur autem amatum esse in amantis voluntate ut in principio motivo, quia in voluntate existens causat desiderium rei amatæ si sit absens, et est causa et principium omnis alterius motus quo in rem amatam amans movetur ». Cf. S. THOMAS, I-II^æ, Q. XXVIII, a. 2.

influxus ostendit Sanctorum historia. Patet hîc haberi veram *amicitiam*, mutuum nempe benevolentiæ amorem a Christo in fideles et a fidelibus in Christum.

Sed hæc amicitia non viget tantum inter Christum et singulos fideles, verum etiam inter fideles ad invicem. Amor, quo christianus diligit, sicut oportet, Christum, est charitas supernaturalis, cujus objectum *primarium* est ipse Deus, quatenus est in semetipso, infinite bonus, et objectum *secundarium* omnis proximus, quatenus actu vel potentia est particeps divinæ bonitatis seu formaliter *beatitudinis* (1). Inde christiani, amando Christum, volunt beatitudinem et sibi et proximis, illamque, eadem virtute spei, sperant et sibi et aliis (2); tandem exercentes opera misericordiæ *cooperantur* ad sibi invicem procurandam sanctificationem hac in vita, æternamque beatitudinem in altera. Hæc omnia fiunt per subjectionem et obedientiam ad Vicarium Christi qui, hac in terra, regit et gubernat corpus Christi mysticum. Inde exsurgit *communio Sanctorum* quæ est communicatio bonorum inter membra totius Ecclesiæ, nempe et militantis et patientis et triumphantis (3).

Vita igitur, qua animatur corpus mysticum, habetur 1/ per *animarum unitatem* ex *similitudine*, supra descripta; 2/ per *unionem* ex *cognitione* et *amore* et consequenti *cooperatione:* hæc omnia ab Incarnato Verbo, tamquam a capite, profluunt.

3. *In corpora* etiam *influxus* Christi, qua capitis, habetur. Quæ est S. Thomæ doctrina (4): « Corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem quæ est propria *forma* ejus et *motor*. Et inquantum quidem est forma ejus, recipit ab anima vitam

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 315, 367, 370.

(2) Cf. S. Thomas, II-II^{æ}, Q, XVII, a. 3.

(3) Licet charitas et consequens beneficentia exerceatur etiam in illos qui non sunt membra Ecclesiæ, tamen magis diliguntur membra Ecclesiæ et communio Sanctorum inter illa tantum viget.

(4) III, Q. VIII, a. 2.

et ceteras proprietates convenientes humano corpori secundum suam speciem. Inquantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter servit animæ ».

Hoc principium applicandum est tum Christo, tum aliis hominibus. In Christo, sicut et in nobis, anima rationalis est forma et motor corporis: inde Christus, qui, volendo libere pati et mori, fiebat *causa meritoria* gratiæ, in corpore suo etiam patiebatur: et quidem *dolore* proveniente ex læsione corporis et *tristitia* proveniente ex apprehensione sensibili phantasiæ (1); ulterius omnes Christi operationes virtutum, quibus etiam merebatur, fiebant aliquo saltem modo cum corpore quatenus a composito eliciebantur; præterea Christus ut *causa efficiens instrumentalis* utebatur corpore et cogitando, mediante phantasia, et loquendo, mediante ore. Inde « tota Christi humanitas, secundum scilicet animam et corpus, influit in homines » (2).

Et ipsi homines influxum recipiunt et quantum ad animam, et quantum ad corpus: *principaliter* quantum ad animam, quia hæc est subjectum immediate gratiæ, necnon cognitionis et amoris, *secundario* quantum ad corpus: et quidem dupliciter: uno modo, inquantum virtutes supernaturales exercenter per corporales facultates et corporis membra, sicut dicitur: *exhibeatis membra vestra* (sc. mortalis corporis) *arma justitiæ Deo* (3); altero modo quatenus vita gloriæ ab anima

(1) Cf. S. Thomas, I-II, Q. XXXV, a. 7.

(2) III, Q. VII, a. 2.

(3) *Rom.*, **6**, 13. — Hic animadvertamus ulterius influxum quem anima supernaturaliter, h. e. secundum vitam a Christo acceptam, agens, habet in *valetudinem* corporis. Et sane supernaturales virtutes sedant ac regunt passiones appetitus sensitivi, quæ sæpe perturbant organismum, v. gr. subjectio ad Deum, patientia, tristitiam ac iram compescunt; consequenter prædictæ virtutes tranquillitatem in corpore et ordinem in variis ejus operationibus conservant. Si inordinatus appetitus honoris et divitiarum parit anxietatem in labore, e contrario humilitas, spiritus paupertatis, permittit ut homo quiete simul ac strenue laboret. — S. Franciscus Salesius continuo et ante omnia, sicut in epistolis manifeste apparet, hortatur ad quietem et pacem, *ad spiritum dul-*

habebit redundantiam in corpora, quippe quæ præternaturalibus donis fient gloriosa.

Utrum Christus sit caput angelorum.

Christus, ut homo, est quidem caput angelorum, sed minus perfecte quam est caput hominum.

1. S. Paulus dicit de Christo : « qui est caput omnis principatus et potestatis » (1) « (Deus)... constituens (Christum) ad dexteram suam in cælestibus : supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo sed etiam in futuro » (2). His verbis docet Apostolus *præeminentiam* Christi super angelos ; non tamen dicit angelos esse *corpus* Christi (3).

Metaphora capitis respectu angelorum verificatur in Christo sequenti modo : a/ ratione *excellentiæ dignitatis* et propinquitatis ad Deum, propter unionem hypostaticam ; b/ ratione *plenitudinis gratiæ* infusæ, quæ major

---

cedinis et tranquillitatis qui est verus spiritus Jesu. Cf. *Œuvres* (Ed. d'Annecy), t. XIV, p. 162. — Nostris diebus medici magis ac magis agnoscunt influxum, ut aiunt, *psychicum* ad vitandos vel sanandos morbos nervosos, nominatim neurastheniam. Influxus psychicus consistit in persuasione et exercitio voluntatis. Jamvero influxus Christi, nempe fides et reliquæ virtutes, multum in hac re juvare potest. Cf. Raymond, *Le guide des nerveux et des scrupuleux*, Paris, 1908.

Apposite hîc citari potest conclusio alicujus articuli editi in diario « *Le XX*e *Siècle* », 19 Février 1909 : Un médecin français, dont la réputation scientifique n'est pas contestable, a dit, dans un article sur les causes morales des maladies : « La quiétude intérieure, ou, si nous nous risquons à user du vocable interdit, la sérénité de l'âme met entre nos mains une des armes les plus précieuses contre l'invasion du mal... Pas un médecin ne révoque en doute l'influence salutaire que la tranquillité de l'esprit exerce sur le fonctionnement des actes organiques... Une âme tranquille prépare un corps bien équilibré ». Ces assises fondamentales, qui maintiennent le calme de l'esprit dans l'état de santé, et qui sont nécessaires aussi bien à l'âme qu'au corps, les chrétiens savent comment on les édifie : et ceci n'est plus de la thérapeutique médicale ordinaire.

(1) *Coloss.*, **2**, 10.

(2) *Ephes.*, **1**, 20-21.

(3) Prat, *o. c.*, p. 421.

est in Christo quam in quolibet angelo; c/ ratione *influxus*, quia a Christo angeli recipiunt quamdam beatitudinem *accidentalem*. Et sane angeli, in cœlis, gaudentes visione beatifica, faciunt unam societatem cum hominibus et cum Christo propter adeptionem ejusdem finis ultimi. Præterea angeli mittuntur in custodiam et auxilium hominum, qui sunt membra Ecclesiæ (1) et constituunt corpus mysticum Christi. Inde, ut videtur, a Christo homine recipiunt gaudium ex ejus consortio et illuminationes de iis mysteriis gratiæ in quæ desiderant prospicere (2).

2. Minus tamen perfecte est Christus angelorum caput quam hominum. Nam a/ non convenit cum angelis in eadem natura specifica sed tantum secundum genus intellectualis naturæ. b/ Angelis non influit Christus, saltem secundum probabilem sententiam, substantiam gratiæ et gloriæ, nec producit in ipsis essentialem sanctitatem supernaturalem, nempe charitatem, nec exercitium omnium virtutum. Angeli enim, probabiliter saltem, gratiam et consequentem gloriam acceperunt independenter ab incarnatione Christi et a merito Ipsius (3).

Adnotatio. 1/ Uti patet ex dictis, doctrina, quæ in S. Scriptura sub *metaphora* capitis et corporis (etiam vitis et palmitum) exprimitur, comprehendit magnam et multiplicem *realitatem*, quæ uno verbo designatur: *unio* Christi hominis cum participantibus gratiam: ex explicatione ab Apostolo ipso tradita et ex cognitione rei de qua agitur determinavimus plenam significationem metaphoræ.

---

(1) *Hebr.*, **1**, 14.

(2) 1 *Petr.*, **1**, 12. — Cf. Billot, *o. c.*, p. 198. — Non ita facile intelligitur modus quo Christus, ut homo, agit in angelos. De hac re dicit Cajetanus, in III, Q. VIII, a. 4: « Non intelligo tamen hunc causandi modum excedere modum quo ponimus sacramenta causare in animabus nostris spirituales gratias ».

(3) Cf. S. Thomas, III, Q. I, a. 3.

2/ Christus est *actu* caput omnium qui *actu* participant gratiam; est *in potentia* caput respectu illorum qui sunt *in potentia* recipiendæ gratiæ. — Christus non est caput dæmonum, licet sit dominus ipsorum. — Respectu illorum quorum Christus est *actu* caput quædam sunt munia quæ Christus exercet hac in terra, et quæ cessabunt in altera vita: hoc propter duplicem statum societatis cujus est caput. « Nunc enim Christus regit ac gubernat homines viatores modo consentaneo statui ipsorum, utiturque ad salutis opus perficiendum et potestates adversas abolendas, tum quidem invisibili angelorum ministerio, tum visibili hierarchia quam instituit in terris... Postmodum autem evacuabitur hic regiminis modus et fiet definitiva regni cœlorum sub capite Christo ordinatio » (1).

3. Non exaggerat qui dicit: christianus est alter Christus: christianus enim, qua talis, debet eadem supernaturali vita vivere qua et ipse vivebat Christus. Quod perspiciebat Paulus scribens: « Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus » (2); et alibi: « Mihi vivere Christus est » (3). Per ipsum et cum et in ipso producitur nobis supernaturalis vita omnis, et Deo omnis honor et gloria (4).

J. Van der Meersch.

---

(1) Billot, *o. c.*, p. 199.

(2) *Gal.*, **2**, 20.

(3) *Philip.*, **1**, 21. — « Vivere mihi nihil aliud est quam Christum cogitare, eum diligere, ei arctissime conjungi sicut membra capiti, in eo habere principium vitæ sicut palmes in vite, in eo omnes actiones meas peragere, adeoque illi inservire, eumque laudare, prædicare, etc. ». Van Steenkiste, in h. l., *o. c.*, p. 102. — Inde cognitio de *psychologia* Sanctorum consistit in hoc quod perspiciatur quomodo naturales ipsorum facultates eleventur, moveantur ad operandum a Christo: uno verbo quomodo regantur Spiritu Dei qui est spiritus Christi.

(4) Cf. Leonis XIII, *Encyclica de Christo Redemptore*, in *Collat. Brug.*, t. VI, præsertim p. 5, p. 11; Terrien, *La grâce et la gloire*, Paris, 1897, T. I, p. 315 ss.

E S. Congr. de Propaganda Fide

Casus circa Matrimonia Infidelium (1).

Examine facto a Suprema Congregatione S. Officii de tribus casibus matrimonialibus: Makasi-Marikubu, Bieka-Kange et Molimu-Boweia, expositis a Reverentia Vestra per medium P. Procuratorem tui Instituti Romæ, Eminentissimi Inquisitores generales, sicut apparet ex officiali communicatione de die 22 mensis currentis, tulerunt, in ordine ad primum casum, nempe matrimonium catechumeni Makasi cum catechumena Marikubu, sequens decretum: « Interrogetur vir, et si jurejurando affirmat se nunquam intendisse indissolubili vinculo se uniri mulieri, sed eam sibi copulasse animo post aliquod elapsum tempus dimittendi, et post institutum diligens examen omnium adjunctorum circa ipsius credibilitatem nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate, permitti poterit ut cum alia catholica muliere ineat matrimonium. Quod si vero negative responderit, vel serium dubium de validitate matrimonii, vel de credibilitate viri superfuerit, relatis omnibus iterum recurrat. Præ oculis insuper habeatur, virum et feminam esse catechumenos; et hujusmodi ob causam, non posse facile in iisdem supponi tam profundam ignorantiam indissolubilitatis matrimonii. Persuasio autem de veritate rerum assertarum a viro, præterquam ex ipsius jurejurando, efformetur etiam ex omnibus adjunctis ».

Quoad secundum casum, nempe ad matrimonium viri Bieka (baptizato) cum femina Kange, quæ, quum sit catechumena, petit baptismum, sed vivit in concubinatu cum alio christiano, suprema Congregatio respondit: « Quoad baptismum stet decretum fer. IV, die 21 Novembris 1883, quo decreto ad quæsitum Vic. Apost. Bengal.: *Utrum possit licite administrare Baptismum illis catechuminis qui volunt uti privilegio Paulino, sed qui nullo modo sunt dispositi ad se conjungendos cum propria comparte infideli, etiamsi hæc declaretur se esse paratam*

(1) Tenor Decreti est pro parte ex idiomate italico translatus.

ad vivendum sine contumelia Creatoris, *cum parte baptizata,* responsum est: negative ». Quod ad matrimonium, curet R. P. D. Vicarius Apostolicus ut vir Bieka ad bonam adducatur frugem. Eum interroget sicut in responsione ad primum dictum est. Quod si vero matrimonium validum fuisse comperitur, inducatur ad interpellandam primam uxorem adhuc infidelem, et habita negativa responsione, matrimonium contrahat cum catholica muliere; quo facto, provideatur, prout de jure, statui infelicis mulieris Kange ».

Quoad tertium casum, nempe matrimonium catechumeni Molimu con catechumena Boweia nunc separati, pro quibus petit Reverentia Vestra utrum possit res sic ordinari: Baptizare primùm Molimu; interrogare deinde Boweia, quæ certo respondebit negative; permittere postea viro ad alias nuptias convolare quibus solveretur primum matrimonium, et libera facta Boweia reciperet Baptismum et matrimonium iniret cum alio christiano »; S. Congregatio respondit: « Negative, et missionarii præ oculis habeant decretum S. Officii 21 Novembris 1883, supra communicatum. Quodsi alteruter conjugum ad veram pœnitentiam et rectam ad Baptismum dispositionem adductus, dispositus sit ad reconciliandum se legitimo conjugi et promptus ad convivendum cum ipso sine contumelia Creatoris, huic Baptismus ministrari poterit, et facta legitima interpellatione, habitaque negativa responsione, permitti ut ad alias nuptias transeat ».

L. ✠ S.

F. M. G. Card. GOTTI, *Pref.*
LUIGI VECCIA, *Secret.*

Adnotatio.

Primus casus spectat matrimonium in infidelitate contractum inter duas partes quæ, uti liquet ex relatione facta coram S. Congregatione (1), post divortium institutum, Baptisma susceperunt, et quarum una pars in concubinatu vivit, altera novas nuptias inire cupit.

Cum utraque pars sit baptizata, non est locus privilegio Paulino, et ideo postulatur ut matrimonium in

(1) Hujus relationis, ab Ill. Van Ronslé oblatæ, compendium exhibet R. P. VERMEERSCH, *De Religiosis-Periodica*, t. IV, p. 181 s.

infidelitate contractum vel nullum declaretur, vel, si validum dijudicetur, ut auctoritate Pontificia dissolvatur, utpote post Baptisma non consummatum (1). Porro nullitati favet conceptus quem infideles solent habere de matrimonio civili, quatenus non intendunt sese jungere vinculo indissolubili ; sed contra est quod matrimonium contraxerint dicti oratores jam catechumeni, in quibus proinde ægre admittitur adeo profunda ignorantia.

Respondet S. Congr. examen esse instituendum circa illam intentionem quam habuerint in matrimonio celebrando, et, si de illa constat, possunt novæ nuptiæ permitti. Contrà si verum ac indissolubile connubium celebrare intenderint, vel serium dubium superfuerit, iterum recurrendum vult S. Congregatio : nimirum S. Sedes in hoc casu sibi reservat ut vel dubium de valore matrimonii solvat in favorem fidei, vel vinculum dissolvat.

Ex **secundo et tertio casu** eruitur non posse ad Baptismum admitti catechumenum matrimonio junctum et privilegio Apostoli frui cupientem, nisi prævie reperiatur dispositus ad conservandum vel reassumendum legitimum conjugem, casu quo hic velit pacificè cohabitare.

Quodsi una pars, circa privilegii usum rite disposita, baptizata fuerit, et vi privilegii aliud matrimonium inierit, altera pars eo ipso est soluta, nec adeo debet amplius interrogari circa animum reassumendi priorem compartem, et, modò aliunde nihil obstet, potest ad Baptismum et ad nova vota admitti.

A. De Smet.

(1) In quantum validum censetur præfatum matrimonium, factum est *ratum* per utriusque partis Baptismum.

E S. Congregatione Rituum

I

COMPOSTELLANA.

Circa usum quorundam instrumentorum in musica sacra.

Hodiernus R^mus^ Præses Commissionis diœcesanæ de musica sacra, ab E^mo^ et R^mo^ D. Cardinali Josepho M. de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopo Compostellano, constitutæ, a sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

I. An in musica sacra organica admitti possint instrumenta, *oboës* (1), *clarinettes, trombones* nuncupata?

II. An instrumenta, vulgo *timbales* seu *tympanos,* sint habenda uti fragorosa et strepitantia?

III. An eadem permitti possint in musica et orchestra religiosa?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitâ specialis Commissionis de musica et cantu sacro sententiâ, ita respondendum censuit:

Ad I. Possunt tolerari instrumenta musica, *oboës* et *clarinettes;* dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur.

Ad II. Provisum est in art. 19 Instructionis pontificiæ *de musica sacra,* 22 Novembris 1903 (2); et omnino servetur art. 16 ejusdem Instructionis.

Ad III. Negative.

Atque ita rescripsit, die 13 Novembris 1908.

L. ✠ S. S. Card. Cretoni, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

(1) Hautbois.

(2) *Collat. Brugen.,* t. IX, p. 113 ss. Le texte latin de l'art. 19 est plus clair: « In templis... instrumentorum omnium majorem aut minorem strepitum edentium, utpote tympanorum cujusvis formæ et molis,... usus vetatur.

II

COMPOSTELLANA (1).

Cadavera sacerdotum indui possunt casula violacei vel nigri coloris.

Quum in Rituali Romano, tit. VI *de exsequiis* sub num. 11, hæc legantur: « Sacerdos quidem super talarem vestem, » amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula seu pla- » neta *violacea* sit indutus »; quumque ex consuetudine generali vigente in archidiœcesi Compostellana, cadavera sacerdotum induantur planeta seu casula *nigri* coloris, quæritur: an vi consuetudinis liceat cadavera sacerdotum induere casula vel planeta nigri coloris?

R. Affirmative, attenta præsertim consuetudine et Rubrica Ritualis Romani, quæ præscribens paramenta violacea in casu non excludit nigra (2).

Die 20 Novembris 1908.

III

BELEMEN. DE PARA (3).

De non impertienda benedictione nuptiali extra Missam.

Jam multis abhinc annis, in archidiœcesi Belemensi de Para in Brasilia, consuetudo viget celebrandi matrimonia post meridiem vel sub nocte, quæ magis invaluit post introductam legem civilis matrimonii, quo fit ut conjuges sæpissime negligant et omittant, benedictionem nuptialem in Missa alio tempore recipere. Hinc quæritur: an, attentis expositis, et pro dicta diœcesi, in matrimoniis celebrandis, benedictio nuptialis, prout in Missa pro sponso et sponsa, etiam extra Missam in posterum impertiri possit?

R. Negative.

Die 12 Februarii 1909.

---

(1) Cf. textum integrum ap. *Acta Apostolicæ Sedis*, 1909, p. 253.

(2) Ante præscriptum Ritualis Romani, cum non adeo distincti essent colores liturgici, sæpe pro nigro violaceus adhibebatur color. Sed etiam postea in multis locis permansit usus adhibendi planetas nigras ad induendos sacerdotes defunctos. Qui usus nunc admittitur quia Rituale præscribens paramenta violacea noluit proscribere nigra.

(3) Cf. textum integrum ap. *Acta Apostolicæ Sedis*, p. 255.

IV

ANGELOPOLITANA.

Varia dubia.

R^mus Decanus cathedralis ecclesiæ Angelopolitanæ in Republica Mexicana, nunc et Vicarius capitularis, sede vacante, a S. Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum:

I. Invaluit mos in cathedrali ecclesia Angelopolitana ut quibusdam diebus, in Missa conventuali, ad elevationem SS^mi Sacramenti sub utraque specie, chorus puerorum canat stropham *O salutaris Hostia* etc. Quæritur: hæc consuetudo a pluribus annis invecta potestne continuari?

II. An Cæremoniale Episcoporum observandum sit in Vesperis solemnibus, etiam quum pluvialistæ sint ex canonicis vel dignitatibus, ideoque teneantur iidem cum Celebrante incedere ad incensationem altaris et diaconorum officium adimplere?

III. Sedes episcopalis collocata prope altare majus deinceps remota fuit, et posita in loco ubi tegit suggestum in quo diaconus canit evangelium. Præterea eadem sedes supra tres gradus elevata æquat altitudinem altaris; quæritur: quid agendum in casu?

IV. In quibusdam ecclesiis diœceseos Angelopolitanæ SS^mum Eucharistiæ Sacramentum asservatur in altari majori, dum in aliis solet custodiri in aliquo ex altaribus et sacellis minoribus; quæritur: an utrumque admitti possit?

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis liturgicæ, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:—

Ad I. Servetur decretum generale n. 3827, diei 22 Maii 1894, ad III (1).

Ad II. Affirmative quoad utramque partem, juxta decretum n. 3839 *Angelopolitana*, diei 17 Augusti 1894, ad II et III.

---

(1) Illud decretum statuit: « Dum SS. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, juxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. »

Ad III. Quoad utramque partem standum Cæremoniali Episcoporum, lib. I, cap. XIII, n. 1, 2 et 3.

Ad IV. Affirmative, dummodo altare ubi continuo asservatur SSmum Sacramentum non sit altare chori (1).

Atque ita rescripsit, die 26 Aprilis 1901.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

V

MEXICANA (2).

De kalendario adhibendo a sacerdotibus celebrantibus in oratoriis monialium.

I. Ex decreto sacrorum Rituum Congregationis n. 3862 *Urbis et Orbis*, diei 9 Decembris an. 1895, sacerdotes confluentes ad ecclesiam vel ad oratorium publicum debent Missas celebrare conformes Officio ejusdem ecclesiæ vel oratorii. Quum autem ex peculiaribus Mexicanæ regionis circumstantiis sanctimoniales loco ecclesiarum vel oratoriorum publicorum habeant in suarum domorum interioribus oratoria in quibus Sacra celebrantur; hinc exortum dubium, num monialium cappellani et alii sacerdotes in prædictis oratoriis Missam celebrare teneantur juxta tenorem decreti supracitati?

Resp. Ad I. Si sanctimoniales in casu kalendario proprio rite utantur, huic conformare se debent sacerdotes in illarum oratoriis celebrantes; si secus, sequi debent kalendarium diœcesis, et detur decretum n. 3910 *Ruthenen.*, diei 22 Maii 1896 (3).

Die 16 Maii 1901.

---

(1) Cf. Cærem. Episcop. l. I, c. XII, n. 8; Rit. Rom. tit. IV, c. I, n. 6; decr. S. R. C. nn. 3335[1] et 3449[1].

(2) Vide textum integrum ap. *Acta Apostolicæ Sedis*, p. 258.

(3) Juxta tenorem citati decreti « calendario loci respondere debent Missæ quæ celebrantur in capellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piorum Communitatum, Hospitalium et Carcerum » « dummodo agatur de capella *principali* (quæ instar Oratorii publici, ad effectum memorati decreti [9 Julii 1895] habenda est). »

Consultatio

De Quarta funerali. — X. per multos annos habitavit in Z. Ibidem obiit uxor ejus. Exinde viduus vetulus habitavit modo apud unum, modo apud alium ex pueris suis. Per quindecim saltem menses commoratus est apud filiam in O. et in hâc obiit post recepta exeuntium sacramenta. Sepultus est in Z. secundum præscriptum testamenti. In O. vero nulla locum habuit ceremonia religiosa.

Quæritur utrum Parochus de O. jus habeat ad quartam partem funerariam.

Respondetur. Tres considerentur oportet hypotheses :

1° vel defunctus domicilium retinuit in Z.;

2° vel quasi-domicilium acquisivit in O.;

3° vel est vagus.

Jam vero juxta exposita :

1° Ex una parte, videtur valedixisse domicilio suo in Z. Etenim nec factum habitationis, nec verisimiliter intentio domicilium ibidem retinendi perseveravit, cum defunctus, mortua uxore, modo apud unum, modo apud alium ex liberis commoratus est; cumque præterea sepulturam in Z. elegit, quod præsumptionem ingerit de non servata intentione prius domicilium retinendi. Illata hæc præsumptio contrariis tamen verbis aut factis elidi potest.

2° Ex alia parte, validissima *juris* præsumptione, videtur constare de acquisito in O. quasi domicilio. Nam ex facto habitationis per quindecim menses deduci et præsumi potest intentio permanendi per majorem anni partem, ita quidem ut hæc præsumptio contrariæ probationi tantum cedere debeat. Quæ intentio defuncti ex facto electæ sepulturæ confirmatur.

3° Demum, si constat de relicto domicilio in Z., et non certo probatur adeptio quasi-domicilii in O., defunctus ut vagus habeatur et qua talis subditus parocho loci in quo ultimo degit et mortuus est.

Quid inde concludendum est? Jus parochi de O. ad quartam funeralem, validis juris præsumptionibus sufficienter probatum apparet, vel ex titulo quasi-domicilii, vel ex qualitate vagi. Si tamen, ex ulteriori inquisitione, non certo constaret de intentione defuncti valedicendi priori domicilio in Z., parochi rem inter se amice componant.

A. De Meester.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

I

Facto inspirationis probato, sequitur libros S. Scripturæ duos habere auctores: auctorem principalem, Deum, et auctorem instrumentalem, hagiographum. — Hoc principium philosophice explica et subjectæ materiæ generali modo applica.

II

Expóne notionem divinæ *providentiæ*.

III

Undenam æstimanda est gravitas vel levitas materiæ in peccatis?

IV

Per summa capita indica varios modos quibus Ecclesia interveniat in proponenda doctrina fidei vel cum fide connexa.

V

Quænam istis ex parte fidelium correspondet obligatio adhærendi.

VI

Ubinam et quomodo celebranda est missa votiva festorum quorum solemnitas transfertur in dominicam subsequentem.

Viennent de paraître :

Exhortation de S. S. Pie X au clergé catholique. Texte latin avec traduction française, annoté par **J. Mahieu**, S. T. L., Directeur du grand Séminaire. Bruges, Beyaert, 0,40 fr.

A. De Meester. *Règles pratiques pour l'exécution du chant grégorien d'après l'édition vaticane.* Roulers, J. De Meester, une petite brochure in-8, 35 p. F. 0,60.

Contenu. Introduction générale à l'exécution du Graduel de l'Édition officielle. — Règles spéciales pour le chant des récitatifs (oraisons, épîtres etc.), la psalmodie et l'hymnodie.

A. De Meester. *Praktische leer ter uitvoering van den gregoriaanschen zang naar de Vaticaansche uitgave.* Rousselare, J. De Meester, in-8, 37 p.

C. Callewaert. *L'étude et l'esprit de la Liturgie* (Extrait des *Collationes Brugenses*, 1908). Bruges, Maertens-Matthys, 35 p. Fr. 0.50.

C. Callewaert. *Les reliques de Ste Godelive à Ghistelles et leurs authentiques* (Extrait des *Annales de l'Émulation de Bruges*, 1908). Bruges, L. De Plancke, 86 p. Fr. 2.00.

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur *Rollarii* feria II, 27a Aprilis, hora 2a.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900), XI (1906) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Expone typicam interpretationem historiæ duorum filiorum Abrahæ Gal.* 4, *21-31. Quomodo inservit argumentationi Apostoli in hac parte epistolæ?*

R. I. **Exponitur typica interpretatio historiæ filiorum Abrahæ.**

1/ *Historia in memoriam revocatur:* Teste Pentateucho (v. 21) Abrahæ duo nati sunt filii (v. 22): unus, Ismael, ex Agare ancilla natus est « secundum carnem » seu secundum ordinarias naturæ leges; alter, Isaac, ex Sara matre libera natus est « secundum repromissionem » Dei, qui defectum naturæ in utroque parente miraculose supplevit (v. 23).

2/ *Sensus spiritualis seu typicus historiæ explicatur* (1). Duæ matres Agar et Sara, duoque filii, Ismael et Isaac typice repræsentant duo fœdera et eos qui horum sunt participes (v. 24[a]). Una, Agar serva (natione Arabs), generans servum, præfigurat fœdus vetus, in Sina, Arabiæ monte datum, et simile (2) Jerusalem terrenæ quæ cum filiis, Israelitis, servit (3) sub servitute

---

(1) Galatæ eorumque doctores judaizantes hunc sensum typicum non erant assecuti, quamvis Legem « legerint » et historiam ipsam rite cognoscerent.

(2) Verbum συστοιχεῖ hîc significat: similis est, respondet, congruit, in eadem linea (imperfectionis) in casu est cum etc. Cf. ZAHN, *Der Brief des Paulus an die Galater,* Leipzig 1905, p. 236 s.

(3) Immeritò putat PALMIERI, *Commentarius in ep. ad Galatas,* Galopiæ 1886, p. 193, servitutem a Lege hic nonnisi typice significari. Cf. ZAHN, *o. c.,* p. 237; *Gal.* **3**, 21 s.; **4**, 1; *Jo.* **8**, 31-36.

Legis (v. 24[b]-25). — Altera Sara, libera, etsi naturaliter sterilis, per repromissionem multo plures filios generans (v. 27) eosque liberos, typice repræsentat novum fœdus, seu Jerusalem cœlestem (1), quæ est mater nostra (v. 26): etenim (v. 28) quotquot christiani sumus, ad instar Isaac, filii sumus promissionis (2).

3/ *A typica historia matrum ad sortem typicam filiorum transit, et ita sibi viam ad argumenti conclusionem munit.* Quemadmodum tunc Ismael « natus secundum carnem persequebatur » Isaac natum « secundum spiritum » seu promissionem, « ita et nunc » filii Abraham secundum carnem seu Israelitæ persequuntur filios Abrahæ (3) secundum spiritum seu christianos (v. 29).

At verò Agar ancilla et filius Ismael e domo ejecti sunt atque Ismael fuit exhæredatus (v. 30).

Conclusio argumenti subauditur: Ergo œconomia vetus, Lex mosaica rejicienda est neque esse potest illi cum œconomia christiana pars in hæreditate filiorum Dei.

4/ *Quæ hucusque disputavit Paulus revocat ad breve principium* v. 31: « Itaque fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ » vi illius libertatis qua « Christus nos liberavit » (4).

---

(1) In commentariis exponitur Jerusalem « quæ sursum est » seu cœlestem, hic non tam Ecclesiam triumphantem in cœlis, quam militantem in terris designare: opponitur regnum Messianum seu Novi Testamenti œconomia œconomiæ Veteris Testamenti seu Jerusalem « quæ nunc est ». — Paulus hoc alterum typi membrum non eadem ratione ac prius explicavit, sed iis quæ a lectoribus facile suppleri poterant prætermissis, statim ad antitypum v. 26 transit. In priore membro comparent Agar et ei respondens Jerusalem « quæ nunc est »; in altero Sara implicite tantum exhibetur, explicite Jerusalem superna, sed *ordine inverso:* mentio Jerusalem terrenæ in fine membri prioris, alterius Jerusalem mentionem *initio* secundi membri sponte provocavit.

(2) Christianos filios esse promissionis jam supra c. **3**, 15-29 demonstravit.

(3) Non agitur hic de conaminibus Judaizantium in ecclesia Galatica, sed de persecutionibus Judæorum contra christianos quas refert e. g. liber actum Apostolorum.

(4) Verba « qua libertate Christus nos liberavit » a quibusdam junguntur cum initio v. 1 c. **5**: state, etc.

II. **Hæc typica interpretatio inservit argumentationi Apostoli.** 1/ Etenim, ut suprà p. 193 ss. ostendimus, Paulus in parte epistolæ dogmatica demonstrat christianum perfecte justificari per fidem vivam in Christum, non autem per circumcisionem observationemque Legis mosaicæ. Hanc thesim fundamentalem variis argumentis (p. 193 ss.) probat. Inter alia ostendit Legem nihil aliud fuisse quam « pædagogum ad Christum », illudque munus pædagogicum jam esse expletum. *Typica interpretatio hîc exposita legem abolitam esse confirmat.*

2/ Attamen, probe notandum est, argumentum hoc deductum esse non ex sensu litterali (1) historiæ filiorum Abrahæ, sed ex *sensu typico* (2). Sensus autem typicus hauritur non immediate ex verbis, sed ex rebus et personis per verba significatis. Fundamentum igitur sensus typici sunt personæ vel res ipsæ, personas vel res futuras significantes quatenus eas præfigurant. Ita, duæ matres, Agar et Sara, duo filii, Ismael et Isaac repræsentant adeoque typice significant duo fœdera et eos, qui sunt eorum participes (3). Teste igitur S. Paulo, dicta historia in se vera, aliud rursus verum et credendum portendebat. Unde ex intentione auctoris primarii S. Scripturæ, Dei, sensus typicus illi historiæ subest. Ex quo rursus patet ipsam N. T. inspirationem pessumdari ab iis qui typos omnes e S. Scriptura

---

(1) Sensus litteralis S. Scripturæ ille est quem verba immediate, ex ipsa sua acceptione, significant, sive proprie (quando verba sumuntur in significatione obvia et naturali: sensus proprius), sive metaphorice (quandó verba sumuntur in significatione translata: sensus metaphoricus).

(2) Qui etiam vocatur *mysticus*, tanquam magis absconditus quam litteralis et veluti mysteriosus. Cf. ZAPLETAL, *Hermeneutica biblica*, Friburgi B. 1908, p. 39. Cum *allegoria* nihil aliud sit quam metaphora evoluta et continuata. (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 498), vox allegoria in v. 24 sensu improprio usurpatur.

(3) Persona vel res præfigurans *typus* (a τύπτω, percutere, imaginem imprimere), præfiguratum autem antitypus vocatur.

excludunt, typicumque sensum pro mero figmento habent (1).

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Utrum voluntas Dei semper impleatur*. Cf. S. Thomas, I, Q. XIX, a. 6.

R. 1/ Dei voluntas, *proprie* dicta, distinguitur duplex: voluntas *conditionata* seu *secundum quid* et voluntas *absoluta* seu *simpliciter* dicta: illa *non semper;* hæc vero *semper* impletur.

2/ Dei voluntas, *metaphorice* dicta, seu voluntas *signi,* complectitur quinque signa: id quod Deus dicitur velle, voluntate signi, quandoque adimpletur, quandoque non.

Declaratur responsum. 1/ Voluntas *proprie* dicta est volitio quæ Deo vere ac realiter inest (2); *impleri* dicitur quando realiter fit *id* quod vult Deus. Divina voluntas, proprie dicta, potest esse *conditionata:* quatenus objectum ejus est aliquid boni sub conditione voliti: v. gr. volo omnes homines salvos fieri si ipsi libere agant recte; quia voluntas conditionata respicit objectum sub conditione positum, ideo est voluntas secundum quid tantum.

Porro voluntas *conditionata* non semper impletur: scimus enim Deum velle, hac voluntate, omnes homi-

---

(1) Loca tamen in quibus inest sensus typicus non habent vim probandi, nisi ubi *constat* de sensu typico seu de intentione auctoris. Quæstio autem utrum determinatus locus S. Scripturæ sensum typicum habeat, cum plena certitudine nonnisi testimonio divino solvi potest. Hujusmodi autem testimonium adest, quoties constat Christum, Apostolos, hagiographos N. Testamenti, textum S. Scripturæ revera typice explicasse. Argumentum explicitum sat generale pro existentia sensus typici præbet S. Paulus in *ep. ad Cor.* **2**, 16-17. Cf. ZAPLETAL, *o. c.*, p. 44 ss.; VAN NOORT, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de Fide divina*, Amstelodami 1906, p. 74 ss.; C. PESCH, *De Inspiratione S. Scripturæ*, Romæ 1905, n. 556 ss.

(2) Cf. suprà, p. 27.

nes salvos fieri; atqui non omnes homines salvi fiunt; ergo (1).

Voluntas *absoluta* est actio volitiva qua absolute vult Deus aliquid esse. Patet hanc voluntatem semper impleri. « Nam si id quod aliquis absolute vult, non fiat, hoc erit propter defectum potentiæ in volente, et talis defectus in Deum profecto non cadit » (2).

2. Voluntas *metaphorice* dicta est *id quod solet apud nos esse signum voluntatis nostræ* proprie dictæ et quod in Deo dicitur metaphorice voluntas (3). *Id* quod Deus dicitur velle *voluntate signi* est *id* quod Deus præcipit, prohibet, consiliatur, operatur, permittit; jamvero id quod Deus *præcipit*, *prohibet*, *consiliatur* quandoque fit seu adimpletur, quandoque non: ut experientia constat; id quod Deus *operatur*, semper fit, ut patet; id quod Deus *permittit,* fit etiam: sed notemus *permittere* nihil aliud esse quam *non velle impedire*. Quando Deus dicitur permittere, absolute vult ut homo *eligat*, h. e., libere sumat unum præ alio, et simul vult Deus non impedire ut homo eligat malum morale præ bono opposito.

Notæ. 1. Demonstrando absolutam Dei voluntatem semper impleri usi sumus argumento obvio de infinita Dei potentia. Idem, quoad substantiam, exponit S. Thomas, I, Q. XIX, a. 6, sed modo diverso: nam supponendo quod in tantum non impleretur Dei voluntas in quantum hæc impediretur actione alicujus causæ secundæ, directe ostendit nullà causà secundà posse impediri adimpletionem Dei voluntatis: quia hæc est

---

(1) Voluntas conditionata salvandi omnes homines præsupponitur in Deo omnibus ordinibus possibilibus rerum; illa præsupposita, sequitur in omnibus ordinibus rerum possibilibus contineri complexum auxiliorum sufficientium ad salutem singulorum hominum; quando Deus absolute vult aliquem determinatum rerum ordinem fieri, etiam absolute vult auxiliorum ad salutem sufficientium complexum huic ordini connexum: inde auxilia, quæ de facto dantur, sunt objectum et effectus voluntatis absolutæ, non conditionatæ seu antecedentis.

(2) Billot, *De Deo uno et trino,* V. I, thes. XXVII.

(3) Cf. suprà, p. 28.

causa suprema et universalissima, a qua omnis alia causa dependet et in sua actione movetur et dirigitur (1).

2. Licet homo *peccando* agat *contra* Dei voluntatem *signi, resistat* auxiliis ipsum moventibus ad bonum, et sic, si in peccato moriatur, *faciat ut non impleatur* voluntas Dei *antecedens*, tamen homo *nunquam simpliciter recedit a voluntate divina,* quia voluntati *absolutæ nunquam resistit.* Nam si recedit ab illo ordine secundum quem duceretur ad salutem, labitur in alterum ordinem secundum quem damnatur. Deus enim voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri et simul vult, voluntate *absoluta,* in hoc præsenti rerum ordine, *permittere*, h. e., non impedire talia et talia peccata, et tandem *damnare* tales et tales. Sic intelligitur S. Thomas dicendo: « Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium : sicut peccator qui, quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis dum per ejus justitiam punitur » (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *An et quare omne peccatum morale est offensivum Dei seu peccatum theologicum?*

R. « Dicendum, ait S. Thomas (3), quod a theologis consideratur peccatum præcipue *secundum quod est offensio contra Deum;* a philosopho autem morali, *secundum quod contrariatur rationi* ». Hinc vocatur *peccatum philosophicum* « actus moraliter malus quo solus violaretur rationis naturalis ordo, minime vero lex

(1) Cf. Janssens, *De Deo uno,* Romæ, 1899, p. 250; Cajetanus, in I, Q. XIX, a. 6.

(2) I, Q. XIX, a. 6. Cfr. *De veritate,* Q. XXIII, a. 2.

(3) S. Th., 1-2, q. 71, art. 6, ad 5.

divina » (1); vocatur autem *peccatum theologicum* actus moraliter malus offensivus Dei, dissolvens amicitiam Dei et pœna æterna dignus.

Sane, ut statim audivimus ab Angelico, *considerari* potest peccatum vel prout est offensa Dei, quemadmodum facit theologus, vel prout contrariatur tantum naturæ rationali, et ita illud considerat philosophus moralis. Sed quæritur utrum *de facto detur* vel dari possit peccatum philosophicum seu utrum omne peccatum morale (2) sit peccatum theologicum.

« De peccato philosophico, ait P. Billot (3), celebris quondam exstitit controversia, quæ non fuit hic omnino negligenda, maxime propter placita eorum qui moralem, ut aiunt, independentem statuunt ».

Porro triplex potest esse de eo dicendi modus.

1. Primus est eorum qui divinam legem de medio tollunt, dicentes vel Deum non existere vel non curare de actibus humanis, ac per hoc negant Deum legislatorem, judicem, et remuneratorem. Isti igitur *negant dari peccatum theologicum* consistens in Dei offensa, et refelluntur ubi refutatur atheismus.

2. Alius est dicendi modus eorum qui posuerunt in ordine præsenti *non omne peccatum esse peccatum theologicum* seu dari de facto quosdam actus moraliter malos, qui graviter repugnant rectæ rationi, sed non sunt offensa Dei, quatenus fiunt contra dictamen conscientiæ ab iis qui invincibiliter ignorant Deum existere vel de Deo et lege ejus nullo modo cogitant.

Horum doctrina fuit proscripta ab Alexandro VIII

---

(1) Billot, *Disquisitio de natura et ratione peccati personalis*, 2a ed. (Romæ 1897), p. 23.

(2) Dicitur in quæstione peccatum *morale* seu actus moraliter malus, ut np. peccatum *moris* distinguatur a peccato *naturæ* et *artis*. Cf. S. Th., 1-2, q. 21, a. 1 et 2; Billot, *op. cit.*, p. 4. Unde non est cur advertat circulus quidam peccatum morale intelligi posse peccatum contra materiam moralem, sumendo materiam moralem prout faciunt theologi ubi distinguunt a theologicis virtutes morales.

(3) *Op. cit.*, p. 23.

tamquam *erronea*, in damnatione sequentis propositionis: « Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi, theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum ».

Fuit proscripta *tamquam erronea*, quia etsi ista doctrina non immediate adversetur veritati revelatæ, opponitur tamen conclusioni theologicæ erutæ ex una præmissa de fide, et altera naturaliter cognita: de fide enim est reum esse odii divini et gehennæ, qui Deum offendit; et lumine naturæ notum est Deum existere et prohibere quæ rectæ rationi adversantur, adeo ut, in præsenti ordine providentiæ, moraliter contingere non possit, quod detur invincibilis Dei ignorantia, aut inadvertentia, dum peccatur. Est itaque conclusio theologica, quod peccatum philosophicum sit etiam theologicum, saltem in præsenti ordine providentiæ (1).

Dicitur: *saltem in præsenti providentia,* quia nonnulli AA. posuerunt possibilitatem metaphysicam peccati philosophici, in alio np. quodam possibili ordine auxiliorum et providentiæ, ut nunc dicemus (2).

3. Tertia est opinio eorum, qui cum Card. de Lugo (3) *agnoscunt possibilitatem metaphysicam peccati philosophici,* tametsi fateantur de facto illud non dari, quatenus in præsenti ordine providentiæ contingere non potest ut detur invincibilis ignorantia Dei aut inadvertentia ad legem divinam, dum peccatur.

Hæc sententia, quamvis, ut censet Viva (4), non certo

---

(1) Ita fere Viva, *De duabus propositionibus ab Alexandro VIII proscriptis 24 Augusti 1690,* n. 1.

(2) Cf. Billot, *op. cit.*, p. 24 sq.

(3) *De Incarn.*, Disp. V, sect. 5.

(4) *Op. cit.*, n. 3.

subjaceat præfatæ censuræ, « adhuc tamen communiter a theologis respuitur, quia conscientiæ dictamen essentialiter et ex natura rei cognitionem involvit legis divinæ ut principii obligationis moralis, ac per hoc, metaphysice repugnat ut qui Deum non cognoscit vel ad ejus legem confuse saltem non advertit, habeat unquam conscientiam actus moraliter mali. Quare, vel non est morale peccatum, nisi forsitan mere materiale, vel si est peccatum, eo ipso est de sui ratione peccatum theologicum et Dei offensivum, utpote in violationem legis ejus admissum » (1).

Revera omnis actio quæ proponitur in conscientia uti moraliter mala, apprehenditur eo ipso ut illicita, atque adeo ut prohibita et nullatenus patranda seu absolute prohibita. Jamvero prohibitio nequit intelligi sine prohibente; et prohibitio absoluta, ita ut prohibitum istud nullatenus liceat, nequit intelligi, nisi implicite saltem et confuse agnoscatur existentia alicujus supremi legislatoris, a quo omnes homines necessario dependeant; talis autem est Deus. Ergo quoties peccatum apparet ut actio moraliter mala, eo ipso apparet etiam oppositum voluntati Dei illam actionem prohibentis, adeoque offensivum legis divinæ (2).

H. Mahieu.

IV

Q. *Accurate per summa capita delimitetur influxus voluntatis in ordine ad inveniendam et admittendam veritatem in genere.*

R. Ut aliæ hominis vires, sic et intellectus subjicitur motioni voluntatis. Et dupliciter quidem voluntas habet movere intellectum :

---

(1) Billot, *op. cit.*, p. 25.

(2) Cf. Viva et Billot, *ll. cit.*, ubi invenies objectiones solutas. Cf. etiam *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 611 ss.

I. **Indirecte**, quatenus juvare potest intellectum in **inquirenda veritate**: Revera:

1. A debita inquisitione retrahunt hominem et judicium rationis perturbant ideæ præconceptæ, variæ passiones inordinatæ, perversi affectus, superbia, dissensiones, æmulationes, etc. Voluntatis est hæc varia *impedimenta removere* ut valeat intellectus dilucide et libere investigare.

2. *Positive* intervenit voluntas, applicando considerationem mentis ad unum objectum potius quam ad aliud, movendo intellectum ad quærendas rationes ex quibus possit veritas apparere, applicando aciem mentis ad diligentem earum considerationem ac discussionem, impetrando auxilia divina, etc.

II. **Directe**, quatenus varia ratione **influit in ipsum assensum intellectus**, ubi a parte objecti deficit illa evidentia *intrinseca* et *perfecta*, quæ sola cogit intellectum ad assensum plene quietantem ipsum. Revera (1):

1. Ubi veritas propositionis apparet *intrinsece* quidem, sed tantum ut *probabilis*, intellectus, quin egeat interventu voluntatis, admittet propositionem esse probabilem, sed ut ipsam veritatem admittat, assensu opinativo, *per se*, i. e. ex ipsa natura motivorum, omnino requiritur imperium voluntatis. Qui assensus opinativus prudens erit, pro quanto proportionatur dignitati rationum.

2. Ubi veritas apparet *intrinsece*, et quidem argumentis *apodicticis*, sed tamen, ut sæpe fieri potest (2) non ita perfecte, ut tollatur *omnis* possibilitas dubitandi *etiam imprudenter*; — voluntatis est removere talem irrationabilem hæsitationem. Hic interventus voluntatis respectu firmitatis assensus omnino *accidentalis* est;

---

(1) Cfr. dicta supra, pp. 202 ss.

(2) Talis possibilitas dubii irrationabilis non datur relate ad *prima principia* quæ sunt *immediate* evidentia; item relate ad *conclusiones* scientificas quarum præmissæ et logica deductio sunt *perfecte* evidentes. Cogita conclusiones mathematicas.

causa enim per se hujus firmitatis sunt rationes validæ ab intellectu intrinsece perspectæ; adeoque assensus manet simpliciter scientificus (1).

3. Ubi veritas apparet *evidentia extrinseca* tantum, quatenus intellectus solum certus fit aliquam propositionem, cujus veritatem intrinsece non perspicit, necessario connecti cum aliquo signo extrinseco veritatis, intellectus quidem de se admittet dictam connexionem extrinsecam, sed, quum *ipse* non *videat,* intrinsece np., veritatem objecti sui, ipsum enuntiabile in se non admittet nisi ex imperio voluntatis. Qui assensus intellectualis dicitur sensu proprio actus fidei.

Ut autem voluntas possit rationabiliter assensum imperare, necessario requiritur ut intellectus prævie cum certitudine cognoverit testem rem de qua testimonium refert èt cognoscere èt veraciter enuntiare. Quod tamen ne sic intelligas ac si necessario constare debuerit testem pollere insigni habitu scientiæ et virtute veracitatis; fieri enim poterit me rationabiliter omnino, in casu quodam particulari, admittere illud quod mihi attestatum fuit ab homine rudissimo et mendacissimo, eo nimirum casu quo *ex variis adjunctis* mihi appareret hominem illum *de facto*, etiam si pro hac tantum vice, verum dicere; quemadmodum judex credit reo confitenti crimen suum.

Hoc porro sensu supposita scientia et veracitate testis rei testificatæ fidem adhibere potero:

a/ vel ideo præcise *quia*, ex quocumque fonte, *mihi constat* testem *de facto* verum dicere;

b/ vel ideo formaliter quia testis pollet speciali habitu scientiæ et virtute veracitatis, in materia circa

---

(1) Ita ex creaturis certissime probatur *Deum* debere *existere;* possunt tamen in contrarium occurrere variæ difficultates, quæ vel nullomodo vel non satis a nobis solvi possunt; quæ si recte perpenduntur, et ratio habeatur demonstrationis certissimæ existentiæ Dei, non elidunt hujus demonstrationis firmitatem, et non possunt generare — possunt tamen — nisi dubia infundata et irrationabilem formidinem.

quam testatur, et sic dignus est cui ego intellectum meum submittam.

Priori casu dicetur *fides ob evidentiam in attestante;* et jure merito dicitur assensus scientificus (et, in materia revelationis divinæ, assensus theologicus) (1); altero casu dicitur fides *formaliter ob auctoritatem testis.*

Ex discrimine indicato sequitur me, præbendo alicui assensum qui dicitur ob evidentiam in attestante, minime ipsi exhibere quamdam mei submissionem, reverentiam vel laudem; unice enim credo *quia video testimonium verum continere*, quocumque etiam ex fonte hoc mihi constiterit, ita ut eodem modo crederem homini ignaro et mendaci.

Item sequitur, quod *libertatem* horum assensuum spectat, a/ me quidem semper posse *non credere* i. e. suspendere assensum veritati quocumque modo mihi extrinsece evidenti; b/ non tamen semper posse *negare* eamdem veritatem: eam enim negare non possum, ubi *perfecte* (2) mihi evidens est eam contineri testimonio veraci; tandem c/ me *semper* liberum esse præstandi vel etiam positive denegandi assensum *formaliter ob auctoritatem testis*, quum semper possim velle vel nolle agnoscere auctoritatem ipsius meque illi submittere.

Nota. 1/ Assensus a voluntate imperatus in enuntiabile extrinsece evidens, est quidem infallibiliter verus in quantum ipsi prælucet judicium certum « rem esse extrinsece evidentem », non tamen de se plene quietat mentem, quum intellectus semper quærat *videre*. Et

---

(1) Ita Ill. Waffelaert, *Medit. theol.*, ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 6, vocat assensum quem præstares *propter deductionis legitimitatem et vim*, alicui veritati a Deo revelatæ. — Minus omnino placet denominatio a nonnullis inducta (ita Van Noort, *De Fide divina et fontibus revelationis*, p. 239 s.; cfr. supra, p. 203): *fides scientifica;* nimis enim radicaliter opponuntur duo termini: *fides* et *scientia*, præsertim habita ratione adjunctorum et controversiarum modernarum, quam ut in unam expressionem copulentur. — Rectius vocatur *ibid.: fides historica.*

(2) Ita np. ut nequidem dubitationi infundatæ locus relinquatur.

inde est quod in credente facile potest (1) insurgere dubium de contrario hujus quod firmissime tenet.

2/ Ex dictis apparet *voluntati* tribuendum esse quodcumque *judicium erroneum* intellectus eliciat. Deficiente nim. rei evidentia, sola voluntas est quæ mentem pertrahit in assensum.

3/ Ubicumque intellectus assensum suum præstat, movetur ipse motivo sibi proprio, *vero* np.; ubicumque autem voluntas varia ratione ad assensum concurrit, movetur et ipsa motivo sibi proprio, np. *bono,* quod est v. g. in eo quod rationabile, quod utile, quod honestum est, sic ad assensum concurrere. Nunquam autem potest *voluntas stare pro ratione,* i. e. imperare assensum firmiorem quam illum ferunt ipsæ rationes veri quæ apparent (2).

V

Q. *Ex dictis ad qu. præc. resolve quidnam valeat voluntas in ordine ad hoc ut homo disponatur ad actum fidei theologicæ, illumque eliciat habitumque fidei conservet.*

R. **Prænota.** En ordinem quo logice se excipiunt varii actus quibus homo, regula generali, præparatur et perducitur ad actum formalem fidei: demonstratur existentia Dei summaque Ejusdem *auctoritas*, scientia np. et veracitas. Item demonstratur, mediantibus va-

---

(1) Talia dubia sane nequeunt in mente oriri *dum* actu credit; nequit enim mens *assensum certum* præbere et *simul dubitare;* ast statim post judicium fidei certum elicitum, obvie oriri possunt. Hinc nil mirum frequenter posse oriri dubia in homine fideli; quæ cæterum nil tollunt a firmitate fidei, quousque voluntas iis non consentiat. Cfr. AA. ubi de certitudine inevidentiæ et de obscuritate fidei.

(2) Cfr. circa hanc et seq. quæst. ILL. WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ,* apud *Collat. Brug.*, t. II, pp. 553 ss.; item ejusdem *Annotationes in tract.* (BOUQUILLON) *de Virtut. theol.*, pp. 8 ss.; BILLOT, *De Virtutibus infusis,* pp. 201 ss. ID. *De Sacra Traditione,* cap. III, De Dogmatismo morali; *Collat. Namurc.*, t. VI, 1906-07, pp. 66 ss., 198 ss., VAN NOORT, *Tract. de fontibus revel....*, pp. 239 ss., 251 ss., etc.

riis, quæ vocantur motiva credibilitatis, imprimis miraculis et prophetiis, *factum revelationis*, puta Incarnationis. Ex his duobus certo cognitis deducitur ope ratiocinii *judicium credibilitatis,* quo np. judicat: Incarnatio est credibilis, i. e. digna cui adhæream ob auctoritatem Dei. Quum autem simul constet honestum esse, obligatorium esse, utile esse, ut homo credat auctoritati divinæ in his quæ revelavit, jam a judicio credibilitatis transit ad *judicium credentitatis*, quo judicat: Incarnatio est mihi credenda; credere ipsi mihi bonum est, utile, obligatorium; attamen aliunde potest homo, ob malas dispositiones suas sic argüere: me submittere Deo, (puta, quem odio habeo), admittendo hanc veritatem ob auctoritatem Ipsius, mihi malum est. Unde duplex oppositum judicium prælucere potest voluntati, et ideo voluntas *libere* eligit unum bonum præ alio, v. g.: bonum quod est in se submittendo Deo. Et inde tandem *voluntas libere imperat intellectui assensum* propter auctoritatem Dei. Qui assensus ultimatim est *assensus formalis fidei.*

Jamvero in his omnibus varia ratione intervenit voluntas.

I. **Indirecte** juvat intellectum in inquisitione instituenda circa varia illa de quibus ante actum fidei certo debet constare, ut ad judicium credibilitatis deveniat. Revera

1. Removet varia quæ impediunt ab hac inquisitione dilucide et libere instituenda: qualia enumerant (1): a/ superbiam, qua quis ita affectus est ut mysteria admittere, leges ab extra impositas suscipere nolit; qua quis ita sibi sufficit ut revelationem divinam inutilem vel etiam nocivam aut humanæ dignitatis imminutivam æstimet; b/ animum levem aut curis temporalibus nimis distentum; c/ passiones immortificatas quibus quis in antecessum dogmata practica aversatur, earumque obli-

(1) Van Noort, p. 227.

gationem declinare nititur; et imprimis vitam impuram quæ hominem enervat fastidiumque rerum spiritualium producit; d/ præjudicia varia quæ sæpe efficiunt ut homines circa factum revelationis et veritatem ecclesiæ catholicæ nullum examen instituere velint.

Horum omnium remotio, saltem magna ex parte, a voluntate pendet: foveat np. homo humilem submissionem mentis et voluntatis erga divinam auctoritatem, paratus sicut puer submittere intellectum, quando certus fiet de locutione divina; et bonam voluntatem qua paratus sit credere quascumque sequelas practicas actus credendi.

2. Positive intervenit applicando, et sustinendo intellectum in eadem inquisitione sua. Revera a/ *demonstratio* existentiæ Dei, ejusque auctoritatis, sed præprimis facti revelationis, sæpe satis complexa est, adeoque requirit ut voluntas mentem constanter in labore suo *sustineat*. b/ Ulterius, factum revelationis constare nequit, regula generali, nisi talibus argumentis quæ producant certitudinem moralem stricte dictam (i. e. quæ non relinquit locum dubiis *fundatis)*, sed tamen relinquant possibilitatem dubiorum imprudentium: cogita colluviem difficultatum et objectionum quæ quotidie ad factum revelationis obscurandum, adducuntur. Voluntatis est hæc dubia infundata removere, ne intellectus eis nimis immorando, per illa denique captivetur in errorem. — c/ Tandem juvat multum voluntas tum oratione instante et constante, tum vita sancta a Deo impetrando auxilia in re tam momentosa tam utilia et necessaria.

Hinc in ordine ad fidem obtinendam, non tantum intellectus, sed et voluntas est præparanda. Parum enim proficere solent argumenta etiam solida et bene ordinata, nisi auditores ea pacato et benevolo animo expendere velint. Inde magna utilitas illorum criteriorum internorum quæ religionem christianam probant qua bonam homini et appetibilem: obvium enim est

hominem desiderare ut *vera* sit religio quam *bonam* esse agnovit, et ex tali desiderio ad ulteriorem et diligentiorem inquisitionem accendatur (1). Talia criteria sunt convenientia doctrinæ christianæ cum aspirationibus animæ, summa ejusdem adaptatio ad necessitates vitæ, efficax remedium quod nata est afferre malis socialibus, caracter estheticus, etc.

II. Directe intervenit, imperando assensum fidei formalem, eum np. qui præstatur *formaliter propter summam auctoritatem Dei* revelantis, adeoque *semper* libere præstatur. Hinc iterum momentum voluntatis bene dispositæ: etiam enim si quis haberet evidentiam perfectam de Auctoritate Dei et facto revelationis, nisi simul sit erga Deum, erga honestatem credendi, etc. bene dispositus, poterit semper recusare subjectionem illam, laudem et reverentiam quæ inest actui fidei formaliter ob Auctoritatem Dei testantis præstitam (2).

III. Tandem ut in fide semel actu admissa perseveretur, et consequenter ut virtus fidei semel per infusionem accepta conservetur, multus influxus est voluntatis. Fides enim quoad actum et quoad habitum non excluditur nisi per infidelitatem, quæ, (sicut assensus fidei imperatur a voluntate), est error in fide *voluntarius*. Hic autem multipliciter pendet a voluntate: 1/ Hujus enim est removere varia illa supra (I, 1) enumerata, quæ sicut impediunt ne quis ad fidem deveniat, ita a

---

(1) Hinc illud S. Augustini: « Si veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quæratur ut dignum est, subtrahere se a suis dilectoribus non potest. Hinc est illud quod in ore habere etiam vos soletis: Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Nil est occultum quod non revelabitur. Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit, permanetur ». *De moribus ecclesiæ*, c. 17, n. 31.

(2) Tali autem casu, quo *perfectam* quis haberet evidentiam de prærequisitis ad fidem, jam non liber existeret *denegandi ipsum assensum* suum ob evidentiam in attestante, et sic veritatem revelatam *negare* non posset, sed posset non assentire.

fide recepta retraherent; 2/ a volùntate pendet quod homo vitet periculosum consortium — scriptis vel verbo — aliter sentientium; quod mens ab objectionibus imprudenter considerandis retrahatur, et ad studium quo difficultates occurrentes solvantur impellatur; quod dubia involuntaria (1) removeantur; 3/ a voluntate pendet quod sæpius homo actum fidei eliciat, et sic in se consolidet et adaugeat habitum fidei.

A. VANDER HEEREN.

VI

Q. *Quid est et quotuplex distinguitur missa* votiva?

R. I. **Quid?** Ex Ecclesiæ primæva institutione officium divinum præparatio quædam est ac dispositio ad missam (2), ejusque diversæ horæ natæ sunt missam quasi gemmam auro includere; tam officium diei quam missa conventualis ordinatur ad eundem Sanctum aut idem mysterium opusve divinum recolendum. Merito igitur vult Ecclesia ut etiamnum « quoad fieri potest missa cum officio conveniat » (Rub. gen. Miss. IV, 3) ita ut mutabiles missæ partes officio respondeant (3).

A longo tamen sæculorum decursu admittit Ecclesia ut, modo id passim non fiat et adsit causa rationabilis proportionata (4), missa ordinetur ad *votum* seu ad

(1) Talia dubia frequenter posse oriri in mente fidelium, nil mirum videbitur, perpendenti assensum fidei tùm præsuppositive fundari in certitudine *morali* (licet *vera* certitudine) quæ de facto revelationis comparari potest, tùm esse assensum in veritates sæpe intellectui impervias.

(2) Officium canonicum primam originem ducere videtur ex iisdem exercitiis et conventibus ex quibus habemus missam catechumenorum de qua *Collat. Brug.*, t. XII, p. 722 ss.

(3) Ita collecta missæ recitatur fere in singulis horis officii; tempore quadragesimæ oratio super populum repetitur in vesperis de feria; ex epistola solent desumi capitula; evangelium missæ partim legitur et homelitice explicatur in tertio nocturno; sæpe eadem repetuntur tum in responsoriis ac versiculis officii tum in introitu, graduali, offertorio et communione missæ.

(4) Cf. Rubr. gen. Miss. IV, 3.

intentionem a publico liturgiæ communis fine diversam, adeoque sit *officio diei non conformis*. Quæ missa vocatur *votiva,* si non celebretur « pro defunctis ».

II. **Quotuplex?** Diverso autem gradu potest missa ab officio discrepare: unde sensu latiori vel strictiori dicuntur missæ votivæ.

A. *Sensu latiori* dicuntur votivæ quæ non sunt quidem conformes officio diei communi, sed tamen respondent 1/ vel officio a celebrante recitato, 2/ vel officio commemorato.

1. Ita Leo XIII pro singulis hebdomadæ feriis non impeditis concessit ut recitari possent officia ab horis canonicis diei omnino diversa, quæ ideo dicuntur officia votiva. Sed simul pro iisdem diebus ordinavit missas præfatis officiis respondentes. Quæ missæ nuncupantur « *votivæ* per annum », sive quia sunt missæ propriæ officiorum « votivorum », sive quia non sunt conformes officio diei. Tamen relate ad officia votiva non sunt missæ votivæ, et ideo si privatæ celebrentur ab eo qui officium votivum respondens recitavit, celebrari debent more festivo; si secus, more votivo (1).

2. a/ Interdum missa celebranda est de sancto vel mysterio cujus integrum quidem officium non recitatur sed commemoratio tamen fit: v. g. missa de festo simplici vel de octava, in festo semiduplici. Hæc missa nec est simpliciter festiva quia officio diei non est conformis, nec est omnino votiva quia relationem habet ad officii partem: et ideo solet hujusmodi missa a recentioribus vocari *semi-festiva* aut *votivo-festiva,* et juxta præsentem disciplinam celebrari debet potius more festivo.

b/ Hujusmodi etiam est missa de vigilia vel feria majori, die qua fit officium de octava communi (cum commemoratione vigiliæ aut feriæ) juxta Rubr. gen. missalis tit. III, n. 2.

B. Si vero agatur de missis quæ *pleno sensu votivæ*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 401 ss.; VIII, p. 343.

sunt quia nec officio recitato nec officio diei etiam commemorati conformes sunt, potissimum distinguuntur in votivas:

1/ solemnem stricto sensu, quæ nuncupari solet *solemnis pro re gravi;*

2/ privatam, quæ ex privata devotione celebratur;

3/ privilegiatas quæ ob varias causas ab auctoritate ecclesiastica probatas celebrantur et specialibus indultis privilegiari solent.

1/ Votiva *solemnis* stricto sensu seu pro re gravi, ea est quæ de Episcopi consensu pro qualibet vice obtinendo celebranda est pro re gravi et publica Ecclesiæ causa, pro quadam nempe spirituali aut temporali necessitate quæ communitatem ejusve majorem partem afficiat (ideo *publica*), quamque Ordinarius *gravem* esse judicat.

Ob hujus causæ gravitatem et Ordinarii auctoritatem gaudet hæc missa solemnitate intrinseca maxima seu privilegio liturgico vi cujus:

a/ permittitur quovis tempore, paucis tantum diebus exceptis, scilicet dominicis I classis, festis duplicibus pariter I classis, feria IV Cinerum, feriis hebdomadæ majoris ac vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.

b/ censetur ritus duplicis et excludit omnem respectum ad officium occurrens, adeoque celebratur semper cum unica oratione (excepta votiva pro gratiarum actione) et evangelio S. Joannis in fine; et etiam cum *Gloria* (nisi cantetur in colore violaceo) et cum *Credo* (nisi sit infra hebdomadam et omittatur *Gloria*).

c/ consequenter celebrari debet cum solemnitate extrinseca h. e. cum assistentia aut saltem in cantu (in tono festivo), et præsente, quantum fieri potest, communitate h. e. clero, magistratu et populo.

2/ Votiva *privata* ea est quæ extra ordinem officii, de causa rationabili licet forte nec publica nec gravi, legitur aut cantatur non ex indictione aut licentia speciali Episcopi sed ex *privato voto* seu desiderio celebrantis aut petentis.

Quum hic soleat deesse causæ momentum et semper deficiat auctoritatis ecclesiasticæ interventus, hæc missa :

a/ multis diebus impeditur, ita ut nec in festis duplicibus aut dominicis celebrari liceat,

b/ est tantum ritus simplicis ita ut semper tres saltem orationes dicendæ sint ; nec gaudet privilegio excludendi respectum ad officium recitatum aut missam diei cujus oratio substantialis et commemorationes semper dicendæ sunt (1), nisi sit cantata et alia missa conventualis vel cantata celebretur (2).

c/ non debet celebrari cum solemnitate extrinseca, imo legi potest.

3/ Votivæ quæ a nonnullis auctoribus *privilegiatæ* nuncupantur, eæ sunt quæ extra ordinem officii diei, ob causas varias auctoritate S. Sedis probatas, speciali titulo permittuntur aut etiam præscribuntur et variis ditari solent privilegiis quibus ad votivam solemnem pro re gravi plus minusve accedunt et sæpe « ad instar votivæ solemnis » celebrari possunt et debent.

Quoad causam ob quam, quoad dies et adjuncta quibus permittuntur hujusmodi votivæ et quoad ritum quo celebrandæ sunt, inspiciendus in singulis casibus et servandus est, ut patet, tenor concessionis.

Præcipuæ hujuscemodi missæ votivæ sunt :

a/ missa de festo transferendo, quam permittunt Rubricæ Missalis tit. VI.

b/ missa votiva quatuor festorum quorum solemnitas est transferenda in dominicam subsequentem ex indulto Card. Caprara diei 9 aprilis 1802 (3).

c/ missa pro adoratione XL Horarum vel Adoratione perpetua ;

g/ missa SS. Cordis, prima feria VI mensis ;

h/ missa pro sponso et sponsa.

C. Callewaert.

---

(1) De quibus cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 381.

(2) Vide *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 445, II ; decr. 30 jun. 1896, nº 3922.

(3) De qua in responso ad quæstionem mensis Junii.

De Formula gallica: S. N. d. D.

Notum est, a multis jam annis controversam esse quæstionem de gradu et ratione malitiæ formulæ S. n. d. D., et a multis in sensum omnino practicum, dedocendi np. malitiam gravem, fuisse solutam. Securioris viæ sequendæ causa, a variis conferentiis Diœceseos Brugensis, quæstionem facti solvendam petivimus: « *An et quousque viget, variis in locis diœceseos Brugensis, communis æstimatio formulas gallicas a/ breviorem: S. D.; b/ longiorem: S. n. d. D. esse blasphematorias? Quænam sunt rationes ob quas* ipsi fideles *rem sic apprehendunt?* » Infra compendiose exhibemus varias responsiones quas benevolo animo variæ conferentiæ, in relatione sua ordinaria, transmiserunt.

Juvabit, in ordine ad conclusiones practicas infra deducendas distinctim exponere:

I. Quisnam sit harum formularum sensus grammaticalis.

II. Quonam sensu de facto hæ formulæ fuerint primitus adhibitæ.

III. Quonam sensu de facto hodie sumi solent apud nostrates.

Sit igitur:

I. De sensu harum formularum grammaticali, seu de sensu vocis Sacré.

Gallica vox Sacré a latina sacer est derivata. *Sacer* autem latine duplicem sensum habet, plane oppositum, ita nimirum ut significet: 1/ devotus diis cultuique divino, et ideo *sanctus*, religiosus, consecratus, sacratus, — cui opponitur *profanus;* 2/ devotus ultioni divinæ, diis inferni, et ideo *maledictus*, exsecrabilis, detestabilis, exsecrandus; quemadmodum dicit Virgilius: « Quid non mortalia pectora cogis, auri *sacra* fames ». (En., III, 56 s.). — Sic etiam vox gallica *Sacré* duplici sensu sumi potest: 1/ sensu primario et

consueto, idem dicit ac *saint:* quo sensu loquimur: *Sacré* Cœur de Jésus; le *sacré* concile de Trente; le *sacré* collège (des Cardinaux); la *sacrée* Faculté de Théologie; la *sacrée* Congrégation des Rites; quo sensu olim Imperator Romanus, et Rex Angliæ dicebantur: *Sacrée* Majesté. Hinc etiam sensus: extraordinaire, admirable, fameux: « Il faut une *sacrée* patience pour.... »; 2/ sensu, in paucis locutionibus adhibito, et, solummodo in populari ac triviali sermone usurpato: *maudit, satané*, etc.: quo sensu audimus: sacré diable, sacrée pluie, sacré calottin, sacrée bête, sacré coquin, etc. (1). Dicimus: *in paucis tantum locutionibus*, et in sermone *populari et infimo*. Hoc aperte constat ex variis lexicis linguæ gallicæ, quæ omnia longe plures sensus bonos referunt quam malos. (Cfr. Bescherelle, Guérin, Littré, Dict. de l'Académie). Aliter se habet vox *latina*, quæ eodem fere numero bonos et malos sensus habet, juxta lexica Latina.

Ast bene notandum *quid inde concludi* posse videatur.

Nimirum a/ sequitur plane immerito dici formulas de quibus agimus, esse *ex se* blasphematorias. Formula enim quæ de se potest habere *duplicem* sensum, nequit jam dici *habere* de se sensum talem derminatum præ altero. Formulæ nostræ *de se possunt* esse blasphemiæ; immerito diceres eas *esse* blasphemias. Secus jure merito rogares cur formula *Sacré Cœur de Jésus,* non *sit* blasphemia. « Absurdum est dicere verbum *sacré* habere significationem perversam, quando apponitur sanctissimo Dei nomini, bonam vero si dicatur de aliis personis vel rebus, quæ venerationem merentur vel aliquam sanctitatem exprimunt » (2).

---

(1) « *Sacré* se dit par opposition à *profane,* des choses qui concernent la religion, qui ont pour objet le culte de Dieu... *Sacré* est quelquefois une épithète ajoutée à des termes d'injure, pour leur donner plus de force. Ce sens est du langage le plus bas, le plus grossier, et ne doit jamais être employé ». Dictionnaire de l'Académie française, ed. 6ª, 1835.

(2) Brahm, *De Formula S. n. de D.*, ed. altera, Rollarii, De Meester, 1908, p. 43.

b/ Sequitur voci *sacré connaturaliter* tribui sensum bonum ubi adjungitur nomini cuidam venerationi exigenti; contra naturaliter sensum malum tribui, ubi adjungitur nomini de se jam contemptibili, adeo ut augeatur expressio contemptus: quemadmodum nemo, conscius licet utriusque significationis, legens in libro quodam pio: Sacré Cœur de Jésus, cogitat de sensu malo; et nemo audiens vel dicens: sacré bandit, cogitat de sensu bono.

c/ Sequitur tamen in quavis expressione posse adhiberi vocem *sacré* in utroque sensu; et sic etiam ubi adjungitur nomini veneratione digno, posse intendi malum sensum. Hinc si quis conscius sensus mali *vult* adhibere hunc sensum pravum, in expressione Sacré n. d. D., vel Sacré Cœur de Jésus, revera horrende blasphemat (1).

II. **De sensu primitivo vocis sacré in formulis S. n. d. D., et S. D.**

Indubium videtur vocem Sacré antiquitus, sæc. np. 16°, 17° 18°, intellectam fuisse sensu: *saint*. Quod sic *argumento generali* constat:

Fuerunt tunc temporis istæ formulæ, formulæ juratoriæ vel adjuratoriæ, quatenus np. iis Deus invocabatur sive in testem assertionis: Je jure par le S. n. de D. sive in confirmatorem alicujus jussionis aut promissionis: Je vous conjure par le (au) S. n. de D. — Ita autem adhibitæ, non possunt habere nisi sensum *Saint*.....

---

(1) Quæstio autem ulterior moveri posset, utrum tali casu blasphemiam haberes *externam*, vel *internam tantum*. Internam tantum diceres ideo quia hæc expressio multo numerosiores sensus bonos habet ac malos, et in casu adjungitur nomini Dei veneratione digno, adeo ut propter adjuncta, desit significatio externa Deo injuriosa. (Ita MANISE, *Etude de quelques locutions françaises prétendument blasphématoires*, p. 48). — Diceres externam, eo quod talis homo de facto adhibet signum aliquod externum et ordinat ad Deum injuriandum, quæ ordinatio, adstantibus forte non nota, Deo tamen nota est; imo *in se* revera talis sensus pravi capax est. Præplacet omnino hoc alterum. Cfr. supra, p. 70.

Antecedens constat :

1/ ex modo quo solent nostrates adhuc hodie, invita doctrina diuturna opposita, has et similes formulas vocare : *jurements*, *jurons, eeden, jurer*, *zweeren*, etc. — Quod argumentum vide evolutum supra, p. 34 s.

2/ Certum est *multas alias formulas,* adhiberi solitas a nostratibus, et iisdem nominibus hodie designatis, fuisse formulas ita juratorias vel adjuratorias : *Je renie Dieu, Mort Dieu*, *Croix Dieu*, *Par Dieu;* quod in specie certum est de formula *Nom de Dieu*. Hoc apertissime constat ex variis scriptis sæc. 16-17-18, quæ vide apud Manise et Brahm, *opp. citt.* (1). Unde obvium est eamdem originem tribuere et huic formulæ. — Cæteroquin obvium erat « ad majorem juramenti expressionem et significationem, cum sic denotetur divini nominis sanctitas » (2) adjicere huic formulæ vocem *sacré*.

3/ Videtur *positive* constare formulas S. D. et S. n. de D. olim fuisse qua juramenta adhibita. Ita *Revue Théologique,* l. c., ex documento sæc. XVI, refert

---

(1) Sic : *Les Statuts donnés par Jean d'Arkel, Evêque de Liége, au chapitre de la collégiale de Huy en 1365,* publiés par Mgr SCHOOLMEESTERS, Vic. Gén., 1908, p. 31. « Cæterum quia prout sumus veraciter informati, nonnullæ ipsius Ecclesiæ personæ... nomen Altissimi sumentes in vanum in singulis verborum suorum assertionibus, per sanguinem, caput, et alia humanitatis D. N. J. C. membra, etiam de jurejurari prohibita jurare, et frequenter forsan pejerare non verentur..... — Apud *Revue théologique,* a. 1861-62, p. 332 refertur opus gallicum, medii t. XVI, in quo frequentissimæ occurrunt formulæ adjuratoriæ : Au nom de Dieu, au nom de Dious. ..— HENRY, curé de Surice. *Instructions familières,* Namur, 1753, T. III, VI Instr. : Du jurement ou du serment : « Que dirons nous donc de ces jurements aujourd'hui si communs, où l'on prend en vain le Saint Nom du Seigneur dans la moindre colère, et à la première impatience, ou même d'un sens rassis, par une habitude contractée de longue main ? »... — JOLY, Capucin, *Conférences pour servir à l'instruction du peuple,* Paris 1768, Tome 2d, le jurement... « On jure à présent : Au nom de Dieu .. et c'est par son Saint Nom que je vous en assure ». — *Cours de prônes,* Avignon, 1908, t. 2d, XIe Dim. après Pentec. « Ceux là font bien pis, qui jurent par *le Saint Nom de Dieu,* ou leur âme, ou leur damnation, pour assurer un mensonge..... ».

(2) BLIECK, *Expositio theologiæ universæ,* t. 2, n. 76.

ducem quemdam increpare suos « de ce qu'on use ainsi du *Sacré nom de Dieu* en chouse tant orde et abominable ». Increpat proin hanc formulam *juratoriam* nimis frequenter et sine causa sufficiente adhiberi.

Ita a. 1752, PAUWELS, *Tract. theol. de Casibus reservatis...*, ed. 2ª, n. 275, in eadem linea ponit « usitatissima illa vocabula gallica: *Mort Dieu, Sacré Dieu, Je renie Dieu.* Has quidem omnes habet qua horrendas blasphemias (n. 283); juxtappositio autem formulæ *Sacré Dieu,* comme duabus aliis quæ certo constant initio fuisse formulas juratorias, innuit et illam hanc habuisse originem.

Ita P. DENS (1), *Theol. ad usum Seminariorum,* — adhuc in edit. 1829-30, similiter juxtapponit formulas: *Mort-D., Tête-D., Sacré-D., Je renie D.*, etc. imo ipse testatur has formulas continere aliquando *juramentum,* dum ad affirmandum, vel negandum aliquid adducuntur; quia affirmationis relatio fit ad aliquid quod Deo attribuunt: ita ut taliter falsum jurans, perjurium committat ». Addit eas continere « semper *blasphemiam* horrendam, quia contumeliose attribuitur Deo aliquid quod ipsi non convenit »; et formulam S. D., interpretatur quasi *per antiphrasim* habeat « hunc sensum obvium: Non sit sanctus Deus » (2).

Similiter in *tractatu de Pœnitentia,* n. 265 ponit hunc modum practicum interrogandi de blasphemiis: « *Pœnitens:* Dixi: Mort-D., et S. D. — *Confessarius:* An ex consuetudine, et quoties? — *Pœn.:* Utrumque ter, non ex consuetudine, sed ex levitate. — *Conf.:* Commisisti sex crimina blasphemiæ? — *Pœn.:* Audivi aliquando dici, quod illa sint enormia *juramenta.* (Et confessarius possibilitatem adhibendi hæc dicta qua

---

(1) Ex inspectis omnibus quæ tradit de re blasphemiæ, apparet citatum auctorem non ita parum conferre debuisse ad exaggerandam nimis malitiam multarum formularum, et falsandas conscientias.

(2) *Tract. de Virtute Religionis,* n. 138.

juramenta admittit; pergit enim): An illa dixisti per modum juramenti ad aliquid affirmandum vel negandum, idque contra comites veritatis et justitiæ? — *Pœn.*: Negative. — *Conf.* An scandalum vel aliud malum secutum est, vel timendum saltem fuit? *Pœn.*: Non ». Ex duabus ultimis interrogationibus patet confessarium admittere possibilitatem per has formulas jurandi, ita ut si debitæ conditiones adsint, non sint *qua juramenta* peccata gravia.

Hæc probant hoc tempore formulam S. D., adhuc usurpatam fuisse qua juramentum. Id cæteroquin modo generali affirmat de *omnibus* formulis consueto auditis: « Observa, quod formulis jurandi quandoque utantur animo blasphemo, et formulis blasphemis animo jurandi (1); et sensum ejus genuinum esse: Sanctus Deus (ita ut tantum per antiphrasim in ea inveniat: *Non* sit sanctus Deus). Quo etiam probatur usum primitivum fuisse juratorium et non blasphematorium: bene enim intelligitur formulam prius *juratoriam*, dein absolute, non ad jurandum, adhibitam, postea habitam fuisse et interpretatam, sicut multis aliis contigit, qua blasphemiam; minime intelligitur contrarium: formulam np. ex origine sua et usu notam ut *blasphemiam* fuisse usurpatam postea qua formulam jurandi.

Ex dictis sequitur has formulas olim blasphematorias non fuisse; et ideo si hodie ut tales habentur, inquirendum esse de motivis ob quæ fuerit hæc mutatio inducta. Unde inquirimus sub

III. **De usu hodierno hujus formulæ, et de motivis in quibus talis æstimatio fundatur.**

Communiter docent *auctores*, ut exposuimus supra, has formulas *de se* non esse blasphematorias, simul testando *populum communiter* easdem sæpe apprehendere ut gravia peccata, et confuso saltem modo ut Deo contumeliosas seu blasphemias. Ratio autem quæ com-

(1) *De Virtute Fidei*, n. 58.

muniter affertur ad legitimandam hanc æstimationem, patet desumi ex eo quod formulæ istæ de se duplicem sensum habeant, unum bonum, alterum malum, et quod hoc sensu malo præsumendum est a populo adhiberi easdem formulas. — Ast statim apparet hac in re, ne a veritate aberretur, esse imprimis *distinguendum* inter illos qui conscii sunt utriusque, et in specie malæ significationis formulæ, et illos quibus omnis talis deest notitia, quique per modum psittaci hujusmodi formulas adhibent (1). Et sic dicendum communiter nostrates formulam forte habere quidem ut blasphemiam, sed rationem non esse quia communiter æstimant *sacré* significare maledictum, et eos de facto nullum sensum, sive bonum sive malum, tribuere eidem voci et consequenter toti formulæ.

Qua in re juvabit compendiose exhibere quæ circa æstimationem et usum communem harum formularum apud nos, in diœcesi brugensi, responderunt varii circuli conferentiarum :

1/ *Nullus* sacerdos testatur populum communiter S. intelligere in sensum = maledictum ; *duo tantum* circuli tradunt rationem acceptionis malæ harum formularum, esse quia malum sensum dant voci, vel quia male sonans habetur ; *duo* « quia adest vox sacré » sed quin intelligant sensum determinatum, et quia sic audierunt. In regione wallonica nim. influxum majorem habuerit prædicatio communis. — Omnes autem alii testantur populum communiter *nescire cur* sint blasphemiæ, ita ut verum motivum ipsis fuerit : quia sic semper audierunt ; quia formula longior, quia pessime sonans, etc. Imo unus circulus testatur rationem *non* esse vocem sacré et alius, e regione wallonica, mirari fideles ubi audiunt sacré significare execrabile.

2/ Quod *in specie* spectat *S. D.*, tres circuli et ex alio quodam circulo unus collator, et tres circuli e regione

(1) *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 234.

wallonica testantur eam formulam ubi incorrupta adhibetur communiter qua gravem haberi; omnes alii etiam inter wallones contrarium testantur, pro quanto formula est in usu: eam np. haberi ut peccatum levius.

3/ Quod vero spectat *S. n. de D.*, omnes circuli, tribus exceptis, testantur eam æstimari qua gravem blasphemiam, vel saltem qua graviter peccaminosam; in multis tamen locis testantur hanc formulam parum esse *notam,* adeo ut ibi deesse dicenda sit æstimatio communis.

Hæc omnia cæteroquin — iterum distinguendo inter communem populum minime intelligentem quid sibi velle possit vox *sacré,* et nonnullos alios magis forte edoctos, — constant unicuique vel parum reflectenti. Theologi sane possunt invenire sensum ambiguum, vel sensum blasphemum in variis formulis; sed *populus* ipse, sub voce de cætero passim corrupta in *sakker,* non capit sensum determinatum, sed unice modum loquendi magis sonantem et acutum: non quærunt *sensum*, sed quærunt *sonum:* cogita varias formulas ab ipsis adhibitas, in quibus nullus sensus, in quibus miscentur corrupta cum aliis, gallica flandricis, etc.

Possunt hæc denique *confirmari* sequentibus:

1/ In pluribus locis communiter habuerunt homines N. de D. tanquam grave peccatum, perinde ac S. n. de D. (1); et adhuc hodie cuique confessario occurrunt quotidie qui vix discrimen constituunt malitiæ. Talibus sane deest omnis notio sensus pravi vocis *sacré*, quum sic discrimen fieret immensum.

2/ Ut constat abunde ex responsis conferentiarum apud nos — et alibi idem putamus sæpe accidere, — plerique *S. n. de D.* habent pro *gravi; S. D.* pro *levi.* Quod probat ipsos minime capere sensum vocis *sacré*, quum æque horribilis esset formula in utroque dicto,

(1) Sic testantur *Collat. Namurc.*, pro illa diœcesi, ante annos 20; item *Revue Théologique,* a. 1858.

imo in breviori dicto magis directe ipse Deus maledicto afficitur. Hinc apparet genuinam rationem cur populus sic apprehendat, esse quia S. n. de D. est formula longior, magis sonans, dum altera brevior et quasi sono mitigata (1).

Nota: Expresse distinximus inter eos qui *conscii* sunt sensus pravi vocis et alios ejusdem inconscii: « Qui enim altera (mala) significatione vocis *sacré* uti vult, evidenter blasphemat. Ad quod profecto requiritur, non quidem ut *intendat* blasphemare, sed ut saltem conscius sit significationis despectus, hancque usurpare velit » (2). Quo circa diligenter nota nunc dicenda (3).

---

(1) Bene notavit aliquis circulus causam hujus discriminis forte in eo esse quod confessarii, ne bonam fidem deturbarent, silentio præterierunt formulam breviorem, et invexerunt in longiorem.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 233.

(3) Hæc est fere doctrina quam docet Eximius D. Dignant, in Universitate Lovaniensi, quam sic breviter contraxit, et communicari voluit apud Ed. Brahm, *De Formula S. N. de D.*, ed. altera, p. 62 s.: « Quæstio manifeste pendet a sensu vocis *sacré*. Si sumitur sensus, gallice usitatissimus, *sanctum*, *sacratum*, locutio ex se non est blasphematoria, sicut nec locutio *Nom. de D.* Si vero sumitur sensus, in populari sermone gallico (sicut pluribus aliis hujusmodi dictis: Mort. D., Sang D. etc.) usos esse per modum juramenti aut adjurationis. Quo admisso, certocertius primitivus sensus vocis in hac locutione fuit *sanctum*, non vero *maledictum*. Probent igitur qui nobis ex adverso stant, sensum genuinum vocis, eadem manente locutione, decursu temporis mutatum esse in sensum prorsus oppositum.

Non diffiteor multos confessarios ac concionatores pessimum vocis sensum prætulisse, et fidelibus, horroris incutiendi causa, inculcasse: at nihilominus contendo, quod cuique confessario experiri licebit, hanc pessimam in hoc dicto acceptionem vocis non vigere communiter apud nostrates. Communi quidem æstimatione nostrates apprehendunt hoc dictum ut graviter malum et, confuse saltem, ut contumeliosum Deo: at nullatenus ideo quod communiter æstimant *sacré* significari *maledictum*. Contra satis communiter nullum determinatum sensum tribuunt huic voci ac tali locutioni: hanc graviter malam putant quia plena est ac pessime sonans, quia horrorem apud audientes excitat, præsertim quia a parentibus, catechistis, confessariis ita traditur. Et revera multi sunt pœnitentes qui quidem dictum *S. n. d. D.* pro gravi habent at non dictum *S. D.*; quia nempe brevius est et quasi decurtatum. Quod sane indicat ipsos non affingere voci *Sacré* determinatam significationem.... ».

Conclusiones practicæ :

1. Ne unquam, sive confessarii, sive catechistæ sive concionatores, populo proponamus aut vel insinuemus vocem sacré *pessimam significationem* habere. Hic sensus enim formulæ in se inspectæ, ad minus non est unicus possibilis (cfr. I); non fuit sensus primitivus (cfr. II); nec est sensus communis hodiernus (cfr. III). Patet enim nostrum non esse populum docere modum pessime blasphemandi! Ad hoc tenemur ex religione erga Deum et Caritate erga proximum.

Quod si *certo* apparet aliquem pœnitentem v. g. hunc sensum pravum capere et intendere, evidenter nunquam poterimus talem a gravissima blasphemia excusare; sed semper tamen poterimus ipsi proponere ut æque saltem congruum sensum cujus formula est capax.

2. *Genuinus sensus* vocis *Sacré* variis occasionibus discrete et prudenter proponatur : Ita in *instructionibus,* præsertim ad certam classem personarum puta evolvendo rectam notionem blasphemiæ, ostendendo ergo multos errare in dijudicandis variis dictis, et confusionem facere cum formulis multum sonantibus, et qua applicationem adducendo multos sic erronee putare se blasphemare dum *gallice* clamant: N. de D., imo dum clamant: *Sacré*, id est *Saint N. de D.;* — non immerito, puto, in regione wallonica interdum in concionibus et instructionibus adhiberenter varia dicta, in quibus eadem vox occurrit, et diceretur de: *le sacré, le très Saint Cœur de J., le sacré, le trois fois saint Nom de Dieu; le Nom de Dieu sacré et béni; le festin sacré*, o sacrum convivium; ut sic forte plures ex audientibus perculsi hoc verbo, cogantur vel ipsi mirari se habere S. n. de D., ut necessario blasphemiam. — Præsertim in *confessionali* singulis — feliciter pro praxi apud nos raris — hoc confitentibus et qua gravia peccata habentibus, proponatur sensus et flandrice vertatur: le saint N. de D., de heilige naam van God; adeo ut *de se* non sit blasphemia, sed tantum irreverentia leviter mala, sicut simile dictum: Nom de D.

3. *Formulæ* de quibus agitur, poterunt esse blasphematoriæ:

a/ ubi quis usurpare vult sensum pravum vocis *sacré;*

b/ iis in locis ubi *certo* viget æstimatio vere communis (1);

c/ ubi quis eas usurpat in ira vel contemptu *in Deum.*

d/ ex conscientia erronea, ut quævis formulæ. — Hinc:

4. Suppono pœnitentem se accusantem de his formulis: confessarius, juvante præsertim praxi, sæpius licite præsumet ipsum *S. D.* non habere ut gravem blasphemiam, adeoque non ulterius insistet; sæpius contra præsumet ipsum *S. n. d. D.* habere ut talem.

Ubi fundate timet pœnitentem formulam accusatam habere ut blasphemiam, prius interrogabit (2): « An putabas has esse graves blasphemias? » Respondentem *affirmative*, ulterius interroget: « Cur? »

Responsum erit a/ *ordinarie:* « Nescio! vel: Sic semper audivi! vel: Nonne forte ita est? » Quo casu sic ipsum moneat: Hæc formula significat, (vel) potest optime intelligi: Heilige God, vel Heilige Naam Gods. Unde non est blasphemia ». *Attamen* in locis ubi viget certo æstimatio communis de indole blasphema, sic *addet:* « Dantur in nostra regione multi qui putant esse blasphemiam; ideo debes sedulo cavere ab ea usurpanda, perinde ac si esset blasphemia; et vide quantum scandalum dare possis! »

b/ *interdum:* « Quia dixi: *Sacré* ». Quo casu rogabit prudenter ne sensum malum ipse doceat: « An ideo est blasphemia? Hæc vox sacré potest optime intelligi: Saint, heilig ». Si pœnitens conscius est *pravi* sensus respondebit ipse: « Sed etiam significat: *maudit* », quo

---

(1) Talis æstimatio non existit ubi formulæ non sicut *notæ* nisi a paucis.

(2) Ut cognoscat culpas subjectivas de facto admissas; et in ordine ad ulteriorem instructionem.

casu dicat confessarius: « Sane, si *sic* usurpare vis, certissime blasphemas; sed, ut dixi tibi: Hæc vox habet etiam et magis obvie sensum bonum, ut in *Sacré Cœur de Jesus*. Cave ergo ne usurpes talia dicta, et præsertim ne sensu illo tam pravo » (1).

c/ Si est vir quidam moribus pessimus, frequentans acatholicorum conventus, diaria legens, etc. accusantem se de his — vel aliis formulis quibusvis, tanquam de peccatis gravibus, interrogaret confessarius: « Num forte hæc dicis in ira contra Deum? contra sacerdotes? contra religionem? etc. ».

Monitum practicum. Supervacaneum est notare iterum hos et similes errores nostratum esse *radicitus* corrigendos, inculcando rectam *notionem* blasphemiæ, qua revocentur ad Catechismum, et audiendo de blasphemia, non illico et exclusive cogitent de formulis sonantibus, sed de variis assertis diariorum, librorum pravorum, acatholicorum in suis conventibus, etc.

A. Vander Heeren.

---

(1) Si in loco non viget æstimatio communis, dicerem: Si intelligeres, *Saint*, non blasphemares; si in loco viget æstimatio communis de indole blasphema, monerem ut supra a/.

De Reformatione Curiæ Romanæ.

Fontes. Constitutio *Sapienti consilio* 29 Junii 1908, ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 481-495; hanc constitutionem complent: 1° Lex propria Sacræ Rotæ Romanæ et Signaturæ Apostolicæ ejusdem datæ; 2° Ordo servandus in sacris Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanæ Curiæ 29 sept. 1908, qui complectitur *Normas communes* omnibus dicasteriis (quas designamus litteris NC.) et *Normas Peculiares* singulis eorum (indicantur litteris NP.) Hæc omnia documenta colliguntur in 1° fasciculo Commentarii Officialis Sanctæ Sedis, cui titulus *Acta Apostolicæ Sedis* (exhibentur litteris AAS.), t. I, 1909, p. 7-109. Exinde jam plures datæ sunt a S. Congreg. Consistoriali solutiones dubiorum de competentia, quæ infrà suo loco indicabuntur.

Auctores. F. Russo, *La Curia Romana nella sua organizzazione e nel suo completo funzionamento a datare del 3 novembre 1908*, Palermo, 1908, 2 ediz., 438 p. F. 5 (opus nec materia nec methodo tractationis commendandum); Leitner, *De Curia Romana. Textum documentorum.... præbet et notis illustrat*, Regensburg, Pustet, 1909, III-68 p. M. 0,80; Hilling, *Die Reformen des Papstes Pius X auf dem Gebiete der Kirchenrechtlichen Gesetzgebung*, Bonn, Hanstein, 1909, X-188 p. M. 2; Parayre, *La nouvelle organisation du gouvernement central de l'Église*, Lyon, Vitte, 1909, 104 p. — Inter periodicorum dissertationes hac de re in lucem editas specialem mentionem merentur; L. Choupin, *La Constitution « Sapienti Consilio » de Pie X et la réorganisation de la Curie Romaine* in *Les Études*, 1908, t. 117, p. 308-321; 642-659; Besson, *La réorganisation de la Curie Romaine* in *Nouvelle revue théologique*, 1908, t. XL, p. 713-724; 1909, t. XLI, p. 5-23, 80 ss., 216-223 (sequetur); Leclerc, *La réorganisation de la Curie Romaine* in *Collationes Namurcenses*, 1908-1909, t. VIII, p. 262-273 (sequetur); Fourneret, *La réforme de la Curie Romaine* in *Le canoniste contemporain*, 1908, t. XXXI, p. 577-587; 1909, t. XXXII, p. 16-27 (sequetur); Simier, *La réorganisation de la Curie Romaine* in *Revue Augustinienne*, 1908, t. XIII, p. 401-461; 558-610; Hilling, *Die Neuorganization der römische Kurie* in *Theologie und Glaube*, 1909, t. I, p. 32-50, etc.

Curia Romana, quam Constitutione *Sapienti consilio* reformandam intendit Pius X, est tota illa dicasteriorum (1) collectio quibus, unà cum Consistorio, utitur Romanus Pontifex in regenda Ecclesia universali, ad

(1) Si vocis etymon spectetur vox idem sonat ac *tribunalia;* usu est vox generalis quæ Congregationibus, Tribunalibus et Officiis applicatur. Hoc sensu generali ad facilitatem usurpatur. Vox *Officium* sensum generalem quoque habet.

expedienda negotia quæ referuntur ad doctrinam, mores, liturgiam, disciplinam judicialem et extrajudicialem. Ab hac excluduntur qui partes habent in administratione diœcesis romanæ, iique officiales qui sunt de Senatu et Familia Romani Pontificis, ejusque servitio et personæ addicti (les dignitaires de la Cour Romaine).

Hæc reformatio Curiæ Romanæ diu jam expostulata, notatim in Concilio Vaticano ab Episcopis Galliæ, Germaniæ et Belgii (1), pluribus jam actibus Pii X præoccupata fuit (2).

Suscepto præsertim a Sanctissimo Patre opere de legibus ecclesiasticis in unum colligendis (3), maxime opportunum visum est initium ducere a Curia Romana, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici, Ecclesiæque operam præstare facilius valeat (4).

Nobis mens non est omnibus ex partibus explanare hanc regiminis ecclesiastici modificationem. Sufficiat in genere expendere quæ in jure mutata sunt, attento præprimis momento practico, ad notas vero remissis fontibus et auctoritatibus.

Post quædam generalia de nova institutione Curiæ Romanæ, triplex sequetur sectio: 1° de Congregationibus; 2° de Tribunalibus; 3° de Officiis.

---

(1) Hilling, ap. *Theologie und Glaube, l. c.*, p. 35; Hugo Laemmer, *Zur Codification des canonischen Rechts*, p. 121-123; Freiburg-i-B., 1899.

(2) Motu proprio 17 dec. 1903 de electione episcoporum ad Supremam S. Cong. S. Officii avocanda ap. *Il Monitore ecclesiastico*, 1903-1904, t. XV, p. 499-502; Motu proprio 28 Jan. 1904, quo S. Cong. Indulgentiis et SS. Reliquiis præposita cum S. Cong. Rituum perpetuo conjungitur, *ibid.*, 1904-1905, t. XVI, p. 13-15; Motu proprio 26 Maii 1906 quo supprimitur Cong. super disciplina regulari et de statu regularium ordinum, *ibid.*, 1906-1907, t. XVIII, p. 209-210.

(3) V. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 335 ss.; 452 ss.

(4) Const. *Sapienti Consilio*, in introd.

I

De Curia Romana in genere.

I. Rationes et indoles Reformationis.

Rationes cur maxime utile imo et necessarium visum fuerit hanc aggredi juris reformationem, ab ipso SS^mo^ D^no^ Nostro in præfatione citatæ Constitutionis expressæ inveniuntur.

Ex mutationibus quas decursu sæculorum, tum ad numerum dicasteriorum (1), tum ad eorum jurisdictionem, subiit ordinatio Curiæ Romanæ a Xysti V Const. *Immensa* potissimum constituta (2), varia succreverunt incommoda.

1° Singulorum dicasteriorum competentia non omnino perspicua nec bene divisa evasit (3); plura eadem de re jus dicere valebant (4); nonnulla ad pauca tantum negotia expendenda redacta sunt; alia autem negotiis obruebantur.

2° Divisio inter potestatem judicialem et potestatem administrativam pessumdata est. Tribunalia ex una parte quieverunt; ex altera parte causas jurisdictionis judicialis et extrajudicialis pertractabat una eademque Congregatio.

3° Sub ratione auctoritatis, modi procedendi, unifor-

---

(1) Hilling, *l. c.*, p. 34 s.

(2) Quoad historiam et antiqui juris institutionem Curiæ Romanæ, cf. Bangen, *Die römische Curie,* Münster, 1854; Grimaldi, *Les Congrégations romaines. Guide historique et pratique* (in Indicem relatus). Sienne, 1890; Hilling, *Die römische Kurie,* Paderborn, 1906; Wernz, *Jus Decretalium,* T. II. *Jus Constitutionis,* n° 619 ss., p. 700-790, Romæ, 1899; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7 (1903), p. 196-229, n° 196, ad quam tractationem recurratur ad ea cognoscenda quæ jure anteriori statuta sunt. Optimam invenies bibliographiam ap. Saegmüller, *Lehrbuch des hanonischen Rechtes,* § 89, p. 325, cujus 2ª editio hoc anno prodiit apud Herder, Friburgi-i-B.

(3) v. gr. competentia Congregationum Concilii et Episcoporum et Regularium.

(4) v. gr. in re matrimoniali sex dicasteria jus dicebant.

mitas deerat inter varia Dicasteria, maxime inter Congregationes.

Quapropter, ut his incommodis obveniret Pontifex, sapientissime inhærens vestigiis Decessorum suorum, maxime Xysti V (1), simulque Curiam Romanam accommodans nostri temporis exigentiis et institutis (2), uniuscujusque dicasterii competentiam ratione materiæ et territorii ad unguem determinavit, abolita prorsus cumulativa jurisdictione; potestatem administrativam a potestate judiciali separavit; eodemque gradu auctoritatis, qua Romani Pontificis auxiliares, pollere voluit omnes Congregationes (3), eadem procedendi ratione uti.

Inde si quæras *de abolitione antiquioris juris*, respondendum est cum ipsa Const. « Sapienti »: « Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quæ diximus, posthac Romanam Curiam constituent, *servata eorum quæ ante Nostras litteras exstabant, propria constitutione,* nisi immutata fuerint secundum superius præscripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quæ Constitutioni huic adjiciuntur » (4).

Hinc, juxta acta Pii X, quæ a die 3 novembris 1908 plenum vigorem obtinuerunt, reformata Curia Romana constat collegio majori Cardinalium seu Consistorio quod remanet in eodem statu ac antea (5), 11 Congregationibus principalibus, 3 Tribunalibus et 5 Officiis. Congregationibus, in genere (6) committuntur quæ sunt

---

(1) Mens erat Xysti V Const. *Immensa* 22 Jan. 1587 (1588), nova instituere organa administrationis ecclesiasticæ, juxta ea, notatim Tribunalia, quæ jam exstabant. Cf. Fourneret, in *Le Canoniste contemporain*, 1908, p. 578 s., 584 ss.

(2) Ita: la distinction des pouvoirs administratif et judiciaire; l'organisation judiciaire en tribunaux de 1re instance, d'appel et de cassation etc. Cf. Van Messem, dans la *Vie diocésaine,* 1908, t. II. p. 456 s.

(3) Inde est quod quæstio de valore decretorum disciplinarium æquo jure ad omnes Congregationes extenditur.

(4) In fine præfatæ Const. ap. *Collat. Brug.*, p. 493.

(5) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 212, p. 203; Wernz, *o. c.*, nº 646 ss., p. 728 ss.

(6) Exceptis Sto Officio quod verum permanet tribunal in materia

jurisdictionis extrajudicialis, Tribunalibus vero quæ ad ordinem judicialem spectant; Officia demum præcipue præparationi, redactioni et expeditioni actuum Pontificalium vacant.

II. Competentia seu Jurisdictio.

A. Primùm bene perspecta sit distinctio inter jurisdictionem extrajudicialem, qualis Congregationibus reservatur (1) et jurisdictionem judicialem quæ Tribunalibus competit (2).

Jurisdictio extrajudicialis versatur circa ea de quibus superior, pro prudenti suo arbitrio, ex æquo et bono et sine forma judicii, disponit, quin ab ejus administratione detur appellatio. Hujusmodi est jurisdictio *gratiosa et dispensativa*, qua favores et dispensationes conceduntur, jurisdictio *interpretativa et exsecutiva*, qua legis interpretatio et exsecutio procurantur, *jurisdictio oeconomica et correctiva*, qua disciplinæ ecclesiasticæ providetur et subditi per modum paternæ correctionis emendantur. Hac potestate extrajudiciali dirimi possunt controversiæ inter partes, *in linea disciplinari* seu tramite administrationis et disciplinæ, non observatis formis judiciorum nec ad apicem juris, sed ex motivis æquitatis, pro majori utilitate Ecclesiæ, disciplinæ, partium, etiam amicabili compositione, per arbitrium et transactionem.

Hujus generis est competentia Congregationibus propria, quæ tamen non adeo extenditur ut potestatem *ferendi legem* comprehendat (3).

---

hæresis et Congr. Consistoriali, quæ in Tribunal rescissionis *(cassation)* erigitur.

(1) Ad officia competit quædam jurisdictio gratiosa et dispensativa.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 87, p. 99; nº 211, p. 203; Laurentius, *Institutiones juris ecclesiastici*, ed. 2, nº 215 et 318, Friburgi-i-B., 1908; Choupin, *l. c.*, p. 313 ss.; Besson, *l. c.*, p. 714 ss.; Vermeersch, *Periodica de religiosis*, t. IV, p. 260 etc.

(3) Wernz, *o. c.*, nº 661, p. 754; Vermeersch, *o. c.*, p. 254; coll. Besson, *l. c.*, p. 721 ss..

Ideo a solis Congregationibus recipi possunt recursus a sententiis Episcopalibus extrajudicialibus et quidem sub sanctione nullitatis si hac in causa sententia a S. Rota Romana proferatur (1), imo et a sententiis Episcoporum judicialibus, si partes, voluntario convento rem dirimere volunt (2).

Jurisdictio vero judicialis seu contentiosa versatur circa ea quæ in controversiam veniunt inter partes, sive pro re civili, sive pro re criminali, ac judicari debent juxta jus strictum, servatis adamussim formalitatibus judicii. Ad hanc potestatem referuntur, vel saltem referri possunt causæ matrimoniales, causæ beneficiales, causæ criminales excedentes limites paternæ correctionis et œconomicæ administrationis.

B. Jurisdictio dicasteriorum est *ordinaria* (3). Vario modo tamen a variis dicasteriis exercetur. *Congregationes* procedunt auctoritate et nomine Romani Pontificis, ita ut suprema quadam gaudeant auctoritate et decisiones earum valeant ut decisiones papales, a quibus non datur appellatio, nec recursus, sed tantum beneficium novæ instantiæ; dum ex alia parte, recursus a sententia cujusvis curiæ ecclesiasticæ ad Congregationes semper fieri potest. *Tribunalia* externi fori hanc jurisdictionem exercent propria auctoritate, ita ut a sententiis eorum detur vera appellatio.

Inde statuitur in Const. *Sapienti* (4) quod sententiæ quævis sive gratiæ sive justitiæ indigeant pontificia approbatione saltem *in forma communi* (5), exceptis semper sententiis S. Rotæ Romanæ et Signaturæ Apostolicæ de ipsarum competentia ordinaria latis, et exceptis iis, pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium

---

(1) *Lex propria S. Rotæ Romanæ* etc., tit. I, cap. II, can. 16 et 17.

(2) Choupin, *l. c.*, p. 314.

(3) Wernz, *o. c.*, p. 735, nº 654.

(4) In fine Constit. ap. *Collat. Brug.*, *l. c.*, p. 494.

(5) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 305, p. 256; Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège*, p. 44 ss., Paris, 1907.

et Congregationum moderatoribus ordinariæ facultates tributæ sint, pro concedendis gratiis et expediendis negotiis non reportata approbatione Pontificis.

Quæ jurisdictio ordinaria non obstat quominus in dicasteriis nil grave aut extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus, plerumque a Secretario eorumdem, Romano Pontifici fuerit *ante* significatum (1).

Præter ordinarias facultates, quas, consulto vel inconsulto Pontifice, exercent Dicasteria, *potestatem delegatam* recipere possunt, qua expedire valent negotium quod ipsis non incumbit. Hac delegata potestate plurimùm agent, quando decreto accessit auctoritas Romani Pontificis per verba *Facto verbo cum Sanctissimo*. Etenim hæc clausula præsertim additur, si Congregatio videatur incompetens, vel si juris mutatio aut extensiva interpretatio requiratur (2).

C. Secundum præscripta C. *Sapienti*, Dicasteriorum competentia partim territorium, partim materiam afficit (3).

1° *Quoad materiam*. Competentia pro unoquoque dicasterio perspicue determinatur, abrogata omni jurisdictione cumulativa. Tamen remanet antiqua lex qua, delato et excepto ab aliquo dicasterio supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam, sive ad justitiam pertinente, nemini sub pœna nullitatis concessionis licet, in casu dubii aut erroris circa competentiam vel ulla de causa, aliud dicasterium ad eumdem finem propria auctoritate adire, sed opus est consensu ipsius dicasterii quocum agi cœptum est aut Congregationis

---

(1) Constit. *Sapienti*, l. c., ap. *Collat. Brug.*, *l. c.*, p. 493, coll. NP. cap. V, *de relationibus summo Pontifici faciendis*.

(2) Wernz, *o. c.*, n° 654, p. 735; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 223, p. 211; *Archiv fur katholisches Kirchenrecht*, 1908, t. 88, p. 184; Choupin, *o. c.*, p. 46; ejusdem auctoris articulus in *les Études*, *l. c.*, p. 315, nota 1ª. Cf. etiam votum erud^mi Pii a Langonio in causa *Wratislav.* 20 Mai 1905, ap. *Analecta Ecclesiastica*, 1905, t. XIII, p. 383, n° 25.

(3) NP. cap. I, n° 1 et 2 et cap. VII, *de singulis Congregationibus*.

consistorialis (1) decreto, quo venia detur transmittendi negotium.

2° *Quoad territorium.*

S. Officium, Congregatio Indicis, Sacrorum Rituum, Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Congregatio cæremonialis, Tribunalia tum interni, tum externi fori, et Officia habent jurisdictionem in universa Ecclesia.

Congregationi de disciplina Sacramentorum hæc eadem jurisdictio competit in re Matrimoniali, incolumi tamen potestate S. Officii et Congregationis pro negotiis Rituum Orientalium (2). Circa cetera Sacramenta competentiam habet restrictam regionibus juri communi subjectis, exclusis igitur territoriis Congregationi de propaganda Fide submissis. Quod attinet ad Congregationem negotiis religiosorum sodalium præposita, eadem gaudet auctoritate universali in omnibus iis quæ spectant ad vitam religiosam; quoad vero ministerium animarum est competens relate ad Religiosos in regionibus Congregationi de propaganda Fide non subditis commorantes.

Congregationum Consistorialis, Concilii, Studiorum competentia restringitur territoriis juris communis (3).

Congregationis de propaganda Fide iis circumscripta est regionibus ubi sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat (4).

III. De modo adeundi Dicasteria, cum iisque agendi generatim loquuntur Normæ communes,

---

(1) Congregatio consistorialis judicat de conflictibus competentiæ inter varia dicasteria, cf. C. *Sapienti*, tit. I, cap. II, art. 4°; NP. cap. I, n° 2° et 3°; *Causa Romana* 28 jan. 1909, de remissione causarum a Sacris Congregationibus ad S. Rotam ap. ASS. t. I, p. 211 ss.; coll. etiam NP. cap. VII, art. 2, n° 6, servatis juribus S. Officii, quod per se de sua competentia judicat, NP. cap. VII, art. 1°, n° 6 et art. 2, n° 6.

(2) Cf. postea de Congregatione S. Officii in specie et *Causa Romana* citata ad VI.

(3) NP. cap. 1°, n° 1; Besson in *Nouv. rev. théol.*, 1909, p. 5.

(4) Cf. infra de Congr. de propaganda Fide.

cap. X, tum pro privatis, tum pro Episcopis. Hic sufficiat notare cuique fideli patere aditum ad Sanctæ Sedis dicasteria, servata rite forma quæ deceat, et facultatem esse cum iisdem de suis negotiis agendi sive per se, sive operà alicujus advocati aut procuratoris. Advocati seu defensores eligantur inter approbatos juxta cap. VII *Normarum communium* et *Legem propriam S. Rotæ* tit. III, can. 44 ss. Procuratores privati et procuratores publici seu agentes constituuntur, servatis servandis (1), a privatis aut ab Episcopis, ut horum in Curia occupentur negotiis et administri sint transmissionis.

IV. De Taxationibus (2).

1° In omni rescripto, indulto, dispensatione a suo dicasterio indicabitur non modo taxatio Sanctæ Sedi solvenda et renumeratio agenti debita sed etiam pecuniæ summa, cujus repetendæ jus habet diœcesana Curia pro exsecutione rescriptorum.

2° Taxatio S. Sedi et agenti debita, pauperibus, sive cives privati sint, sive instituta piæve causæ, si petita gratia moraliter necessaria sit et non lucrosa oratori (3), ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris manentibus impensis postalibus, exscriptionis etc.

3° Ordinarii, secreto facta informatione apud parochos, significabunt in singulis casibus, agaturne de paupere aut de quasi paupere (4), ideoque an competat ipsis jus ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata tum Episcopi tum parochi conscien-

---

(1) NC. cap. X, sectio 1 et 2; coll. cap. IX, sectio 1, *de procuratoribus particularibus et privatis* et sectio 2, *de procuratoribus publicis ac legitimis*, cf. S. C. Consistorialis litteræ ad Ordinarios, circa transmissionem scriptorum ad Sanctam Sedem, 25 Nov. 1908 ap. AAS. t. I, p. 211.

(2) NC. cap. XI.

(3) Ex. gr. dispensationes matrimoniales.

(4) Cf. Wernz, *Jus Matrimoniale*, n° 634, p. 918 ss., nota 166, Romæ, 1904; De Becker, *De Sponsalibus et Matrimonio*, p. 316 s.; 2 ed. p. 332 ss., Lovanii, 1903.

tia super expositorum veritate, cum obligatione restituendi quidquid injuria sublatum est. Si qui, iniqua voluntate, renuant satisfacere taxationem ad aliquam consequendam dispensationem præscriptam, cujus tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et scandala vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Iidem, impetratæ gratiæ notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri licebit) ex justitia aliquid Sanctæ Sedi deberi. Utcumque gratiæ *validitati* nihil unquam officiet error aut fraus circa œconomicam petentis conditionem.

4° Dispositione *pro nunc* vigenti:

a/ Pro dispensationibus Matrimonii vigere quoque pergent in præsens taxationes quæ solito solvuntur penes Datariam Apostolicam et S. Pœnitentiariam (1). In causis vero matrimonialibus dispensationis super *rato* et in aliis quæ a S. C. de Sacramentis judicantur standum normis a S. Congregatione Concilii hucusque servatis (2).

b/ Pro ceteris gratiarum, indultorum, dispensationum rescriptis, in Dicasteriis omnibus, taxatio Sanctæ Sedi solvenda erit libellarum decem, si de majoribus rescriptis agitur; si de minoribus, libellarum quinque. Agenti renumeratio debita erit libellarum sex pro rescriptis majoribus, pro minoribus trium (3).

II

De Dicasteriis in specie.

§ 1. De Congregationibus.

A. Quædam Generalia.

1° *Numerus et Divisio.*

Congregationes constituuntur ad exercendam admi-

---

(1) Wernz, *l. c.*

(2) Wernz, *o. c.*, n^b 749, p. 1110 s.

(3) Rescriptum minus est ex. gr. facultas legendi libros prohibitos; rescriptum majus, facultas oratorii privati, etc.

nistrativam potestatem in Ecclesia. Has enumerat C. *Sapienti* determinando competentiam (1) ac ordinem dignitatis seu præcedentiæ earum juxta ordinem enumerationis (2). Inter quas sunt undecim proprie dictæ Congregationes, independentes, principales et generales; aliæ vero, quæ vocantur commissiones seu cœtus, sunt secundariæ et speciales. Ex his, pleræque adnectuntur et subordinantur Congregationi principali uti ex. gr. Cœtus liturgicus, Cœtus historico-liturgicus et Cœtus pro sacro concentu S. Congregationi Rituum. Quædam vero sunt indepententes, uti Cœtus pro re biblica (3) et Fabrica S^ti^ Petri (4).

Suppressit Pius X varias Congregationes et unam novam creavit principalem, Congregationem de Sacramentis et unam subsidiariam ad causas minoris momenti Servorum Dei pertractandas (5).

2° *Compositio et distributio munerum* (6).

Constat singula Congregatio certo numero Cardinalium qui a Summo Pontifice libere designantur, habetque Præfectum Cardinalem, exceptis Congregationibus Consistoriali et S. Officii, quibus præest ipse Romanus Pontifex. Præcipuas vero partes activas explet Prælatus

---

(1) Consulendæ etiam sunt NP. cap. VII, *de singulis sacris Congregationibus.*

(2) In fine Introductionis, cf. Besson, *l. c.*, p. 8; Vermeersch, *Periodica*, t. IV, p. 255. Idem valet pro Tribunalibus, sed ordine inverso, et pro Officiis.

(3) Organum officiale hujus cœtus est Commentarium Officiale Sanctæ Sedis cui titulus Acta Sedis Apostolicæ. Decretum 15 feb. 1909, ap. AAS. t. I, p. 241.

(4) Enumerantur in fine Constit. *Sapienti.*

(5) Decretum C. Sacr. Rit. 9 dec. 1908, ap. *Collat. Brug.* 1909, t. XIV, p. 165; AAS. t. I, p. 160.

(6) Cf. NC. cap. I, *de ordine ac directione generatim;* cap. II, *de provisione officiorum;* cap. VIII, *de ministris expeditionum* et NP. cap. II, *de iis quæ plenæ congregationi reservantur et congressui tribuuntur;* cap. VI, *de munere variorum administrorum communiter,* et cap. VII, *de singulis variis Congregationibus,* ubi variorum administrorum munera pressius determinantur. Cf. Choupin, in *les Études, l. c.*, p. 311; Fourneret, in le *Canoniste contemp.* 1909, p. 16 ss.

a Secretis seu Secretarius (1), caput administrorum majorum et minorum. Ipsius est, inter alias res, providere ut negotia qua par est celeritate ac diligentia expediantur, deferre ad Cardinalem Præfectum causas majoris momenti, curare redactionem epistolarum et rescriptorum, committere consultoribus causas studendas, videre ut debita forma omnia peragantur, referre ad Sanctissimum quæ a Congregatione Patrum statuta sunt, quamvis ipse in hoc cœtu votum decisivum non habeat (2).

Negotia minoris momenti omnino clara et ordinaria, juxta facultates Moderatoribus Congregationum commissas expediuntur ab administris secretariæ per rescriptum, quod valorem authenticum obtinet subscriptione Cardinalis Præfecti aut Secretarii et appositione sigilli Congregationis *(formiter)* (3).

Præfectus cum Prælato a Secretis et administris majoribus (4) a Romano Pontifice libere electis constituunt *Congressum* (5), ad quem spectat videre de natura quæstionis num tractanda sit in linea disciplinari aut tramite judicii (6); minora negotia alicujus tamen mo-

---

(1) Est Cardinalis in his Congregationibus, quibus præest Romanus Pontifex; tunc prælatus adsessor ei adjungitur qui revera fungitur munere Secretarii; cf. FOURNERET, *l. c.*, p. 16 s., 21 s. ubi Secretarium optime appellat: la cheville ouvrière de la Congrégation.

(2) NP. cap. VI, nº 1.

(3) CHOUPIN, *l. c.*, p. 315. Est tamen actus Congregationis, qui hujus auctoritati adscribitur.

(4) Quinam sint in singulis Congregationibus, indicatur in NP. cap. VII ubi sermo est *de singulis variis Congregationibus;* ex. gr. nº 1º pro S. Officio administri majores post Cardinalem a Secretis sunt Adsessor et Commissarius.

(5) C'est une Commission consultative et exécutive, qui remplit vis-à-vis de la Congrégation les fonctions que remplit par ex. la Députation permanente, vis-à-vis du Conseil provincial. Convenit Congressus semel aut bis in hebdomada.

(6) NP. cap. I, nº 3. Si judicio Congressus, res sit tramite administrationis et disciplinæ tractanda, quæstio reservatur sacræ Congregationi cui competit; si ordine judiciali, quæstio ad proprios judices ac sua tribunalia deferatur, v. gr. ad ordinarios, si quæstio in prima instantia examini subjiciatur.

menti juxta facultates ordinarias Moderatoribus commissas expendere et expedire (1); de ceteris disponere ut proponentur plenæ Congregationi seu judicio Patrum quibus constat Congregatio; et deliberata a plena Congregatione exsequi, post reportatam approbationem Summi Pontificis, casu quo hæc requiritur.

Demum *plenæ Congregationi* (2) seu diberationi Cardinalium quibus constituitur Congregatio, proponuntur negotia graviora sive per se sive ratione modi aut adjunctorum, uti sunt ex. gr. solutio dubiorum omnium aut interpretationes juris dubii, examen graviorum controversiarum ordinis administrativi aut disciplinaris, gratiæ majores et alia hujusmodi. Patres in difficilioribus quæstionibus utantur consilio *Consultorum* a Sancto Patre libere nominatorum (3).

Secretariæ submittuntur plures administri minores: studii adjutores aut informatores, archivistæ, expedi-

---

(1) Res claræ et ordinariæ, quæ sunt de stylo Curiæ; facultates, gratiæ quæ sunt consuetæ et faciles. Muniuntur subscriptione solius Secretarii aut Præfecti et appositione sigilli Congregationis et ita adscribuntur auctoritati Congregationis. Attamen rescriptum authenticum Congressus, non eadem gaudet auctoritate ac rescriptum quod a plena Congregatione dimanat; ita ut recursus semper fieri possit a decisione Congressus ad plenam Congregationem. Cf. CHOUPIN, *l. c.*, p. 317; VERMEERSCH, *Periodica*, t. I, nº 42 p.

(2) Convenit singulo mense.

(3) Cf. NP. cap. IV, *de diebus, quibus Cardinalium cœtus coadunantur et de modo procedendi plenarum Congregationum*. Si quæstio ejusmodi sit, quæ plenæ Congregationis judicium postulet, conficiendum erit officiale *folium*, compendio collectam quæstionem exhibens, cum adjecto brevi summario, ac dubiis ad discutiendum propositis. In gravioribus quæstionibus adjiciatur votum unius vel alterius consultoris. Hæc omnia cum defensionibus, si quæ sint, sunt typis Vaticanis imprimenda et Patribus dispertienda.

Hic igitur sermo tantum est de unico modo proponendi causam sc. *in folio*. Cf. WERNZ, *o. c.*, nº 661, p. 755 s.; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, nº 222, p. 209 s.

Ad cognoscendum quænam pro singulis Congregationibus reserventur causæ Congressui vel plenæ Congregationi, consulendæ etiam sunt NP. cap. VII, ubi de singulis Congregationibus in specie.

tores, qui per concursum doctrinæ et titulorum nominantur (1).

3° *De modo tractandi negotia non stricte judicialia* (2).

A/ Quando agitur de causis ordinis administrationem aut disciplinam spectantis, aguntur *in linea disciplinari*, haud servato ordine judicii, remota litis contestatione, auditione testium, auditis tamen interesse habentibus.

Hoc tramite administrationis et disciplinæ a partibus admisso, his jam non licet eadem de causa actionem stricte judicialem instituere, eoque minus deliberata re et ad sententiam deducta.

B/ Quando agitur de rebus gratiæ.

a/ Gratiæ, quas aliquis pro se a Sancta Sede *oretenus* assequitur, ipsi petenti in foro interno suffragantur. Nemo tamen potest cujuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet.

b/ Gratiæ *scripto* concessæ vario modo executioni mandantur:

1° vel supplex libellus oratoris remittitur ad Ordinarium aut ad alium ecclesiasticum virum, cum facultate petitam gratiam largiendi, sive totam sive certis limitibus circumscriptam. Tunc, ipsius exsecutoris judicio et conscientiæ permittitur gratiæ concessio, habita ratione formæ rescripti, rerum Sanctæ Sedi expositarum et opportunitatis gratiæ concedendæ.

2° Ubi vero ab ipsa Sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt aut forma gratiosa aut forma commissoria.

Si *forma gratiosa*, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen Ordinario sunt, qui ea suo *recognitionis* testimonio roboret, si de rebus agatur publicis, cujus generis sunt v. gr. indulgentiæ, sacræ reliquiæ publice colendæ, aut si comprobare quasdam

---

(1) NC. cap. II, n° 2, et cap. VI, n° 3-15.
(2) NP. cap. III.

conditiones oporteat, uti loci decorem in sacellis privatis. Illud rescriptum recognitionis gratis præstari debet, resarcitis tamen necessariis expensis, quales v. gr. occurrunt ad loci recognitionem, in sacelli usum adhibendi.

Si vero *forma commissoria* rescripta expressa sint, opus habent exsecutore. Nec licet Ordinario exsecutionem detractare, nisi forte horum alterutrum occurrat, ut, aut manifesto vitiosæ, hoc est obreptitiæ vel subreptitiæ sint preces (1), aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit indulti concessio. Hæc si accidant, Prælatus, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat Apostolicam Sedem.

Nota. A die 3ª novembris 1908, gratiæ ac dispensationes omnes a Sancta Sede concessæ etiam *censura irretitis* ratæ sunt ac legitimæ, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sunt aut a Sancta Sede nominatim pariter pœna suspensionis multati (2).

4º *De modo respondendi Congregationum*. De hac re remanet integrum jus antiquius (3). Hæc tantummodo determinantur (4): Si nihil obstat, sententia plenæ Congregationis a Secretario evulgabitur (5). Parti oneratæ licet, intra decem dies, novæ audientiæ beneficium postulare. Quodsi Patrum Cardinalium deliberatio se-

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 94 ss. Ex eo quod *Normæ peculiares*, l. c., tantum loquuntur de vitiis obreptionis ac subreptionis, videtur innui quod alia vitia intrinseca aut exstrinseca rescriptorum non obstent amplius validitati et exsecutioni rescriptorum. Desiderantur hic ulteriores declarationes Sanctæ Sedis.

(2) Cf. Decretum S. Pœnitentiariæ 9 sept. 1898, ap. *Analecta Ecclesiastica*, 1903, t. XI, p. 421 s., et *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 95, nota 2.

(3) Fourneret, *l. c.*, p. 24; *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, 1908, t. 88, p. 183 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 222, p. 210; *Dictionnaire de Théologie catholique*, vº Clauses apostoliques, fasc. 18, col. 19 ss.

(4) NP. cap. IV, nº 9 et 10.

(5) Non appositis rationibus, secus ac pro Tribunalibus statuitur.

cumferat clausulam : *amplius non proponatur,* non poterit novæ instantiæ beneficium concedi, nisi ab ipsa Congregatione universa.

5° *De auctoritate Decretorum Congregationum.*

Sæpe jactata inter Auctores quæstio (1), num Decreta Congregationum, speciatim S. Concilii aut Sacrorum Rituum, formaliter particularia, æquivalenter universalia, et comprehensiva seu interpretativa legis vere et objective dubiæ habeant valorem legis universalis, hæc quæstio, inquam, in eodem statu permanet ac antea. Nec ideo quod Decreta illa publicentur in Commentario Officiali Sanctæ Sedis, requisitam ad valorem legis universalis accipiunt promulgationem (2); cum non sufficiat quævis promulgatio sed promulgatio decreti per modum legis universalis, qua voluntas hujusmodi legem ferendi manifestetur (3). Ideo ratio non habetur cur deseratur sententia negans hodie inter Auctores communior.

Præterea, nullum hodie faciendum est discrimen relate ad hanc controversiam, inter Decreta Sacrorum Rituum Congregationis et Decreta aliarum Congregationum (4), cum eodem gradu auctoritatis omnes pollent, iisdemque limitibus earum jurisdictio limitetur. Etenim in omnibus rebus gravioribus et extraordinariis, *Romano Pontifice prævie consulto* agere tenentur Congregationes et nequeunt, nisi reportata Romani Pontificis approbatione saltem in forma communi, ea emittere decreta quæ facultates suas ordinarias prætergrediuntur.

(Sequetur).

A. De Meester.

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 228 ss., p. 214 ss.
(2) Leclerc apud *Collat. Namurcen.* 1908-1909, t. VIII, p. 268 s.
(3) Vermeersch, *Periodica,* t. IV, p. 290.
(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 239, p. 222

E Sacra Congregatione Rituum

I

BENEDICTIO VEHICULI

ægrotis in locum curationis traducendis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui, dum peregrinabaris in terris, pertransibas benefaciendo et sanando omnem languorem et omnem infirmitatem in populis, quique hominem paralyticum, jacentem in lecto, ad salutem mentis et corporis restituisti; respice, quæsumus, ad fidem et ad sensus commiserationis servorum tuorum, qui, animati spiritu veræ caritatis, qua tu eis exemplo præivisti, et quam in præceptum traduxisti, vehiculum hoc ad instar lectuli artificiose exstrui voluerunt, eo fine, ut ad locum curationis vel aptissime deferri possint quicumque aut vulneribus sint affecti aut quavis infirmitate detineantur. Ægrotis igitur, qui hoc componuntur vehiculo, quod nunc in tui nominis virtute benedicimus, esto, mitissime Jesu, in itinere solatium, in periculis tutamen, in doloribus refrigerium. Præsta, ut iidem, tuis Angelis comitantibus, ad curationis sedem tranquillo cursu perveniant, ibique pristinam sanitatem recuperent, eàque, te miserante, per intercessionem sanctissimæ tuæ Matris Mariæ, perceptâ, abeuntes in domos suas, honorificent et magnificent te Deum verum: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Hanc benedictionis formulam approbavit SS. D. N. Pius X die 8 Julii 1908 (1).

(1) Cf. *Acta Apostolicæ Sedis*, p. 263.

II

URBIS ET ORBIS.

Adprobantur litaniæ in honorem S. Joseph sponsi B. Mariæ V., eisque adnectitur indulgentia.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, inclytum patriarcham S. Joseph, divini Redemptoris patrem putativum, Deiparæ Virginis sponsum purissimum, et catholicæ Ecclesiæ potentem apud Deum patronum, cujus glorioso nomine a nativitate decoratur, peculiari atque constante religione ac pietate complectitur. Hinc supplicibus enixisque votis et precibus plurium sacrorum Ecclesiæ Antistitum et Præpositorum ordinum religiosorum, præeunte Abbate generali Cisterciensium reformatorum, libenter obsecundans, suorum Decessorum fel. rec. Pii IX et Leonis XIII exempla, acta et decreta de cultu ipsius S. Joseph edita, toto animo ac voluntate per hoc novum decretum prosequi statuit. Eapropter, quo omnes et singuli christifideles, cujusvis sexus, status et conditionis, cum filiali ac religioso affectu ac firma solidaque spe eximias Nazarenæ Familiæ nutritii et custodis virtutes frequenter recolant ac studiose imitentur, validamque opem, præsenti tempore, humanæ familiæ ac societati congruentem, iteratis invocationibus ferventer implorent, Litanias in honorem S. Joseph, sacrorum Rituum Congregationis examini ac judicio subjectas, atque ab ipsa dignas adprobatione recognitas, de ejusdem sacræ Congregationis consulto, ac referente infrascripto Cardinali Præfecto et Ponente, apostolica sua auctoritate adprobavit; easque in vulgus edi, atque in libris liturgicis, p t lias Litanias jam adprobatas, inseri ita indulsit, ut in universa Ecclesia *tum private, tum publice,* recitari et decantari valeant. Insuper eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis christifidelibus has Litanias in honorem sancti patriarchæ Joseph persolventibus, *tercentum dierum indulgentiam,* semel in die lucrandam, et animabus in expiatorio carcere detentis etiam applicabilem, benigne concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18 Martii 1909.

L. ✠ S.

Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

LITANIÆ DE S. JOSEPH

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis, Deus,	miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus,	»
Spiritus sancte, Deus,	»
Sancta Trinitas, unus Deus,	»
Sancta Maria,	ora pro nobis.
Sancte Joseph,	»
Proles David inclyta,	»
Lumen Patriarcharum,	»
Dei Genitricis sponse,	»
Custos pudice Virginis,	»
Filii Dei nutritie,	»
Christi defensor sedule,	»
Almæ Familiæ præses,	»
Joseph justissime,	»
Joseph castissime,	»
Joseph prudentissime,	»
Joseph fortissime,	»
Joseph obedientissime,	»
Joseph fidelissime,	»
Speculum patientiæ,	»
Amator paupertatis,	»
Exemplar opificum,	»
Domesticæ vitæ decus,	»
Custos virginum,	»
Familiarum columen,	»
Solatium miserorum,	»
Spes ægrotantium,	»
Patrone morientium,	»
Terror dæmonum,	»
Protector sanctæ Ecclesiæ,	»
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,	parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,	exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,	miserere nobis.

℣. Constituit eum dominum domus suæ.
℟. Et principem omnis possessionis suæ.

OREMUS.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dignatus es: præsta, quæsumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

III

Decreto diei 19 Februarii 1909, *Congregationis SS. Redemptoris provinciæ Hollandicæ* (1), specialis indulgetur modus purificandæ pyxidis in leprosorum hospitiis, ubi maximum est contagionis periculum et in pyxide reperiri possunt « fragmenta quæ labia et salivam leprosorum tetigerint ».

S. Congregatio rescribendum censuit: « Paretur super altari vasculum cum aqua et stuppa seu gossypio, in quod vasculum purificatio pyxidis, modo solito peragenda, immittatur, eaque quamprimum fieri poterit, in sacrarium iniiciatur ».

IV

MECHLINIEN.

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore præstiti ven. servo Dei

JOANNI RUSBROCHIO

CANONICO REGULARI, BEATO NUNCUPATO.

Venerabilis JOANNES RUSBROCHIUS, ita a vico natali *Van-Reusbroeck* prope *Halle*, in Brabantia, nuncupatus, anno 1293 in lucem editus est. Adhuc puer, relicto domo paterna ac patria, Bruxellas adiit ubi penes sacerdotem consangui-

(1) Vide *Acta Apostol. Sedis*, t. I, p. 288.

neum litteris addiscendis operam dedit. Pietate singulari ac vitæ integritate ita eluxit, ut totum Deo divinisque rebus se mancipatus ostenderet. Annis studiisque progredientibus, dignus est habitus qui ad sacerdotium eveheretur. Illud mirabile narratur quod ipsa die qua primum sacrum litaverat, mater jampridem defuncta Joanni se videndam exhiberet, filiique precibus suam a piacularibus flammis liberationem acceptam referret. Pius ac doctus sacerdos tam voce quam scriptis Ecclesiæ Christi doctrinam cum evangelicis consiliis docuit ac prædicavit, eamque adversus errores tunc grassantes, præsertim hæresim *Liberiorum Spirituum* jam a Viennensi Concilio damnatam, strenue vindicavit. Interim sacras exercitationes in populis fovet ac provehit, ut ipsi satagerent per bona opera certam vocationem et electionem facere; atque hæc facientes non peccarent. Solitudinis amantissimus in eremum cui Vallis Viridis nomen erat, infra fines Mechliniensis Archidiœcesis, se recepit. Illic socios habuit Joannem Hincart et D. Franconem de Frigido Monte, canonicos. Cum iis degens in paupertate et simplicitate cœnobium extruxit, simulque instituit Congregationem Windesimensem Canonicorum Regularium S. Augustini cujus Ipse primus extitit prior generalis. In solitudine assiduæ orationi et contemplationi vacabat, præsertim penes arborem quæ aliquoties ob ejus fervorem ignita ac irradians visa est. Unde merito vocatus est a Ven. Cardinali Bellarmino « *vir divinæ contemplationi addictissimus* », et a Dionysio Cartusiano « *mirabilis vir et divinitus unctus* ». Ejus scripta mirifice testantur qua religione, quo pietatis affectu se aliosque excitabat ad Dei beneficia recogitanda, ad SS. Eucharistiæ sacramentum adorandum et ad Deiparam Virginem colendam atque imitandam. Unde de Rusbrochio Grotius scribere non dubitavit: « *nec sanctiorem in vita nec religiosiorem in scriptis meminisse* ». Et Beatus Petrus Canisius in suo martyrologio inter Sanctos et Beatos recensuit etiam B. Joannem Rusbrochium. Ob eximiam sanctitatem Joannes et Dei et Deiparæ Virginis visionibus pluries recreatus fuisse narratur, denique lethali atque insanabili morbo correptus, annis et meritis plenus ea, quam Ipse prædixerat, die secunda decembris anno 1381 ad cælestem patriam evolavit. Fama sanctitatis quam servus Dei vivens sibi adepta fuerat, post obitum ac in decursu temporis

adeo invaluit, ut de ea in ecclesiastica Curia Mechliniensi anno 1624 Processus Informativus adornatus fuerit, quem, signata prius Commissione, mox Apostolica subsecuta est Inquisitio anno 1626 instituta, qui quidem Processus in Archivo Vaticano Sacræ Rituum Congregationis asservantur. Anno autem 1786 die 27 Maii in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, instantibus Cappellanis Ecclesiæ Collegiatæ Bruxellensis SS. Michaëli et Gudulæ dicatæ, de Festo cum officio et missa celebrando in honorem Ven. Servi Dei Rusbrochii, Beati nuncupati, actum est, Ponente Emo Cardinali Boschi Majori Pœnitentiario. Quum vero Processus supradicti haud satis essent ad probandum cultum publicum, ecclesiasticum et constantem cum fama sanctitatis Ven. Servo Dei exhibitum seu casum exceptum a decretis sa. me. Urbani Papæ VIII, Sacra eadem Congregatio rescripsit: *dilata, et audiatur S. Fidei Promotor,* facta potestate quæstionem iterum proponendi cum animadversionibus ipsius Promotoris et responsionibus Advocati. Neque enim de Festo cum Officio et Missa agi poterat, quin prius memoratus cultus rite recognitus fuisset. Verum quidem est quod ob causas præsertim extrinsecas, inter quas recensendæ tum iniqua ac violenta suppressio monasterii Vallis Viridis per Imperatorem Josephum II, tum sacrilega dispersio reliquiarum Ven. Servi Dei per impias cohortes militares Reipublicæ Gallicanæ, et cultus aliquid detrimenti passus est, et quæstio inchoata per diuturni temporis spatium interrupta siluit. Sed quum de felici ipsius quæstionis exitu summopere speraret Causæ Postulator fel. rec. Torquatus Armellini Societatis Jesu, ejusdem Causæ reassumptionem ab Apostolica Sede petiit atque obtinuit an. 1890, in statu tamen et terminis in quibus ipsa Causa erat annis 1625-1634, quando decreta Urbani Papæ VIII evulgata fuere. Hinc Litteræ remissoriales et compulsoriales expeditæ sunt ad Processum Apostolicum cum subsequenti sententia in ecclesiastica Curia Mechliniensi conficiendum super memorato cultu seu casu excepto comprobando sive per testium depositiones sive per idonea documenta authentica. Hisce Actis Processualibus expletis et Romam ad Sacram Rituum Congregationem delatis, validisque habitis, instante hodierno Causæ Postulatore Rmo P. Camillo Beccari, Socie-

tatis Jesu, supplicia vota etiam depromente E^mi^ et R^mi^ D^ni^ Cardinalis Desiderati Mercier, Archiepiscopi Mechliniensis, necnon R. D. Parochi S. Clementis ubi peculiaris cultus erga Ven. Rusbrochium viget, et cleri populique Bruxellensis, imo totius Archidiœcesis, E^mus^ et R^mus^ D^nus^ Card. Sebastianus Martinelli ipsius Causæ Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Cœtu, subsignata die ad Vaticanum coacto, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sententia lata a R^mo^ Judice subdelegato ab E^mo^ ac R^mo^ D. Cardinali, Archiepiscopo Mechliniensi, super cultu publico ecclesiastico ab immemorabili tempore præstito Ven. Servo Dei, seu de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papæ VIII, sit confirmanda, in casu et ad effectum de quo agitur? » Atque E^mi^ et R^mi^ Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, post relationem ipsius E^mi^ Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verbe Sanctæ Fidei Promotore, re sedulo perpensa rescribendum censuerunt: « Attentis omnibus, constare de casu excepto ». Die 1 Decembris 1908.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ X per infrascriptum Cardinalem Sacræ Rituum Congregationi Præfectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum ipsius Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, die 9, eisdem mense et anno.

† Seraphinus Card. Cretoni, *S. R. C. Præfectus.*
Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secretarius.*

Consultationes

I

Q. Nuper audivi, sub pœna nullitatis requiri testimonium erectionis Stationum Viæ Crucis asservandum in codicibus parœciæ. Miranti ac dubitanti allata est auctoritas alicujus opusculi, in quo citantur decreta quæ rem conficere videntur. Quid sentiendum in casu?

R. Remittebatur consulens ad opusculum : *Exposé historique et pratique de la dévotion au chemin de la Croix,* par le **R. P. Ignace Beaufays,** O. F. M., S. T. L. (1). Ibi (p. 82) legitur: « Après l'érection, le prêtre qui a fait la cérémonie, doit rédiger ou du moins signer le procès-verbal de l'acte accompli (*Decr. auth.,* n. 294). Celui-ci est indispensable pour témoigner de la réalité de l'érection (*Decr. auth.*, n. 325). Il doit être conservé avec les autres pièces susdites dans les archives du concessionnaire, (celui qui a demandé l'érection pour son église ou sa maison), *qui sera tenu de les exhiber à toute réquisition de l'autorité*, p. ex. au cours de la visite canonique, *sous peine de perdre les indulgences du chemin de la croix* (*Decr. auth.,* n. 175 et 294) ».

Hæc ultima assertio est omnino falsa, quatenus nimirum *sub pœna nullitatis erectionis* asservandum esset ac exhibendum testimonium erectionis factæ (procès-verbal).

Citantur duo decreta S. C. Indulg. : 1. Decretum 3 Augusti 1748 (*Decr. auth.,* n. 175) agit de formalitatibus servandis « *in erigendis* in posterum ejusmodi Stationibus ». Nimirum determinat documenta quæ *ante erectionem* Viæ Crucis « in scriptis et non aliter

(1) Bruges, Ve Verbeke-Loys et Fils, 1908. Hoc opusculum, hanc occasionem nacti, de cetero libenter commendamus.

expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub pœna nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendæ ». Nihil vero habet de documentis servandis aut exhibendis post erectionem factam.

2. Decretum 25 Septembris 1841 (*Decr. auth.*, n. 294) sic habet: « Circa erectionem stationum Viæ Crucis, impetratis antea ab Apostolica Sede necessariis et opportunis facultatibus, omnia ac singula, quæ talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus, seu in actis Episcopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus parœciæ, seu loci, ubi fuerint erectæ præfatæ stationes, inseratur ». Decretum igitur ista omnia exigit, sed non sub pœna nullitatis: quædam requiri ad valorem *faciendæ* erectionis, novimus ex decreto statim relato (n. 175); quoad testimonium erectionis factæ, non additur pœna nullitatis.

Fatendum tamen est ex tenore quæstionis positæ dubium oriri potuisse utrum necne istud testimonium erectionis factæ exigatur ad valorem. At dubium istud, postea propositum, authentice solutum est ab ipsa Sacra Congregatione.

Nimirum circa responsum statim relatum 25 Sept. 1841, hoc inter alia postulatum est: « An tandem testimonium erectionis in actis Episcopatus aut in codicibus parœciæ seu loci in quo fit erectio Stationum Viæ Crucis, inserendum sit sub eadem nullitatis pœna ». Respondit S. C. Indulg. 6 Augusti 1890, ad IV: *Præscribitur insertio testimonii erectionis in actis Episcopalibus et in codicibus parœciæ seu loci etc.*, **sed non sub pœna nullitatis:** *Cf. Decretum sub n. 294* (1).

Mirum est quod auctorem laudati opusculi istud fugerit, quum afferat idem decretum pagina sequenti, ad probandum hoc assertum: « Il est aussi prescrit,

(1) Cf. *Nouv. rev. théol.*, t. XXII, p. 471.

mais non pas sous peine de nullité, que les duplicata de ces pièces soient conservés dans les archives épiscopales ». Videtur male intellexisse verba decreti sub n. 175 : « et quandocumque opus fuerit, *exhiberi debeant* », quæ sic vertit : « qui sera tenu de les *exhiber à toute réquisition de l'autorité* » (p. 82). Ibi non agitur de documentis exhibendis post erectionem, sed *ante erectionem :* sic v. g. qui obtinuit facultatem erigendi, non ab Episcopo, sed ab Apostolica Sede vel a Ministro Generali Franciscanorum, tenetur eam exhibere Ordinario (*Decr. auth.*, n. 286, ad 2).

Sit igitur conclusio, quam ponit P. Beringer (1) : « Si importants que soient ce procès-verbal et le dépôt des susdits documents dans les archives respectives, il ne sont point prescrits cependant sous peine de nullité de l'érection ».

H. Mahieu.

II

Quær. An illis diebus festis solemnioribus in quibus juxta rubricas et decreta prohibetur missa exequialis de *Requiem,* v. g. in festis Annuntiationis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., in festis S. Joseph et Nativitatis S. Joannis Baptistæ, licet cantare, ratione exequiarum, missam de die, corpore defuncti præsente?

Resp. Negative, juxta Rituale et decreta.

1. In votis quidem Ecclesiæ est ut nullus defunctus sine missa sepeliatur. « Quod antiquissimi est instituti, ait Rituale, tit. IV, c. 1, n. 4, illud quantum fierit poterit, retineatur, ut Missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur ».

Sed vult Ecclesia ut hæc missa eo celebretur ritu qui est pro defunctis proprius, eoque formulari in quo orationes et verba ita sunt concepta ut expresse postu-

(1) *Les indulgences, leur nature, leur usage.* 3e éd. franç., t. I, p. 385.

lent animæ refrigerium. Et ideo, addit Rituale (ibid. n. 5), « si quis die festo sit sepeliendus [tali nempe festo quo prohibeatur missa quotidiana de *Requiem*], Missa [nihilominus] *propria pro defunctis* præsente corpore celebrari poterit ; dum tamen conventualis Missa et officia divina [obligatoria] non impediantur *magnaque diei celebritas non obstet* ».

Ut ex his verbis apparet, missa conventualis — et idem dicendum de missa parochiali — et quædam officia divina quæ nec omitti possunt nec transferri, v. g. missa Rogationum in ecclesiis ubi facienda est processio, non excludunt missam exequialem absoluto modo, sed prohibent tantum in quantum non esset alius sacerdos qui posset celebrare missam conventualem aut officia præfata. Contrà « magna diei celebritas » h. e. præcipuorum festorum solemnitas potest absolute « obstare » seu impedire quominus missa *Requiem* a quovis celebretur etiam corpore præsente.

Rursus Rituale c. III, n. 19, insistit ut etiamsi officium defunctorum non possit dici « missa, si hora fuerit congruens, *ritu pro defunctis*, ut in die obitus, præsente corpore, non omittatur, *nisi obstet magna diei solemnitas,* aut aliqua necessitas aliter suadeat ».

Ex quibus omnibus elucet Rituale aliam non agnoscere missam quæ pro defuncto celebretur, corpore præsente, quam missam *Requiem ;* quod si hæc omittatur, non supponit nec permittit ejus loco celebrari missam diei, sed sepultura fiat sine missa.

2. Eadem prohibitio celebrandi missam de die, ratione exequiarum, luculentius apparet ex decretis S. Congr. Rituum.

a/ Decretum *Romana*, n. 3780[8] (1), prohibet quominus absolutio pro defunctis fiat vel responsorium super sepulturam cantetur festis « duplicibus primæ

(1) Quod vide apud *Collat. Brug.*, t. IX, p. 606.

classis, in quibus absolutio et responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere Horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiat, *nunquam post missam de die, nisi omnino independenter ab eadem* ». Idem responsum urgetur in recenti decreto diei 28 Martii 1908 (1). Jamvero in exequiis absolutio de præcepto est facienda, et ut patet, eo ipso quod cadaver sit præsens, impossibile est ut fiat absolutio independenter a missa (2). Ergo nunquam licet celebrare exequias cum missa de die, corpore præsente.

b/ Revera decretum *Corduben.*, n. 3570[r], non tantum prohibet quominus « exequiæ pro defuncto, cum effertur corpus, expleri valeant in ecclesia diebus festis solemnioribus primæ classis » sed statim subjungit: « et hujusmodi funera transferantur ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei festi Vesperas et sacris functionibus non impeditas, abstinendo ab emortuali æris campani sonitu ». Quænam autem sint præfati « dies festi solemniores primæ classis » expressius declaratur in decretis S. R. C. *Quebecen.* 3890[r]; *Parentin. et Polen.* 8 jan. 1904 et *Rhemen.* diei 1 dec. 1905, ad 1[m], (3). Sunt nempe festa primaria duplicia 1[æ] classis et quidem de præcepto, et dominicæ in quas transferuntur solemnitates festorum suppressorum: dies singulas invenies enumeratas ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 188.

Sed etiam in festis duplicibus primæ classis, quæ sunt suppressa sed quorum solemnitas non transfertur in dominicam subsequentem (4), qualia sunt quæ in consultatione ponuntur, subsistit non quidem prohibitio faciendi exequias sine missa, sed prohibitio celebrandi missam exequialem. Et citatum decretum *Rhemen.* ad

---

(1) Apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 472.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 606 ss. et XI, p. 527.
(3) Quæ vide apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 187.
(4) Quæ enumerantur apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 188.

2m, simpliciter prohibet « *exequias* cum missa *corpore præsente* », in sua prohibitione ita complectens non tantum missam *Requiem* sed quamcumque missam quæ pro exequiis celebretur corpore præsente.

Inde concludes, in casu, sepulturam

1/ vel faciendam esse sine missa, et missam exequialem celebrandam esse die aliqua sequenti juxta rubricas et decreta, sive infra biduum a sepultura, sive prima die libera post;

2/ vel, quod melius est, differendam esse in diem quæ permittat missam exequialem.

C. Callewaert.

Notæ Bibliographicæ

Jos. Laurentius, S. J. *Institutiones juris ecclesiastici*. 2 edit., Friburgi-Brisgoviæ, 1908, in-8°, XVI-712 p. M. 10,20.

Jam proditur altera in multis adaucta et meliorata editio præclari operis R. P. Laurentius anno 1903 primùm in lucem editi. Haud cunctanter affirmamus has juris canonici communis Institutiones ad usum Scholarum et Seminariorum destinatas, inter omnes ejusdem generis latino sermone conscriptas elucubrationes primum locum occupare. Enitent enim claritate expositionis et dispositionis, scientia juris recentissimi, copia rerum et legum uberrima, prudentia et securitate sententiarum, momento demum practico. Si, quoad notas bibliographicas et historicas, quæstionesque disputatas, auctor eruditionem suam exhaurire non videtur, ea tamen generatim tradit, quæ in libro manuali requiruntur et sufficiunt ut lectoribus et prælectionum auditoribus ulteriori indagationi opportunitas tradatur.

Auctor hodie consuetam divisionem in jus Ecclesiæ constitutivum et administrativum secutus, tractatum in tres partes dividit. I. De fontibus. II. De Ecclesiæ constitutione; ubi sermo fit de statu laicali et clericali, de potestate ecclesiastica quæ per varios gradus hierarchicos distribuitur et ad quam exercendam varia officia et beneficia instituta sunt. III. De Ecclesiæ regimine et administratione, ubi tractatur de legibus et judiciis, pœnis et delictis; de administratione magisterii et ministerii ecclesiastici — legislatio matrimonialis fusius p. 439-534 exponitur —; de societatibus ecclesiasticis, notatim de ordinibus et congregationibus religiosis; de bonis temporalibus Ecclesiæ; demum de relationibus Ecclesiæ ad societatem civilem et ad cœtus religiosos extraneos. Tabula analytica et index alphabeticus in adhibentium commodum complent volumen eruditissimi auctoris, quem, omnibus probantibus, R. P. Wernz, Generalis S. J. sibi elegit cooperatorem in denuo edendo et perficiendo opere suo momentoso *Jus Decretalium*.

Has tamen animadversiones faciendas ducimus:

1° Quoad bibliographiam, quædam opera, præsertim gallica, specialem mentionem merebantur; ita opera eruditionis conscripta a Doujat, Tardif, Fournier (circa collectiones sæc. IX), le *Dictionnaire de Théologie catholique*, et alia. Opportunum etiam fuisset indolem generalem paucis adumbrare publicationum periodicarum, quæ sc., sub respectu documentorum, bibliographiæ, dissertationum, momentum haberent; illarum cæteroquin articuli raro admodum citantur.

2° Quoad controversias, opportet in libro manuali ut variæ sententiæ explicite vel implicite indicentur, addita substantiali saltem bibliographia. Hoc desideratur v. gr. quoad quæstionem num S. Pontifex jus habeat sibi designandi successorem, quoad varia puncta legislationis de libris prohibitis, etc.

3° Concisionis gratia quædam materiæ nimis breviter aguntur, verbi gratia: de effectibus irregularitatum, de modo obtinendi et concedendi dispensationes in irregularitatibus; de titulo jurisdictionis, de libris prohibitis, de collectione eleemosynarum missarum (nullibi interpretatio datur art. 1 Decreti *Ut Debita*), de Syllabo, de nova juris canonici codificatione; de civili principatu R. P.

*
* *

Sammlung Kirchenmusik herausgegeben von Dr Karl Weinmann. Regensburg, Pustet. Preis pro Bändschen gebunden 1 Mark.

1 Bd. **K. Weinmann.** *Karl Proske, der Restaurator der klassichen Kirchenmusik,* 1909, 135 p.

1 Bd. **P. Wagner.** *Elemente des gregorianischen Gesanges,* 1909, 178 p.

Le musicologue bien connu Dr K. Weinmann a été bien inspiré en commençant la publication d'une collection de livres à bon marché, d'un caractère pratique et scientifique, consacrés à la musique religieuse et à l'art rubrical. Les deux premiers volumes inaugurent très heureusement la série.

1° La biographie du Chanoine Proske (1794-1861) est une contribution importante à l'histoire de la musique sacrée au XIXe siècle. Par l'influence qu'il exerça sur les musiciens de son temps, surtout par la publication des chefs-d'œuvres des écoles italienne et espagnole, dont il rechercha les manuscrits dans les bibliothèques et dépôts d'archives, Karl Proske a justement mérité le titre de restaurateur de la polyphonie classique. Sa *Musica divina,* collection de musique religieuse liturgique commencée en 1853, reste un monument de science.

2° Excellent manuel que nous voulons louer sans réserve. Écrit avec clarté et chaleur, il est la synthèse des travaux de brillante érudition et de science profonde que l'art grégorien doit au Dr Wagner, le premier plainchantiste de l'époque. Il sera lu avec profit par tous ceux qui pratiquent et étudient l'art du plainchant. Il convertira ceux qu'aurait séduits la théorie des mensuralistes ou celle plus dangereuse de Dom Mocquereau.

Une introduction assez étendue expose la notion, la nature et les caractères du chant grégorien, la nécessité et l'utilité de son étude. Suivent trois chapitres: 1° un excellent aperçu historique du plain-chant, depuis ses origines au XVIe siècle; 2° les principes d'exécution; 3° la théorie de la musique grégorienne analysée en ses divers éléments, les tons, les modes, les mélodies et le rythme. Puisse cette œuvre trouver de nombreux traducteurs pour qu'elle se propage dans tous les pays de l'Église latine.

A. De Meester.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Baudot, J. *La dédicace des églises.* [Coll. *Science et Religion.* n. 510. Série: Liturgie]. Paris, Bloud et Cie, 1909. In-12°, 64 p., Pr.: Fr. 0.60.

Broussolle, J.-C. *De la Conception Immaculée à l'Annonciation Angélique.* [Essais de théologie artistique sur la Ste Vierge. 1e série]. In-8°, 434 p., 100 grav. Paris, P. Téqui, 1908. Fr. 3.50.

Id. *De la Visitation à la Passion.* [Essais de théologie artistique sur la Ste Vierge. 2e série]. In-8°, p. 120 grav. Paris, P. Téqui, 1908. Fr. 3.50.

Ecker J. *Petite bible illustrée des écoles.* — Édit. française par un Père de la Compagnie de Jésus; préf. du R. P. Jos. Brucker. Paris, Bloud et Cie, 1908. In-8°, 276 pp.; nombr. illustrat. Fr. 2.

Eerste vlaamsche sociale Week. Volledig verslag, in-8°, bl. 282; Gent, Drukkerij Het Volk; Fr. 2.50.

Folghera, J.-D. *Les fêtes de l'Église.* Élévations sur les hymnes. Paris, P. Téqui, 82, rue Bonaparte. In-12°, 154 p. Fr. 1.50.

Guibert J. *Les croyances religieuses et les sciences de la nature.* 3e édit. (Bibliothèque apologétique n. 5). Paris, Beauchesne et Cie, 1909. In-12°, 320 p.

Joüon P. *Le Cantique des Cantiques.* Commentaire philologique et exégétique. Paris, Beauchesne et Cie, 1909; In-8°, 336 p.

Matharan, M.-M., S. J. *Asserta moralia.* Paris, Beauchesne et Cie, 1909. In-16, 276 p.

Sauvé, (chan.). *Synopse des conditions requises pour la célébration valide et licite de la Sainte Messe.* Laval, Ve A. Goupie. In-12°, 8 p. Fr. 0.30.

Les rubriques de la messe en tableaux; utile pour se rafraîchir la mémoire; doctrine généralement exacte, exposé très bref, trop bref.

Zapletal, V., O. P., *Hermeneutica Biblica,* Editio altera, emendata. Friburgi, Herder, 1908. In-8, 197 p.

---

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Paucis explica quisnam requiratur influxus divinus in intellectum et in voluntatem hagiographi, ut Deus dici possit auctor libri inspirati.

II

Expone quomodo malum, tum physicum, tum morale, non repugnet *providentiæ* divinæ.

III

Indica in genere quænam sint peccata gravia *ex toto genere*.

IV

Quonam sensu fides theologica dicitur *lumen?*

V

Quonam sensu fides theologica dicitur *obscura?*

VI

Répondez à l'objection suivante du libéralisme absolu : Aujourd'hui vous nous demandez la liberté de conscience et des cultes au nom de nos principes, si vous étiez au pouvoir, vous nous la refuseriez au nom des vôtres.

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 1er FASC. FÉVRIER 1909:

Hub. Hoste. L'architecture domestique à Ypres. — Les anciennes façades, p. 5. — C. Van den Haute. Documents inédits concernant les libraires et maîtres d'école de Bruges. 18. — C. Callewaert. Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre. 41. — C. Van den Haute. — Bon A. van Zuylen van Nyevelt. — R. Dupont. Encore des cartulaires anciens de la Flandre. 63.

Comptes rendus. — M. Prou. Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108). (C. Callewaert). 66. — E. de Moreau, S. J. L'abbaye de Villers-en-Brabant aux XIIe et XIIIe siècles. (R. De Scheppér). 70.

Chronique. 74. — Société d'Émulation. — Sociétés savantes et Congrès. — Périodiques. — Notes bibliographiques. — Nos objets d'art. — Questions. — Nécrologie.

Notes et Documents. — R. De Schepper. Portraits des abbés des Dunes, Gérard De Baere (1654-66) et Martin Collé (1680-98). 85. — R. De Witte. Bezoek van Maria van Burgondië in het begijnhof van Brugge. 88. — A. De Schrevel. Un mandement épiscopal sur le Jansénisme. 91. — A. Visart de Bocarmé. Comment s'ouvraient nos archives communales. 95.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 1 à 186). p. 1*-36*.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700. ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900), XI (1906) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ ENCYCLICÆ VENERABILIBUS FRATRIBUS, PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gaudii causæ recentes:

Communium rerum inter asperas vices additasque nuper domesticas calamitates, quibus animus Noster dolore premitur, plane recreat ac reficit christiani populi universi recens conspiratio pietatis, quæ adhuc esse non desinit *spectaculum mundo et angelis et hominibus* (1), a præsenti facie malorum forte excitata prómptius, sed ab una denique causa profecta, Jesu Christi Domini Nostri caritate. Quum enim hujus nominis digna virtus nulla in terris exstiterit nec possit esse nisi per Christum, Ipsi uni accepti referendi sunt fructus qui ab ea dimanant inter homines etiam in fide remissiores aut religioni infensos, in quibus si quod exstat vestigium veræ caritatis, id omne humanitati a Christo illatæ debetur, quam ipsi totam exuere et a christiana societate propulsare nondum valuerunt.

conspiratio pietatis et beneficentiæ a Christi caritate profecta,

Hac tanta contentione quærentium Patri solatia et fratribus opem in communibus et privatis ærumnis, commotis Nobis vix verba suppetunt, quibus grati animi sensus exprimamus. Quos etsi non semel singulis testati sumus, haud remorari voluimus gratiæ publice referendæ officium exsequi, apud vos primum, Venerabiles Fratres, et per vos apud fideles omnes, quicumque sunt vigilantiæ vestræ concrediti.

Sed libet etiam gratum animum profiteri palam filiis carissimis, qui, ex omnibus terrarum orbis partibus, tot ac tam præclaris amoris et observantiæ significationibus quinqua-

significationes observantiæ Pontifici expressæ,

(1) I. *Cor.*, IV, 9.

genariam sacerdotii Nostri memoriam sunt prosequuti. Quæ quidem humanitatis officia, non tam Nostra, quam Religionis et Ecclesiæ causa delectarunt, quod impavidæ fidei testimonium exstiterint et quasi publica honoris significatio Christo Ecclesiæque debiti, per obsequium ei exhibitum, quem Dominus familiæ suæ præpositum voluit. Sed et alii idem genus fructus haud mediocris causam lætitiæ attulerunt. Nam et sæcularia solemnia institutarum in America Septemtrionali diœcesium occasionem obtulerunt immortales Deo gratias agendi ob additos catholicæ Ecclesiæ tot filios; et Britannica insula nobilissima spectaculo fuit ob instauratum suos intra fines pompa mirifica honorem Eucharistiæ sanctissimæ, adstante Venerabilium Fratrum Nostrorum corona cum ipso Legato Nostro ac populo confertissimo; et in Galliis afflicta Ecclesia lacrimas detersit mirata splendidos Augusti Sacramenti triumphos, Lourdensi maxime in urbe, cujus celebritatis origines gavisi sumus quinquagenario apparatu solemni fuisse commemoratas. Ex his aliisque norint omnes persuasumque habeant catholici nominis hostes, splendidiores quasdam ceremonias, exhibitum Augustæ Dei Matri cultum, honores ipsos Pontifici Summo tribui solitos, eo tandem spectare ut in omnibus magnificetur Deus; ut sit *omnia et in omnibus Christus* (1); ut, regno Dei in terris constituto, sempiterna comparetur homini salus.

pluraque solemnia in America,

in Anglia

in Gallia.

Ex quibus sperandæ conversiones ad Christum per Ecclesiam.

Exspectandus divinus hic de singulis ac de universa hominum societate triumphus non alius est nisi aberrantium a Deo ad Ipsum reversio per Christum, ad hunc autem per Ecclesiam suam; quod quidem Nobis esse propositum, vel primis Nostris Apostolicis Litteris *E supremi Apostolatus Cathedra* (2), et sæpe alias, aperte declaravimus. Hunc reditum cum fiducia suspicimus; ad hunc maturandum consilia Nostra sunt et vota conversa, tamquam ad portum, in quo præsentis etiam vitæ procellæ conquiescant. Atque hoc nimirum quod publice redditi Ecclesiæ honores velut indicio, Deo bene juvante, sint redeuntium gentium ad Christum et Petro Ecclesiæque arctius adhærentium, officia humilitati Nostræ persoluta libenti gratoque animo excepimus.

---

(1) *Coloss.*, III, 11.

(2) Encyclica diei 4 Octobris MDCCCCIII, ap. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 581 ss.

Hæc autem cum Apostolica Sede caritatis necessitudo etsi non eodem semper aut ubique se gradu prodidit nec uno significationis genere, nihilominus divinæ Providentiæ consilio factum videtur, ut eo devinctior exstiterit, quo iniquiora, uti modo sunt, tempora sive sanæ doctrinæ, sive sacræ disciplinæ, sive Ecclesiæ libertati decurrerunt. Conjunctionis id genus exempla sancti viri præbuerunt iis tempestatibus, quum aut exagitaretur Christi grex, aut ætas vitiis diffluerent; quibus malis opportune Deus objecit illorum virtutem atque sapientiam. Ex iis unum commemorare hisce Litteris maxime juvat, cujus in honorem hoc ipso anno apparantur sæcularia solemnia, expleto a beatissimo ejus exitu octavo sæculo. Is est Augustanus doctor Anselmus, catholicæ veritatis adsertor et sacrorum jurium propugnator acerrimus, tum qua monachus et Abbas in Gallia, tum qua Cantuariensis Archiepiscopus et Primas in Anglia. Nec alienum esse arbitramur, post acta splendido ritu solemnia doctorum Gregorii Magni et Joannis Chrysostomi, quem alterum occidentalis, alterum orientalis Ecclesiæ jubar admirati suspicimus, aliud intueri sidus, quod, si a prioribus *differt in claritate* (1), illorum tamen progressiones æmulando, haud infirmiorem lucem exemplorum doctrinæque diffundit. Quin etiam eo potentiorem quodammodo dixeris, quo nobis propior Anselmus ætate, loco, indole, studiis, et quo magis accedunt ad horum similitudinem temporum sive luctæ genus, sive pastoralis actionis forma ab ipso in usum deducta, sive instituendi ratio, per se, per discipulos tradita et scriptis maxime confirmata, ex quibus habita est norma *ad defensionem christianæ religionis, animarum profectum, et omnium theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt* (2). Quare sicut in noctis caligine aliis occidentibus stellis, aliæ ut mundum illustrent oriuntur, sic ad Ecclesiam illustrandam Patribus filii succedunt, inter quos beatus Anselmus velut clarissimum sidus effulsit.

Conjunctio cum Sede Apostolica sæpe fit devinctior quo iniquiora sunt tempora,

ut constat notatim exemplo *S. Anselmi,* ad instar sideris lucentis,

Ac vere quidem in media ævi sui caligine, vitiorum errorumque laqueis impliciti, optimo cuique inter æquales visus est suæ fulgore doctrinæ ac sanctitatis prælucere. Fuit enim

cujus celebratur doctrina et san-

(1) I. *Cor.*, XV, 41.
(2) *Breviar. Rom.*, die 21 Aprilis.

ctitas præfulgens

fidei princeps et decus Ecclesiæ... gloria pontificalis, qui sui temporis *omnes vicerat electos egregiosque viros* (1). — Idem *et sapiens et bonus et sermone refulgens, ingenio clarus* (2), cujus fama eo usque progressa est, ut merito scriptum sit, non fuisse in terris quemquam, *qui dicere vellet: me minor Anselmus est similisque mihi* (3); acceptus ob hæc regibus, principibus, Pontificibus Maximis. Nec suis modo sodalibus ac fideli populo, sed *carus habebatur hostibus ipse suis* (4). Ad eum etiam tum Abbatem litteras existimationis et benevolentiæ plenas misit magnus ille ac fortissimus Pontifex Gregorius VII, quibus *se et Ecclesiam catholicam ejus orationibus commendabat* (5). Eidem Urbanus II *religionis ac scientiæ prærogativam* adseruit (6). Pluribus, iisque amantissimis litteris, Paschalis II *reverentiam devotionis, fidei robur et piæ sollicitudinis instantiam* extulit laudibus, ejus auctoritate *religionis ac sapientiæ* (7) facile adductus ut fraternitatis suæ postulationibus annueret, quem prædicare non dubitavit omnium Angliæ episcoporum sapientissimum ac religiosissimum.

et humilitas conjuncta cum

animi magnitudine

invicta constantia

et lenitate.

Nec tamen aliud esse sibi videbatur nisi contemptibilis homuncio, ignotus homunculus, homo parvæ nimis scientiæ, vita peccator. Cumque de se tam demisse sentiret, non hoc tamen impediebatur quominus alta cogitaret, contra ea quæ malis moribus opinionibusque depravati homines judicare solent, de quibus sacræ litteræ: *Animalis... homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei* (8). Illud vero plus habet admirationis, quod ejus magnitudo animi et invicta constantia, tot molestiis, impugnationibus, exsiliis tentata, ea cum lenitate fuit et gratia conjuncta, ut vel ipsorum iram frangeret qui ei succenserent, eorumque sibi benevolentiam conciliaret. Ita, *quos ejus causa gravabat*, laudabant tamen *quod bonus ipse foret* (9).

Fuit igitur in eo admirabilis quædam earum partium

---

(1) *Epicedion in obitum Anselmi.*
(2) In *Epitaphio.*
(3) *Epicedion in obitum Anselmi.*
(4) Ibid.
(5) *Breviar. Rom.*, die 21 Aprilis.
(6) In libro II *Epist. S. Anselmi,* ep. 32.
(7) In lib. III *Epist. S. Anselmi,* ep 74 et 42.
(8) I. *Cor.* II, 14.
(9) *Epicedion in obitum Anselmi.*

conspiratio et consensus, quas plerique falso arbitrantur secum ipsas necessario pugnare nec ullo pacto posse componi; nudo candori consociata granditas, animo excelso modestia, fortitudini suavitas, pietas doctrinæ; adeo ut, quemadmodum in instituti sui tirocinio, ita etiam in omni vita, *mirum in modum tamquam sanctitatis et doctrinæ exemplar ab omnibus haberetur* (1).

In eo conjunctio dotum quæ videntur secum pugnare

Neque vero duplex hæc Anselmi laus intra domesticos parietes aut magisterii se fines continuit, sed, quasi e militari tabernaculo, processit in solem et pulverem. Nancto enim quæ diximus tempora, pro justitia et veritate fuit ei dimicandum acerrime. Cumque naturæ vi ad ea studia ferretur maxime quæ in rerum contemplatione versantur, in plura et gravia negotia conjectus est, et, sacro assumpto regimine, in medium devenit rerum certamen atque discrimen. Et qui miti ac suavi erat ingenio, studio tuendæ doctrinæ ac sanctitatis Ecclesiæ compulsus est a tranquillæ vitæ jucunditate recedere, principum virorum amicitiam gratiamque deserere, dulcissima vincula, quibus cum sodalibus religiosæ familiæ sociisque laboris episcopis jungebatur, abrumpere, diuturnis conflictari molestiis, omne genus angustiis premi. Gravissimis enim odiis ac periculis circumseptum locum expertus est Angliam, ubi enixe illi obsistendum fuit regibus ac principibus, quorum arbitrio erant Ecclesiæ sortes gentiumque permissæ; ignavis aut indignis officio sacro ministris; optimatibus plebique rerum omnium ignaris atque in pessima quæque vitia ruentibus; imminuto nunquam ardore, quo fidei, morum, Ecclesiæ disciplinæ ac libertatis, ejusque propterea doctrinæ ac sanctitatis exstitit vindex; plane dignus hoc altero memorati Paschalis præconio: *Deo autem gratias, quia in te semper episcopalis auctoritas perseverat, et inter barbaros positus, non tyrannorum violentia, non potentum gratia, non incensione ignis, non effusione manus a veritatis annuntiatione desistis.* Et rursus: *Exultamus,* inquit, *quia gratia Dei tibi præstante auxilium, te nec minæ concutiunt nec promissa sustollunt* (2).

in vita publica maxime elucet.

Ex his omnibus, Venerabiles Fratres, æquum est Nos etiam cum Decessore Nostro Paschali, lapsis ab illa ætate

Juvat ergo contemplari

(1) *Breviar. Rom.*, die 21 Aprilis.
(2) In lib. III *Epist. S. Anselmi,* ep. 44 et 74.

hoc exemplar

sæculis octo, lætitiam percipere, ejusque voci resonare, gratias Deo persolventes. Simul vero cohortari vos juvat ad hoc sanctitatis doctrinæque lumen intuendum, quod, in Italia ortum, Gallis affulsit plus annos triginta; Anglis supra quindecim; Ecclesiæ denique universæ communi præsidio ac decori fuit.

Quod si *opere et sermone* excelluit Anselmus, hoc est, si vitæ pariter doctrinæque palæstra, si contemplandi vi et agendi alacritate, si dimicando fortiter et sectando pacem suaviter. splendidos Ecclesiæ triumphos comparavit et insignia in civilem societatem beneficia contulit, hæc omnia ex eo sunt repetenda, quod in omni vitæ cursu doctrinæque ministerio Christo et Ecclesiæ quam firmissime adhæserit.

quod miremur et imitemur.

Hæc mentibus defigenda curantes in tanti Doctoris commemoratione solemni, præclara inde hauriemus, Venerabiles Fratres, et quæ admiremur et quæ imitemur exempla. Plurimum quoque ex ea contemplatione accedet roboris ac solatii ad sacri ministerii partes, arduas plerumque ac sollicitudinis plenas, viriliter explendas, ad impense curandum ut omnia instaurentur in Christo, ut in omnibus *formetur Christus* (1), maxime in iis, qui in spem sacerdotii succrescunt; ad constanter propugnandum Ecclesiæ magisterium; ad obnitendum strenue pro Christi sponsæ libertate, pro sanctitate juris divinitus constituti, pro iis denique omnibus, quæcumque sacri Principatus defensio postulat.

Tristia enim sunt tempora nostra:

in Italia, ex publica calamitate

et impedimentis Ecclesiæ actioni interjectis;

Nec enim vos latet, Venerabiles Fratres, quod sæpe Nobiscum complorastis, quam tristia sint in quæ incidimus tempora, et rerum Nostrarum quam sit iniqua conditio. Ipsius doloris, quem ex publicis infortuniis incredibilem cepimus, refricatum est vulnus probrosis criminationibus clero conflatis, quasi segnem adjutorem in ea se calamitate præbuerit; interjectis impedimentis ne benefica Ecclesiæ virtus pateret miseris filiis; ejus ipsa materna cura et providentia contempta. Alia plura silemus, quæ in Ecclesiæ perniciem aut versute et callide agitata sunt, aut nefario ausu patrata, publici violatione juris, atque omni naturalis æquitatis et justitiæ lege despecta. Idque iis in locis accidisse gravissimum est, in quæ illatæ ab Ecclesia humanitatis

(1) *Galat.*, IV, 19.

abundantior amnis influxit. Quid enim tam inhumanum quam ut e filiis, quos Ecclesia quasi primogenitos aluit fovitque in ipso suo vel flore vel robore, non dubitent quidam in Matris amantissimæ sinum sua tela convertere? — Nec est cur admodum recreet aliarum conditio regionum, ubi varia quidem belli facies est, furor idem, aut jam exardescens, aut ex occultæ conjurationis tenebris mox eruptur us. Hoc enim est consiliorum ultimum, apud gentes in quas majora christianæ religionis beneficia promanarunt, omnibus juribus Ecclesiam despoliare; cum ipsa sic agere, quasi non sit genere ac jure perfecta societas, qualem naturæ nostræ Reparator instituit; hujus regnum excindere, quod etsi præcipue ac directo animos attingit, haud minus ad horum sempiternam salutem quam ad civilis utilitatis incolumitatem pertinet; omnia moliri ut imperantis Dei loco effrena dominetur, mentito libertatis nomine, licentia. Dumque id assequantur, ut per dominatum vitiorum et cupiditatum pessima omnium instauretur servitus, ac præcipiti cursu cives ad extrema delabantur; — *miseros autem facit populos peccatum* (1), — clamitare non cessant: *nolumus hunc regnare super nos* (2). Hinc religiosorum sodalium sublatæ familiæ, quæ magno semper Ecclesiæ præsidio atque ornamento fuerunt, et humanitatis doctrinæque sive inter barbaras gentes sive inter excultas provehendæ principes exstiterunt; hinc prostrata et afflicta christianæ beneficentiæ instituta; hinc habiti ludibrio sacri ordinis viri, quibus aut ita obsistitur ut eorum plane concidant vires, aut ad publica magisteria vel omnino intercluditur vel satis impeditur iter; aut in institutione juventutis nullæ relictæ sunt partes; hinc christiana omnis actio publicæ utilitatis intercepta; egregii e populo viri catholicam fidem apertius profitentes, nullo in honore numerove positi, procacibus injuriis lacessiti, exagitati quasi genus infimum atque abiectissimum, serius ocius visuri diem, quo, recrudescente hostili vi legum, nec sibi licebit in rebus ullis misceri, quibus publica vitæ actio continetur. Hujus interim auctores belli, tam atrociter callideque suscepti, non alia dictitant se causa moveri, nisi

in aliis regionibus, ex persecutione in Ecclesiam ejusque jura et libertatem,

(1) *Prov.*, XIV, 34.
(2) Luc., XIX, 14.

quo in bello non ducuntur amore libertatis, humanitatis, et patriæ, ut prætendunt,

libertatis amore ac studio provehendæ humanitatis, quin etiam patriæ caritate, haud secus mentiti atque ipsorum parens, qui *homicida erat ab initio*, qui *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est* (1), et in Deum atque in hominum genus inexpiabili odio succensus. Protervæ sane frontis homines, qui verba dare nituntur et incautis auribus insidias facere. Nec enim eos dulcis amor patriæ aut anxia de populo cura, aut ulla recti honestique species ad nefarium bellum impellunt, sed vesanus in Deum furor in ejusque

sed odio in Deum et Ecclesiam;

admirandum opus, Ecclesiam. Ex concepto ejusmodi odio, tamquam ex venenato fonte, scelerata illa consilia erumpunt Ecclesiæ opprimendæ summovendæque a conjunctione societatis humanæ; inde ignobiles voces clamitantium eam esse demortuam, quam nihilominus oppugnare non desinunt; quin etiam eo audaciæ insaniæque procedunt, ut omni libertate spoliatam criminari non dubitent quod in hominum genus, quod in rempublicam utilitatis conferat nihil. Idem infensus animus efficit, ut illustriora Ecclesiæ atque Apostolicæ Sedis beneficia vel astute dissimulent, vel silentio prætereant; forte etiam occasionem arripiant injiciendæ suspicionis et influendi callido artificio in aures animosque multitudinis, acta dictave singula Ecclesiæ aucupantes eaque traducentes quasi totidem impendentia civitati pericula, quum contra dubitari non possit, quin germanæ libertatis et exquisitioris humanitatis incrementa a Christo maxime, per Ecclesiam, profecta sint.

In hujus impetum belli, ab externis hostibus illati, a quibus *alibi quidem acie apertaque dimicatione, astu alibi abstrusisque insidiis, attamen ubique Ecclesiam oppugnari conspicimus*, ut vigiles essent curæ vestræ conversæ, Venerabiles Fratres, quum sæpe alias tum vos præcipue monuimus allocutione in sacro Consistorio habita XVII Cal. Januarias anno MDCCCCVII.

ex bello intestino a modernistis illato

Verum haud severe minus quam dolenter denuntiandum cohibendumque Nobis est aliud belli genus, intestini quidem ac domestici, sed eo funestioris quo latet occultius. Hanc machinati sunt pestem perditi quidam filii, in ipso Ecclesiæ sinu delitescentes ut eum dilacerent. Horum tela in Ecclesiæ animam, tamquam in trunci radicem, conjiciuntur, ut certo

(1) Joan., VIII, 44.

ictu ac destinato feriant. Est enim ipsis propositum christianæ vitæ doctrinæque turbare fontes; sacrum fidei depositum diripere; per pontificiæ auctoritatis et episcoporum contemptum divinæ institutionis fundamenta convellere; novam Ecclesiæ formam imponere, novas leges, nova jura describere, prout pessimarum quas profitentur opinionum portenta desiderant; totam denique divinæ Sponsæ deformare faciem, vano fulgore perculsi recentioris cujusdam humanitatis, hoc est, falsi nominis scientiæ, a qua cavere iterato nos jubet Apostolus his verbis: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum* (1).

qui Ecclesiæ animam et fundamenta aggrediuntur

Hac philosophiæ specie atque inani eruditionis fallacia, ad ostentationem parata et cum summa judicandi audacia conjuncta, capti nonnulli *evanuerunt in cogitationibus suis* (2), et, *bonam conscientiam... repellentes, circa fidem naufragaverunt* (3); alii ancipiti cogitatione distracti, opinionum quasi fluctibus obruuntur, nec ipsi sciunt ad quod litus appellant; alii otio et litteris abutentes, difficiles nugas inani labore consectantur; quo fit ut a studio rerum divinarum et a sinceris doctrinæ fontibus abducantur. Neque vero exitiosa ista labes, quæ ab incensa morbosæ novitatis libidine *modernismi* nomen accepit, etsi denuntiata sæpius, et ipsa fautorum intemperantia suis integumentis nudata, cessat gravi detrimento esse christianæ reipublicæ. Latet virus inclusum in venis atque in visceribus hujus nostræ societatis, quæ a Christo et ab Ecclesia descivit; maxime vero *uti cancer* serpit inter succrescentem sobolem, cui et rerum experientia minima est et insita ingenio temeritas. Nam, cur ita se gerant, non ea sane causa est quod solida polleant exquisitâque doctrina; siquidem rationem inter et fidem nulla potest esse vera dissensio (4); sed quod ipsi de se mirabiliter sentiunt; quod pestifero quodam hujus ætatis afflati spiritu, sub impuro quasi cælo crassoque vivunt; quod rerum sacrarum cognitionem, quam aut nullam habent aut

falsa philosophia decepti

et suis conceptis inhærentes pertinaciter

et superbe.

(1) *Coloss.*, II, 8.
(2) *Rom.*, I, 21.
(3) I. *Tim.*, I, 19.
(4) *Concil. Vatic.*, Constit. *Dei filius*, cap. 4.

confusam atque permixtam, stulta cum arrogantia conjungunt. Cui contagioni fovendæ sublata in Deum fides ab eoque defectio alimenta suppeditant. Nam quos cæca ista novarum rerum libido transversos agit, ii facile putant satis esse sibi virium, ut, vel aperte vel simulate, jugum omne divinæ auctoritatis excutiant et religionem sibi fingant juris naturæ finibus fere circumscriptam ac suo cujusque ingenio accommodatam, quæ christianæ speciem nomenque mutuetur, re autem ab ipsius vita et veritate quam longissime abest.

Atque ita ex æterno bello adversus divina omnia suscepto nova bella seruntur, mutata dimicandi ratione; idque eo periculosius, quo callidiora sunt arma fictæ pietatis, ingenui candoris, incensæ voluntatis, qua factiosi homines nituntur amice componere res disjunctissimas, hoc est labilis humanæ scientiæ deliramenta cum fide divina, et cum sæculi nutantis ingenio Ecclesiæ dignitatem atque constantiam.

Non ideo animus dejiciendus, ut docemur ex malis et misera Ecclesiæ conditione

Hæc Nobiscum conquesti, Venerabiles Fratres, non idcirco animum despondetis nec spem omnem abjicitis. Compertum vobis est, quam gravia christianæ reipublicæ certamina remotiores ætates, quamquam huic nostræ dissimiles, attulerint. Qua in re juverit in Anselmi tempora mentem animumque referre, quantum ex annalibus constat, sane difficillima. Fuit enim vere dimicandum pro aris et focis, hoc est, pro publici sanctitate juris, pro libertate, humanitate, doctrina, quarum rerum tutela uni erat Ecclesiæ commissa: cohibenda principum vis, quibus commune erat jus et fas omne miscere; extirpanda vitia, excolendæ mentes, ad civilem cultum revocandi homines, veteris immanitatis nondum obliti; excitanda cleri pars aut remissius agentis aut intemperantius; cujus ordinis haud pauci, principum arbitrio et pravis artibus electi, horum dominatui tamquam servi subesse atque in omnibus morigerari solerent.

quibus olim opem tulit S. Anselmus,

Hic erat rerum status in iis maxime regionibus, quibus in juvandis majorem Anselmus operam curamque collocavit, sive doctoris magisterio, sive exemplo religiosæ vitæ, sive Archiepiscopi ac Primatis assidua vigilantia et industria multiplici. Ejus namque singularia beneficia in primis expertæ sunt Galliæ provinciæ ac Britannicæ insulæ, paucis ante sæculis illæ in potestatem redactæ Normannorum, hæ

in sinum Ecclesiæ receptæ. Utraque gens, crebis agitata seditionibus externisque bellis divexata, causam relaxandæ disciplinæ, quum principibus eorumque imperio subjectis, tum clero populoque attulerunt.

His de rebus graviter queri numquam destiterunt ejus ævi summi viri, quo in numero vetus Anselmi magister idemque in Cantuariensi sede decessor, Lanfrancus; at potissimum Romani Pontifices, quorum unum commemorasse sit satis, invicto animi robore virum, justitiæ propugnatorem impavidum, Ecclesiæ jurium ac libertatis constantem adsertorem, pervigilem disciplinæ cleri custodem ac vindicem, Gregorium septimum. Horum studia et exempla æmulatus Anselmus, doloris vocem altius attollens, ad suæ principem gentis, qui ipso propinquo et amico gloriari solebat, hæc scribit: *Videtis, mi charissime domine, qualiter mater nostra Ecclesia Dei, quam Deus pulchram amicam et dilectam sponsam suam vocat, a malis principibus conculcatur; quomodo ab his, quibus ut advocatis ad tuitionem a Deo commendata est, ad eorum æternam damnationem tribulatur; qua præsumptione in proprios usus ipsi usurpaverunt res ejus; qua crudelitate in servitutem redigunt libertatem ejus; qua impietate contemnunt et dissipant legem et religionem ejus. Qui cum dedignantur Apostolici decretis (quæ ad robur christianæ religionis facit) esse obedientes, Petro utique apostolo, cujus vice fungitur, imo Christo, qui Petro commendavit suam Ecclesiam se probant esse inobedientes... Omnes namque qui nolunt subjecti esse legi Dei, absque dubio deputantur inimici Dei* (1). Hæc Anselmus; cujus utinam voces pronis auribus excepissent, non modo qui fortissimo illi principi successerunt, ejusque nepotes, verum etiam alii reges ac populi, quos tanto amore complexus est, tot præsidiis communivit ac beneficiis exornavit.

qui vocem constanter extollebat contra libertatis et jurium Ecclesiæ læsores,

Tantum interim abfuit ut in eum excitatæ molestiarum procellæ, direptiones, exsilia, conflictationes, præsertim in episcopi munere, virtutis ejus nervos eliderent, ut ipsum Ecclesiæ atque Apostolicæ Sedi arctius devinxerint. Quare ad memoratum Pontificem Paschalem scribens, angustiis pressus curisque distentus: *non timeo,* inquit, *exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad hæc omnia, Deo confortante, paratum est cor meum pro Apostolicæ Sedis obedientia*

quem molestiæ arctius devinciebant Ecclesiæ et Apostolicæ Sedi,

(1) *Epist.*, lib. III, ep. 65.

et Matris meæ Ecclesiæ Christi libertate (1). — Ad patrocinium et opem Cathedræ Petri confugit, eo consilio, *ne umquam religionis ecclesiasticæ et apostolicæ auctoritatis constantia aliquatenus per me aut propter me debilitetur,* prout litteris datis ad illustres Ecclesiæ Romanæ antistites duos ipse significat. Rationem autem causamque subjicit, in qua pastoralis fortitudinis ac dignitatis conspicia Nobis eminet nota: *Malo enim mori et, quamdiu vivam, omni penuria in exilio gravari, quam ut videam honestatem Ecclesiæ Dei, causa mei aut meo exemplo, ullo modo violari* (2).

qui pro Ecclesiæ honestate, libertate et integritate omnia impendebat.

Ecclesiæ igitur honestas illa, libertas, integritas, tria hæc dies noctesque sancti viri obversantur animo; pro harum incolumitate Deum effusis lacrimis, precibus, sacrificiis fatigat; his provehendis vires omnes intendit et resistendo acriter et patiendo viriliter; hæc actione, scriptis, voce tuetur. Ad eam defensionem sodales religiosos, antistites, clerum populumque fidelem suavibus iisque gravibus excitat verbis, usus etiam severioribus in eos principes, qui Ecclesiæ jura et libertatem ingenti cum sua suorumque jactura proculcarent.

Quæ loquendi libertas a Nobis episcopis imitanda est,

Nobiles illæ sacræ libertatis voces, quum valde hoc tempore opportunæ, tum dignæ plane sunt iis, quos *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (3), ne tum quidem fructu vacuæ quum, vel ob intermortuam fidem vel collapsos mores vel præjudicatas opiniones, obseratis auribus excipiuntur. Ad nos potissimum, Venerabiles Fratres, uti probe nostis, divina illa monitio refertur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (4); idque maxime ubi etiam *Altissimus dedit vocem suam* (5), per naturæ fremitum terrificasque calamitates expressam; vocem *Domini concutientis terram;* ingratam nostris auribus vocem alte insonantem, quod æternum non sit, nihil esse; *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (6); justitiæ vocem pariterque misericordiæ, devias nationes ad recti bonique tramitem revocantis. In

potissimum nostris temporibus calamitatum

(1) *Epist.*, lib. III, ep. 73.
(2) Ibid., lib. IV, ep. 47.
(3) *Act.*, XX, 28.
(4) Isai., LVIII, 1.
(5) *Ps.*, XVII, 14.
(6) *Hebr.*, XIII, 14.

hujusmodi publicis infortuniis altius nobis extollenda vox est; grandia fidei documenta non infimis modo inculcanda, sed summis et beate viventibus et gentium arbitris et adscitis in consilia regendarum civitatum; proponendæ omnibus firmissimæ illæ sententiæ, quarum veritatem cruentis historia notis confirmavit, cujus generis hæc: *Miseros autem facit populos peccatum* (1). — *Potentes autem potenter tormenta patientur* (2); atque item quod est in Ps. II: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram... Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.* Harum autem comminationum exitus exspectandi sunt acerbissimi, quum publica grassatur iniquitas, quum ab iis qui præsunt et a reliquis civibus in eo delinquitur maxime, quod e medio pellitur Deus et a Christi Ecclesia desciscitur; qua ex duplici aversione rerum omnium perturbatio sequitur et infinita prope miseriarum seges quum singulis tum universæ reipublicæ.

et iniquitatum,

Quod si talium scelerum affines esse silendo et acquiescendo possumus, prout non raro fit etiam a bonis, sacri pastores sibi quisque dicta putent aliisque opportune commendent quæ ad potentissimum Flandriæ principem ab Anselmo scripta leguntur: *Precor, obsecro, moneo, consulo, ut fidelis animæ vestræ, mi Domine, et ut in Deo vere dilecte, ut nunquam æstimetis vestræ celsitudinis minui dignitatem, si sponsæ Dei et matris vestræ Ecclesiæ amatis ei defenditis libertatem: nec putetis vos humiliari, si eam exaltatis, nec credatis vos debilitari si eam roboratis. Videte, circumspicite; exempla sunt in promptu; considerate principes qui illam impugnant et conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet; non eget dictu* (3). Quod idem luculentius etiam expressit, pari vi ac suavitate verborum, his ad Balduinum regem Hierosolymitanum scriptis: *Ut fidelissimus amicus precor vos, moneo, obsecro et Deum oro quatenus sub lege Dei vivendo voluntatem vestram voluntati Dei per omnia subdatis. Tunc enim vere regnatis ad vestram utilitatem, si regnatis secundum Dei voluntatem. Ne putetis vobis, sicut multi mali reges faciunt, Ecclesiam Dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut advocato et*

quarum ne silendo fiamus affines, audienda sunt monita S. Anselmi: de Ecclesiæ tuenda libertate,

(1) *Prov.*, XIV, 34.
(2) *Sap.*, VI, 7.
(3) *Epist.*, lib. IV, ep. 12.

defensori esse commendatam. NIHIL MAGIS DILIGIT DEUS IN HOC MUNDO QUAM LIBERTATEM ECCLESIÆ SUÆ. *Qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari. Liberam vult esse Deus sponsam suam, non ancillam. Qui eam sicut filii matrem tractant et honorant, vere se filios ejus et filios Dei esse probant. Qui vero illi quasi subditæ dominantur, non filios, sed alienos se faciunt, et ideo juste ab hæreditate et dote illi promissa exhæredantur* (1). — Ita e sancto Viri pectore fervidus in Ecclesiam amor erumpit; ita eminet studium libertatis tuendæ, qua nihil est magis in gerenda christiana republica necessarium, nihil Deo carius, ut ab eodem egregio Doctore affirmatum est brevi illa et vibranti sententia: *nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiæ suæ.* Nec est quidquam, Venerabiles Fratres, quo mens animusque Noster pateat apertius, quam verborum quæ retulimus crebra usurpatio.

qua nihil Deo carius;

de monendis proceribus

Ab ipso pariter mutuari monita libet ad principes proceresque conversa. Sic enim ad reginam Angliæ Matildam scribit: *Si recte, si bene, si efficaciter ipso actu vultis reddere grates, considerate reginam illam quam de mundo hoc sponsam sibi illi placuit eligere... Hanc, inquam, considerate... hanc exaltate, honorate, defendite, ut cum illa et in illa sponsa Deo placeatis et in æterna beatitudine cum illa regnando vivatis* (2). Tum vero maxime quum in filium aliquem terrena potestate inflatum incideritis, aut amantissimæ Matris oblitum, aut suave ejus imperium detrectantem, hæc memoria ne excidant: *Ad vos pertinet... ut hæc et hujusmodi... frequenter opportune importune suggeratis; et ut non dominum, sed advocatum, non privignum, sed filium se probet esse Ecclesiæ consulatis* (3). Nostri namque muneris est, idque præcipue nos decet, alia hæc nobili paternoque sensu ab Anselmo dicta suadere atque in hominum animis defigenda curare: *Cum audio aliquid de vobis quod Deo non placet et vobis non expedit, si vos monere negligo, nec Deum timeo, nec vos diligo sicut debeo* (4). — Si autem auditum sit nobis *quia ecclesias, quæ in manu vestra sunt, aliter tractatis quam illis expediat et animæ vestræ*, tunc, Anselmum imitati, debemus

et terrena potestate inflatis

et ecclesias minus bene tractantibus.

(1) *Epist.*, lib. IV, ep. 8.
(2) *Epist.*, lib. III, ep. 57.
(3) Ibid., ep. 59.
(4) Ibid., lib. IV, ep. 52.

iterum rogare et consulere et monere, *ut hæc non negligenter mente pertractetis, et si quid vobis conscientia vestra in his corrigendum testabitur, corrigere festinetis* (1). — *Nihil enim est contemnendum quod corrigi possit, quia Deus exigit ab omnibus, non solum quod male agunt, sed etiam quod non corrigunt mala quæ corrigere possunt. Et quanto potentiores sunt ut corrigant, tanto districtius exigit ab illis Deus, ut secundum potestatem misericorditer impensam bene velint et faciant... Si autem non omnia simul potestis, non debetis propter hoc quin a melioribus ad meliora studeatis proficere, quia bona proposita et bonos conatus Deus solet benigne perficere et beata plenitudine retribuere* (2).

Libertati quidem episcoporum multa hodie apponuntur impedimenta.

Hæc aliaque id genus, ab ipso fortiter sapienterque regum et potentissimorum hominum auribus inculcata, sacris pastoribus Ecclesiæque principibus apprime conveniunt, quibus veritatis, justitiæ, religionis est commissa defensio. Multa quidem attulit impedimenta dies, totque Nobis injecti sunt laquei, ut jam vix reliquus sit locus ubi liceat expedite ac tuto versari. Dum enim impunitæ rerum omnium licentiæ fræna remittuntur, acri pertinacia compedibus Ecclesia constringitur, et, retento ad ludibrium libertatis nomine, novis in dies artibus omnis vestra clerique actio præpeditur, ita ut nihil habeat admirationis, *quod non omnia simul potestis* ad homines ab errore et vitiis revocandos, ad malas consuetudines removendas, ad veri rectique notiones in mentibus inserendas, ad Ecclesiam denique tot pressam angustiis relevandam.

Sed est cur animum erigamus. Aderit Deus

Sed est cur animum erigamus. Vivit enim Dominus efficietque ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum* (3). Ipse a malis bona derivabit, eo splendidiores largiturus Ecclesiæ triumphos, quo pervicacius nisa est opus Ejus intercipere humana perversitas. Est hoc admirabile divinæ Providentiæ consilium; hæ sunt in præsenti rerum ordine *investigabiles viæ ejus* (4); — *non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus* (5), — ut ad

(1) *Epist.*, lib. IV, ep. 52.
(2) Ibid., lib. III, ep. 142.
(3) *Rom.*, VIII, 28.
(4) Ibid., XI, 33.
(5) Isai., LV, 8.

qui Ecclesiæ hanc constituit legem ut angustiis, exerceatur,

Christi similitudinem Ecclesia in dies propius accedat et expressam referat Ipsius imaginem, tot ac tanta perpessi, ita ut quodammodo adimpleat *ea quæ desunt passionum Christi* (1). Quocirca eidem in terris militanti hæc est divinitus constituta lex, ut contentionibus, molestiis, angustiis perpetuo exerceatur, quo vitæ genere queat *per multas tribulationes... intrare in regnum Dei* (2), et Ecclesiæ in cælo triumphanti tandem aliquando se adjungere.

ut exponit S. Anselmus.

Ad rem Anselmus Matthæi locum illum: *Compulit Jesus discipulos suos ascendere in naviculam,* sic explanat: *Juxta mysticam intelligentiam summatim describitur Ecclesiæ status ab adventu Salvatoris usque ad finem sæculi... Navis igitur* IN MEDIO MARIS JACTABATUR FLUCTIBUS, *dum Jesus in montis cacumine moraretur; quia ex quo Salvator in cælum ascendit, sancta Ecclesia magnis tribulationibus in hoc mundo agitata est, et variis persecutionum turbinibus pulsata, ac diversis malorum hominum pravitatibus vexata, vitiisque multimode tentata.* ERAT ENIM EI CONTRARIUS VENTUS, *quia flatus malignorum spirituum ei semper adversatur, ue ad portum salutis perveniat; obruere eam nititur fluctibus adversitatum sæculi, omnes quas valet contrarietates ei commovens* (3).

Errant igitur qui sperant Ecclesiæ statum perturbationum expertem.

Vehementer igitur errant qui Ecclesiæ statum sibi fingunt ac sperant omnium perturbationum expertem, in quo, rebus ad voluntatem fluentibus, nullo repugnante sacræ potestatis auctoritati atque imperio, frui liceat quasi otio jucundissimo. Turpius etiam decipiuntur qui, falsa et inani spe ducti potiundæ hujusmodi pacis, Ecclesiæ res et jura dissimulant, privatis rationibus postponunt, injuste deminuunt, mundo qui *totus in maligno positus est* (4), assentantur per speciem captandæ gratiæ fautorum novitatis et conciliandæ iisdem Ecclesiæ, quasi lucis cum tenebris aut Christi cum Belial ulla possit esse conventio. Sunt hæc ægri somnia, quorum vanæ species fingi nunquam desierunt, nec desinent quamdiu aut ignavi milites erunt, qui, simul ac viderint hostem, abjecto scuto fugiant, aut proditores, qui festinent cum inimico pacisci, hoc est in re nostra, cum Dei atque humani generis hoste infensissimo.

---

(1) *Coloss.*, I, 24.
(2) *Act.*, XIV, 21.
(3) *Hom.*, III.
(4) I. JOAN. V, 19.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, quos christianæ plebis pastores ac duces divina Providentia constituit, curare pro viribus ut in pravum hunc morem prona ætas omittat, flagrante tam sævo in Religionem bello, turpi socordia torpescere, neutris in partibus esse, per ambages et compromissa divina atque humana jura pervertere, insculptamque in animo retineat certam illam ac definitam Christi sententiam: *Qui non est mecum, contra me est* (1). Non quod paterna caritate abundare minime oporteat Christi ministros, ad quos maxime pertinent Pauli verba: *omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (2), aut quod nunquam deceat paullum etiam de suo jure decedere, quantum liceat et animorum postulet salus. Offensionis hujus nulla cadit in vos certe suspicio, quos Christi caritas urget. Verum æqua ista deditio nullam habet violati officii reprehensionem, atque æterna veritatis et justitiæ fundamenta ne minimum quidem attingit.

Episcopis ergo nitendum est contra socordiam et indifferentismum

cum caritate tamen et indulgentia,

Sic nempe factum legimus in Anselmi, seu potius in Dei Ecclesiæque causa, pro qua illi tamdiu fuit ac tam aspere dimicandum. Itaque, composito tandem diuturno dissidio, Decessor Noster, quem sæpe memoravimus, Paschalis, his eum verbis extollit: *Hoc nimirum tuæ caritatis gratia tuarumque orationum instantia factum credimus, ut in parte populum illum, cui tua sollicitudo præsidet, miseratio superna respiceret.* — De paterna vero indulgentia, qua idem Summus Pontifex sontes excepit, hæc habet: *Quod autem... adeo condescendimus, eo affectu et compassione factum noveris, ut eos qui jacebant erigere valeamus. Qui enim stans jacenti ad sublevandum manum porrigit, nunquam jacentem eriget, nisi et ipse curvetur. Ceterum, quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit* (3).

ut egit S. Anselmus.

Hæc Nobis vindicantes a piissimo Decessore Nostro ad Anselmi solatium prolata, dissimulare nolumus tamen anxias animi dubitationes, quibus vel optimi inter sacros pastores aliquando distinentur in ancipiti consilio aut remissius agendi aut resistendi constantius. Cujus rei argumento esse possunt angores, trepidationes, lacrimæ sanctissimorum hominum,

Ast utrum indulgendum sit an resistendum si dubitetur,

(1) Matth., XII, 30.
(2) I. *Cor.*, IX, 22.
(3) In libro III *Epist. S. Anselmi*, ep. 140.

imitandum exemplum S. Anselmi, qui curis distentus

quibus magis explorata erat animorum regiminis gravitas receptique in se periculi magnitudo. Luculentum vero testimonium Anselmi vita suppeditat, cui a grato pietatis et studiorum secessu, ad amplissima munia, difficillimis temporibus, uti diximus, adscito, fuerunt acerbissima quæque subeunda. Cumque tot curis esset implicitus, nihil magis verebatur, quam ne suæ populique saluti, Dei honori, Ecclesiæ dignitati satis foret per se consultum. His autem cogitationibus conflictatum animum, eundemque propter defectionem plurimorum, e numero etiam sacrorum antistitum, gravi dolore incensum nihil magis recreabat, quam collocata in Dei ope fiducia et quæsitum in Ecclesiæ sinu perfugium. Itaque *in naufragio positus... procellis irruentibus, ad sinum matris Ecclesiæ* confugiebat, a Romano Pontifice petens *pium et promptum adjutorium et solamen* (1). Divino autem fortasse consilio factum est, ut singulari sapientia et sanctitate vir tot adversis urgeretur. Per eas enim ærumnas exemplo ac solatio nobis esse potuit in sacro ministerio laborantibus et in maximas difficultates conjectis, ita ut unicuique nostrum liceat idem sentire ac velle quod Paulus: *Libenter... gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis...; cum enim infirmor, tunc potens sum* (2). His non aliena sunt quæ ad Urbanum II scribit Anselmus: *Sancte Pater, doleo me esse quod sum, doleo me non esse quod fui. Doleo me esse episcopum, quia peccatis meis facientibus non ago episcopi officium. In loco humili aliquid agere videbar; in sublimi positus prægrandi onere pressus, nec mihi fructum facio, nec utilis alicui existo. Oneri quidem succumbo, quia virium, virtutum, industriæ, scientiæ tanto officio competentium inopiam, plusquam credibile videatur, patior. Curam importabilem cupio fugere, pondus relinquere; Deum e contrario timeo offendere. Timor Dei illud me suscipere compulit, timor idem onus idem me retinere compellit.... Nunc, quia voluntas Dei me latet, et quid agam nescio, errabundus suspiro, et quem rei finem imponere debeam ignoro* (3).

summa fiducia ad Deum et ad S. Sedem confugiebat.

Ita natura infirmi gratia præstant,

Divinæ sic bonitati placuit, vel eximiæ sanctitatis viros non ignorare, quæ sua sit naturalis infirmitas, ut persuasum

(1) *Epist.*, lib. III, ep. 37.
(2) II, *Cor.*, XII, 9, 10.
(3) *Epist.*, lib. III, ep. 37.

sit omnibus, si quid ipsi præclare egerint, id supernæ virtuti esse totum tribuendum, atque ut per animi demissionem adducantur homines ad Ecclesiæ auctoritatem impensiore studio colendam. Id Anselmo aliisque contigit episcopis pro Ecclesiæ libertate ac doctrina dimicantibus, duce Sede Apostolica; qui obedientiæ suæ hunc fructum retulerunt, ut ex certamine victores discederent, suoque exemplo divinam sententiam confirmarent: *vir obediens loquetur victoriam* (1). Consequendi autem hujusmodi præmii spes maxima illis affulget, qui Christi personam gerenti sincero animo pareant in iis omnibus, quæ aut regimen animorum spectent aut administrationem christianæ reipublicæ aut alia cum his aliqua ratione conjuncta; *quoniam de Sedis Apostolicæ auctoritate pendent filiorum Ecclesiæ directiones et consilia* (2).

per humilitatem Ecclesiæ magis devinciuntur

et per obedientiam triumphant.

Hoc genere laudis Anselmus quantum præstiterit, quo ardore, qua fide conjunctionem cum Petri Sede retinuerit, ex his licet colligere, quæ ad eundem Paschalem Pontificem ab eo scripta leguntur: *Quanto studio mens mea Sedis Apostolicæ reverentiam et obedientiam pro sua possibilitate amplectatur, testantur multæ et gravissimæ tribulationes cordis mei, soli Deo et mihi notæ... A qua intentione spero in Deo, quia nihil est quod me retrahere possit. Quapropter in quantum mihi possibile est, omnes actus meos ejusdem auctoritatis dispositioni dirigendos, et ubi opus est, corrigendos vôlo committere* (3).

Eminuit S. Anselmus arcta sua cum S. Sede conjunctione

Eandem viri firmissimam voluntatem acta ejus omnia et scripta testantur, in primisque litteræ illæ suavissimæ, quas *caritatis calamo scriptas* (4) dicit memoratus Decessor Noster Paschalis. Nec vero suis ipse litteris pium modo *adjutorium et solamen implorat* (5), sed non intermissas preces adhibiturum se Deo pollicetur, ut cum ad Urbanum II Beccensis Abbas scriberet his verbis amantissimis usus: *Pro vestra et Romanæ Ecclesiæ tribulatione, quæ nostra et omnium vere fidelium est, non cessamus orare Deum assidue, ut mitiget vobis a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea. Et certi sumus, etiamnum*

---

(1) *Prov.*, XXI, 28.
(2) *Epist.*, lib. IV, ep. 1.
(3) Ibid. ep. 5.
(4) In lib. III *Epist. S. Anselmi*, ep. 74.
(5) Ibid., ep. 37.

nobis moram videatur facere, quoniam non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum; quia hæreditatem suam non derelinquet, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (1).

Quibus aliisque id genus ab Anselmo scriptis mirifice delectamur, tum ob instauratam viri memoriam, quo nemo sane huic Apostolicæ Sedi devinctior, tum ob excitatam recordationem conjunctissimæ voluntatis vestræ, Venerabiles Fratres, in dimicationis non dispari genere, litteris aliisque officiis quamplurimis declaratæ.

qualis hodie mirabilis et devinctior existit

Mirum profecto quantum roboris ac firmitatis accepit, desævientibus longo sæculorum cursu in christianum nomen procellis, conjunctionis ista necessitudo, qua sacrorum antistites et fidelis grex arctius in dies Romano Pontifici adhæserunt ad hæc usque tempora, quibus ardor ille adeo succrevit, ut divino quodam prodigio videantur voluntates hominum in tantum consensum potuisse coalescere. Quæ quidem amoris et obsequii conspiratio dum Nos plurimum erigit planeque confirmat, Ecclesiæ decori est ac præsidio validissimo. Sed hoc nempe major in nos antiqui serpentis invidia conflatur, quo præstantius est delatum beneficium; eoque graviores in nos iræ colliguntur impiorum hominum, quo acrius hi rei novitate percelluntur. Nec enim simile quidquam in reliquis consociationibus admirantur, nec facti rationem cernunt ullam, sive a publicis causis sive ab alia quavis humana re petitam, nec secum reputant sublimem Christi precationem, cum discipulis postremum discumbentis, eventu comprobatam.

estque decori et præsidio Ecclesiæ,

ideoque summa ope promovenda

Summa igitur ope niti oportet, Venerabiles Fratres, ut apte cohærentia cum capite membra solidiore in dies nexu obstringantur, divinarum rerum ratione habita, non terrestrium, ita ut omnes *unum simus* in Christo. Ad hunc finem si velis remisque contendemus, functi erimus optime delato nobis officio provehendi Christi operis et regni ejus in terris dilatandi. Huc spectat suavis illa petitio, qua Ecclesia cælestem Sponsum urget assidue, in qua Nostrorum summa votorum continetur: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (2).

---

(1) In libro II *Epist. S. Anselmi*, ep. 33.
(2) Joan., XVII, 11.

Hæ autem industriæ propositam habent defensionem, non modo contra externas impugnationes in acie dimicantium ut Ecclesiæ jura et libertatem labefactent, sed etiam contra domestici atque intestini belli pericula, cujus rei superius incidit mentio, quum doluimus esse genus hominum quoddam, qui subdolis opinionum commentis nitantur Ecclesiæ formam ac naturam ipsam immutare penitus, doctrinæ integritatem violare, disciplinam omnem pessumdare. Serpit adhuc per hos dies memoratum illud virus infecitque non paucos, etiam sacri ordinis homines, præsertim juvenes, inquinato, uti diximus, quasi aëre afflatos, quos effrenata novitatis libido præcipites agit ac respirare non sinit.

in defensionem maxime contra

domesticos hostes Modernistas,

Sunt etiam in his qui, tardioris ingenii et intemperantis animi spectaculum exhibentes, quidquid affert incrementi dies iis disciplinis quæ in adspectabilis naturæ investigatione versantur et ad præsentis vitæ utilitatem aut commoditatem pertinent, ea, tamquam nova tela, in veritatem divinitus traditam, per summam astutiam et arrogantiam intorqueant. Hi meminerint, incautæ novitatis fautorum quam variæ fuerint ac discrepantes sententiæ de rebus ad agnitionem animi et ad moderandam vitam plane necessariis, cognoscantque, hanc esse humanæ superbiæ constitutam pœnam, ut constent sibi nunquam, et in ipso cursu ante obruantur, quam portum veritatis conspicere potuerint. Sed hi fere ne ipso quidem sui exemplo didicerunt de se tandem sentire demissius atque amovere *consilia... et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (1).

quorum alii quasvis scientiarum novitates in fidem arrogantes intorquent,

Quin etiam a nimia arrogantia in contrarium vitium delapsi sunt, eam philosophandi rationem secuti, quæ, de omnibus dubitando, quasi noctem quandam rebus offundit, et *agnosticismum* professi cum errorum comitatu multiplici atque infinita prope sententiarum varietate inter se mire pugnantium; quo opinionum conflictu *evanuerunt in cogitationibus suis... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (2).

alii animo dejecti agnosticismum profitentur.

Grandibus interim ac fucatis istorum verbis, novam sapientiam quasi cælo delapsam reconditasque discendi vias

(1) II. *Cor.* X, 4, 5.
(2) *Rom.*, I, 21, 22.

pollicentium, juvenum pars labare paulatim atque averti cœpit; quod idem olim accidit Augustino, manicheorum fraudibus circumvento. Verum de funestis hisce insanientis sapientiæ magistris, de ipsorum ausibus, deceptionibus, fallaciis satis diximus in Encyclicis Litteris datis die VIII mensis Septembris anno MDCCCCVII, quarum initium *Pascendi dominici gregis.*

Pari modo, S. Anselmi tempore

Illud hoc loco animadvertisse juverit, quæ memoravimus pericula, graviora quidem nunc esse atque imminere propius; non tamen iis penitus absimilia quæ Anselmi tempore Ecclesiæ doctrinæ impendebant. Considerandum præterea, pari propemodum nobis præsidio ac solatio esse posse Anselmi doctrinam ad tutelam veritatis, atque apostolicum ejus robur ad Ecclesiæ jurium ac libertatis defensionem.

erat duplex ingeniis periculum:

Atque heic persequi omittentes quænam remotæ illius ætatis fuerit humanitas, qui cleri populique cultus, breviter attingemus creatum eo tempore ingeniis periculum duplex, eo quod in opposita extrema decurrerint.

alii ex inani scientia spernebant sacras auctoritates,

Fuerunt enim inepti homines et vani, qui leviter ac permixte eruditi, cognitionum indigesta mole gloriarentur, inani philosophiæ vel dialecticæ specie decepti. Hi quidem per inanem fallaciam scientiæ nomine obtectam, spernebant sacras auctoritates, *nefanda temeritate audent disputare contra aliquid eorum quæ fides christiana confitetur,... et potius insipienti superbia judicant nullatenus posse esse quod nequeunt intelligere, quam humili sapientia fateantur esse multa posse quæ ipsi non valeant comprehendere .. Solent enim quidam cum cœperint quasi cornua confidentis sibi scientiæ producere, nescientes quod si quis æstimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire, antequam habeant per soliditatem fidei alas spiritales, præsumendo in altissimas de fide quæstiones assurgere. Unde fit ut dum... præpostere prius per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere* (1). Atque horum similia exempla complura hodie quoque versantur ante oculos.

alii contrà omnem de fide disputationem refugiebant.

Alii contra, remissioris animi, multorum casu perculsi qui naufragium in fide fecerunt, et periculum veriti scientiæ quæ *inflat,* eo devenerunt ut omnem philosophiæ usum, forte etiam solidam quamvis de sacris rebus disputationem defugerent.

---

(1) S. Anselm., *De fide Trinitatis*, cap. 2.

Media inter utramque partem catholica consuetudo consistit, æque aversata et priorum arrogantiam, a Gregorio IX ævo insequenti reprehensam, qui *spiritu vanitatis ut uter distenti... fidem conantur plus debito ratione adstruere naturali... adulterantes verbum Dei philosophorum figmentis* (1), et horum negligentiam, qui nulla investigandi veri cupiditate trahuntur, neque curant *per fidem ad intellectum proficere* (2), præsertim si eorum officii ratio postulet catholicæ fidei contra tot congestos errores defensionem.

Media incedit catholica consuetudo

Ad quam suscipiendam divinitus excitatus videtur Anselmus, ut exemplo, voce, scriptis tutum iter ostenderet, christianæ sapientiæ latices ad commune bonum derivaret, duxque esset ac norma doctoribus, qui post ipsum *sacras litteras scholastica methodo tradiderunt* (3), quorum ipse præcursor merito est nuncupatus et habitus.

quam docuit S. Anselmus, scholasticæ methodi præcursor,

Quamquam hæc non ita sunt accipienda quasi Augustanus doctor primo statim gressu fuerit philosophiæ ac theologiæ fastigia consequutus aut ad summorum virorum Thomæ ac Bonaventuræ famam processerit. Horum enim sapientiæ seriores fructus multa dies et conjunctus magistrorum labor maturarunt. Ipsemet Anselmus, qua erat modestia sapientium propria, non minus quam celeritate ac subtilitate mentis, nihil a se scriptum edidit nisi oblata occasione, aut aliorum auctoritate compulsus, monetque constanter: *si quid diximus quod corrigendum sit, non renuo correctionem* (4); quin etiam, ubi res citra fidem posita sit et in quæstione versetur, non vult discipulum *sic his quæ diximus inhærere ut ea pertinaciter teneas, si quis validioribus argumentis hæc destruere et diversa valuerit astruere; quod si contigerit, saltem ad exercitationem disputandi nobis hæc profecisse non negabis* (5).

qui subsequentibus Doctoribus

magna modestia

Nihilominus multo plura est adeptus quam aut ipse speraret aut alius quisquam de se polliceretur. Adeo namque profecit, ut eorum qui sequuti sunt gloria nihil ejus laudi

sed non minore fructu

---

(1) Gregor. IX, *Epist.* « *Tacti dolore cordis* » ad theologos Parisien., 7 Jul. 1228.

(2) In libro II *Epist. S. Anselmi*, ep. 41.

(3) *Breviar. Rom.*, die 21 Aprilis.

(4) *Cur Deus homo*, lib. II, cap. 23.

(5) *De Grammatico*, cap. 21 sub finem.

detraxerit, ne ipsius quidem Thomæ nobilitas, quamvis huic non omnia probata fuerint ab ipso conclusa, alia etiam retractata sint planius atque perfectius. Anselmo tamen hoc maxime tribuendum, quod is investigationi straverit viam, timidiorum suspiciones diluerit, incautos a periculis tutos præstiterit, pertinacium cavillatorum damna propulsaverit, qui ab ipso sic jure designantur: *illi... nostri temporis dialectici, imo dialectice hæretici* (1), quorum intellectus esset suis deliramentis et ambitioni mancipatus.

viam stravit

et contra pertinaciam cavillatorum dialecticorum

De extremis hisce ait: *Quumque omnes, ut cautissime ad sacræ paginæ quæstiones accedant, sint commonendi, illi utique nostri temporis dialectici... prorsus a spiritualium quæstionum disputatione sunt exsufflandi.* Quam vero subdit ratio, apte cadit in hodiernos eorum imitatores, a quibus absurda illa recinuntur: *In eorum quippe animabus ratio, quæ et princeps et judex omnium debet esse quæ sunt in homine, sic est in imaginationibus corporalibus obvoluta, ut ex eis se non possit evolvere nec ab ipsis ea, quæ ipsa sola et pura contemplari debet, valet discernere* (2). Nec aliena videntur huic tempori verba, quibus id genus philosophos ridet, *qui quoniam quod credunt intelligere non possunt, disputant contra ejusdem fidei a sanctis Patribus confirmatam veritatem; velut si vespertiliones et noctuæ non nisi in nocte cælum videntes, de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas solem ipsum irreverberato visu intuentes* (3). Quapropter et hoc loco et alibi (4) depravatam eorum opinionem reprehendit, qui philosophiæ plus æquo concedentes, jus illi adserebant theologiæ campum pervadendi.

rite exponit

Huic insaniæ se opponens egregius Doctor suos cuique fines constituit utrique disciplinæ, ac satis monet, quodnam sit munus et officium rationis naturalis in rebus quæ doctrinam divinitus revelatam attingunt: *Fides... nostra,* inquit, *contra impios ratione defendenda est.* — At quomodo et quousque? — Verba quæ sequuntur aperte declarant: *illis... rationabiliter ostendendum est quam irrationabiliter nos contemnant* (5). Philosophiæ igitur munus est præcipuum, in perspicuo ponere fidei

proprium philosophiæ

(1) *De fide Trinitatis,* cap. 2.
(2) *De fide Trinitatis,* cap. 2.
(3) Ibid.
(4) In libro II *Epist. S. Anselmi,* ep. 41.
(5) In libro II *Epist. S. Anselmi,* ep. 41.

nostræ *rationabile obsequium,* et, quod inde consequitur, officium adjungendæ fidei auctoritati divinæ altissima mysteria proponenti, quæ plurimis testata veritatis indiciis, *credibilia facta sunt nimis.* Longe aliud ab hoc theologiæ munus est, quæ divina revelatione nititur et in fide solidiores efficit eos qui christiani nominis honore se gaudere fatentur; *nullus quippe christianus debet disputare quomodo, quod catholica Ecclesia corde credit et ore confitetur, non sit; sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliter quantum potest, quærere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum* (1).

ac theologiæ munus

Quum igitur vel theologi quærunt vel fideles petunt de fide nostra rationes, non his fundamentis, sed revelantis Dei auctoritate nituntur, hoc est, ut habet Anselmus: *sicut rectus ordo exigit ut profunda christianæ fidei,* quæ mysteria dicuntur, *credamus priusquam ea præsumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere* (2). De illa profecto intelligentia loquitur, de qua Vaticana Synodus (3); alio enim loco sic disserit: *Quamvis post Apostolos, sancti Patres et Doctores nostri multi tot et tanta de fidei nostræ ratione dicant..., non omnia quæ possent, si diutius vixisseut, dicere potuerunt, et veritatis ratio tam ampla tamque profunda est, ut a mortalibus nequeat exhauriri; et Dominus in Ecclesia sua, cum qua se esse usque ad consummationem sæculi promittit, gratiæ suæ dona non desinit impertiri. Et ut alia taceam, quibus sacra pagina nos ad investigandam rationem invitat, ubi dicit: nisi credideritis non intelligetis, aperte nos monet intentionem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum debeamus proficere.* Nec est prætereunda ratio quam addit extremam: *inter fidem et speciem, intellectum quem in hac vita capimus, esse medium,* ideoque *quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propinquare specici ad quam omnes anhælamus* (4).

et necessitatem intelligentiæ ac studii fidei.

Solida hæc, — ut alia prætereamus, — per Anselmum philosophiæ ac theologiæ jacta sunt fundamenta; hæc in

Ita proposita studiorum

(1) *De fide Trinitatis,* cap. 2.
(2) *Cur Deus homo,* lib. I, cap. 2.
(3) Constit. *Dei filius,* cap. 4.
(4) *De fide Trinitatis,* Præfatio.

ratio, quam Scholastici expoliverunt,

posterorum usum ab ipso fuit studiorum ratio proposita, quam sequuti deinde sapientissimi viri *Scholasticorum* principes, in quibus maxime doctor Aquinas, magnis incrementis ditarunt, illustrarunt, expoliverunt, ad eximium Ecclesiæ decus atque præsidium. Hæc autem de Anselmo commemorasse placuit, Venerabiles Fratres, quod optatam Nobis occasionem attulerunt vos iterunt cohortandi ut saluberrimos christianæ sapientiæ fontes, ab Augustano doctore primum reclusos, ab Aquinate locupletatos uberrime, sacræ juventuti pervios esse curetis. Qua in re memoria ne excidant quæ Decessor Noster fel. rec. Leo XIII (1). Nosque ipsi documenta dedimus, quum sæpe alias, tum etiam Encyclicis Litteris die VII mensis Septembris anno MDCCCCVII, queis initium *Pascendi dominici gregis*. Patent heu nimium ruinæ, quæ, neglectis hisce studiis aut nec certa nec tuta via susceptis, effossæ sunt, quum non pauci, etiam e clero, nec idonei nec parati, minime dubitarint *præsumendo in altissimas de fide quæstiones assurgere* (2). Quæ una cum Anselmo lugentes, ejus verba usurpamus, ita graviter momentis: *Nemo ergo se temere immergat in condensa divinarum quæstionum, nisi prius firmus sit in soliditate fidei, conquisita morum et sapientiæ gravitate, ne per multiplicia sophismatum diverticula incauta levitate discurrens, aliqua tenaci illaqueetur falsitate* (3). Cui levitati si faces accedant cupiditatum, ut fere fit, actum est de studiis gravioribus ac de integritate doctrinæ. Inflati enim *insipiente superbia,* qualem in *hæretice dialecticis* dolet Anselmus, contemptui habent sacras auctoritates, id est divinas Litteras, Patres, Doctores, de quibus verecundioris ingenii judicium non esse poterit aliud nisi hoc: *Nec nostris nec futuris temporibus ullum illis parem in veritatis contemplatione speremus* (4). Nec majore in pretio habent Ecclesiæ monita vel Pontificis Maximi, eos ad meliorem frugem revocare conantium, pro rebus dare verba solliciti et in fictum obsequium proni, quo fuco auctoritatem sibi et plurimorum gratiam concilient. Fore autem ut hi ad saniora consilia se referant vix ulla spes affulget,

juventuti instanter est inculcanda.

Ea neglecta magna oriuntur errorum pericula,

maxime si accedant cupiditates:

(1) Encycl. *Æterni Patris* diei 4 Augusti MDCCCLXXIX.
(2) *De fide Trinitatis,* cap. 2.
(3) Ibid.
(4) *De fide Trinitatis,* Præfatio.

quod ei dicto audientes esse detrectent, cui *domino et Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis... divina Providentia... vitam et fidem christianam custodiendam et Ecclesiam suam regendam* commisit; ideoque *ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur; nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur* (1). Atque utinam perduelles isti, qui se candidos, apertos, omnis officii retinentissimos, usu rerum et religionis præditos, operosa fide pollentes tam facile profitentur, sapienter ab Anselmo dicta percipiant, ejus exemplo institutoque se gerant, idque maxime in animo defigant: *Prius ergo fide mundandum est cor... et prius per præceptorum Domini custodiam illuminandi sunt oculi... et prius per humilem obedientiam testimoniorum Dei debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam... Et non solum ad intelligendum altiora prohibetur mens ascendere sine fide et mandatorum Dei obedientia, sed etiam aliquando datus intellectus subtrahitur et fides ipsa subvertitur, neglecta bona conscientia* (2).

prius enim sectanda est fides et humilitas.

Quod si turbulenti homines ac protervi pergent causas errorum ac dissidii serere, doctrinæ sacræ patrimonium diripere, violare disciplinam, venerandas consuetudines habere ludibrio, quas *velle convellere genus est hæresis* (3), ipsam denique divinam Ecclesiæ constitutionem funditus evertere; jam videtis, Venerabiles Fratres, quam sit Nobis advigilandum ne tam dira pestis christianum gregem, adeoque tenériores fœtus, inficiat. Hoc a Deo non intermissis precibus flagitamus, interposito Augustæ Dei Matris patrocinio validissimo, deprecatoribus etiam adhibitis triumphantis Ecclesiæ beatis civibus, præsertim Anselmo, christianæ sapientiæ fulgido lumine ac sacrorum jurium omnium incorrupto custode strenuoque vindice. Quem gratum est iisdem compellare verbis, quibus etiam tum in terris degentem compellat sanctissimus Decessor Noster Gregorius VII: *Quoniam fructuum tuorum bonus odor ad nos usque redoluit, quam dignas grates Deo referimus, et te in Christi dilectione ex corde amplectimur, credentes pro certo, tuorum studiorum exemplis Ecclesiam Dei in*

Ideo gregi christiano invigilandum,

precibus fusis ad Deum per intercessionem S. Anselmi.

(1) Ibid.
(2) *De fide Trinitatis*, cap. 2.
(3) S. Anselm., *De nuptiis consanguineorum*, cap. 1.

melius promoveri, et tuis similiumque tibi precibus etiam ab instantibus periculis, Christi subveniente misericordia, posse eripi... Unde volumus tuam tuorumque fraternitatem assidue Deum orare, ut Ecclesiam suam et Nos, qui ei licet indigni præsidemus, ab instantibus hæreticorum oppressionibus eripiat, et illos, errore dimisso, ad viam veritatis reducat (1).

Talibus freti præsidiis et studio vestro confisi, apostolicam benedictionem, cælestis auspicem gratiæ et singularis Nostræ benevolentiæ testem, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, universoque clero et populo singulis commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum in festo S. Anselmi, die XXI mensis Aprilis anno MDCCCCIX, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. X.

(1) In libro II *Epist. S. Anselmi*, ep. 31.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Quodnam est criterium certum et universale inspirationis omnium librorum S. Scripturæ? Proba responsum.*

R. *Criterium inspirationis (quo sc. liber inspiratus a non inspirato dignoscitur) universale (quod sc. de singulis et omnibus libris inspiratis valet) et certum (quod np. facile et tuto ab omnibus, etiam minus doctis, cognosci possit) est solum testimonium divinum, divina infallibili Ecclesiæ traditione propositum.*

PROBATUR. I. **Criterium inspirationis universale et certum est solum testimonium divinum seu divina revelatio.** — Hanc propositionem exclusione reliquorum criteriorum demonstramus.

Etenim libri cujusdam inspiratio non potest probari *a priori*, seu ex ipsa inspirationis natura. Inspiratio siquidem active sumpta est libera Dei operatio ad extra, quam immediate in se inspicere profectò nullus valet. Inspiratio verò passive sumpta est effectus inspirationis activæ in hagiographo receptus, sc. supernaturalis illustratio intellectus et motio voluntatis; factum proin supernaturale internum seu psychologicum, per se insensibile neque ipsi inspirato necessariò notum. Inspiratio igitur libri *a posteriori* probari debet, np. vel ex ipso effectu seu termino inspirationis, i. e. ex ipso libro inspirato — vel ex testimonio.

Jamverò non potest cognosci ex ipsius libri inspirati indole seu *criteriis internis* (1), e. g. ex quodam sapore

(1) Uti præposterè Protestantes (qui sanciunt *solam* Scripturam esse regulam fidei) contenderunt et modo contendunt.

et gustu divino seu sanctis affectibus quos in legentium et audientium animis parit; ex veritate, sanctitate et sublimitate doctrinæ, ex miraculis narratis, prophetiis eventu completis etc. Ratio est duplex: Hujusmodi criteria neque omnibus (1) neque solis (2) libris inspiratis conveniunt, multoque minus singulis horum librorum partibus. In specie quoad miracula et prophetias: inveniuntur etiam in libris piis humanitus tantùm conscriptis, in libris sacris falsarum religionum. Præterea hæc criteria a subjectivo potius uniuscujusque legentis animo maxime pendent, viam hallucinationi facile sternunt, neque ad veram certitudinem in rebus mere humanis gegnendam sufficere possent. Non tamen negamus hæc criteria interna, maxime si conjunctim accipiantur, constituere notam quasi negativam inspirationis, in quantum ex iis efficaciter concluditur nihil obesse, ex parte libri interna, quominus Deus auctor reputetur. Imo complexus horum criteriorum constituere potest præjudicium positive suadens determinatum librum esse inspiratum. Cf. De San S. J., *Tractatus de divina Traditione et Scriptura*, Brugis 1903, p. 305.

Ergo libri cujusdam inspiratio est factum internum, supernaturale quod *solo testimonio* innotescere potest, testimonio sc. quod omnem rationabilem dubitationem excludat.

Verùm criterium certum et sufficiens *non est testimonium mere humanum* (3) ipsius auctoris inspirati (qui solus de facto interno inspirationis principaliter testimonium ferre posset).

---

(1) Ita v. g. quis contendet hujusmodi characteres in libris Paralipomenon seu Chronicorum (ut de iis tantum loquamur) reperiri?

(2) Talia criteria non esse S. Scripturæ exclusive propria ex eo patet, quod e. g. majori gradu in aliis libris piis, maxime in scriptis asceticis (ut in *Imitatione Christi, vitis sanctorum*) reperiri possunt.

(3) Notat rite Van Noort, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina*, Amstelodami 1906, p. 21: « Diximus, non sufficere testimonium *mere humanum* hagiographi; nam si hagiographus, *de cujus missione divina aliunde jam constaret*, propriam inspirationem testaretur, testimonium non esset mere humanum ».

Etenim inspiratio, sub formali ratione inspirationis, non necessariò percipitur ab inspirato; non potest præterea demonstrari omnes auctores inspiratos conscientiam inspirationis habuisse (1). Denique multi auctores, ut e. g. evangelistæ, de sua inspiratione nihil dixerunt. Demùm etsi homo diceret se ex divina inspiratione scripsisse, non eo ipso constaret hanc assertionem esse veram: in hoc negotio error et hallucinatio facilè oriri possunt, et scimus plures, uti pseudoprophetas et pseudoapocalypticos, se fuisse inspiratos falsò contendisse.

Unde concludendum est de divina inspiratione librorum nonnisi *divino testimonio* constare posse.

II. **Testimonium autem divinum, quod sit criterium universale et certum, sola infallibili traditione divina Ecclesiæ proponi debet.**

1/ Hujusmodi criterium non est immediatum Spiritus s. testimonium unicuique fideli lectori libros inspiratos revelatione particulari indicantis: hæc enim revelatio privata gratis, imo falsò asseritur; neque Protestantes eo criterio utentes in assignando librorum inspiratorum catalogo conveniunt.

2/ Requiritur ergo testimonium divinum per legitimum revelationis præconem editum et debito modo ad nos transmissum. Jamvero hujusmodi testimonium (2) transmitti potuit in aliquo libro ipsius Scripturæ; et revera testimonia pro inspiratione plurium librorum Scripturæ in aliis ejusdem Scripturæ partibus prostant (3), quamvis animadvertendum sit libros Scripturæ in hoc processu non adhiberi ut inspiratos, sed ut humanitus veraces tantum, cùm secus esset petitio principii.

---

(1) Cf. Pesch, *De Inspiratione S. Scripturæ*, Friburgi B. 1906, n. 420 et 587.

(2) Ut observat Van Noort, *o. c.*, p. 21 s.

(3) Cf. e. g. *II Tim.*, **3**, 15-17. Calmes, *Qu'est-ce que l'Ecriture Sainte*, Paris 1901, p. 5 ss.; Pesch, *o. c.*, p. 382 ss., 394, 607 ss.

Verùm hoc testimonium non est universale, quia non ad omnes libros extenditur, neque est certum et sufficiens pro omnibus, quia non omnes Scripturam legere possunt et ex ea discere, qui sint libri inspirati.

Remanet ergo ut testimonium divinum, quo docemur quibusnam libris canon seu catalogus Scripturæ constat, *ab Ecclesia infallibili proponatur*. Ecclesiæ autem infallibile magisterium authenticum, a Deo institutum ad conservandam ac propagandam omnem veritatem publice revelatam, modo certo et omnibus accommodato docuit in Conc. Tridentino (1) et Conc. Vaticano (2) quinam sint libri inspirati (3).

Nota. Traditionem igitur hîc intelligimus non historicam, uti aiunt, sed *divinam* sc. fontem fidei, medium divinum et infallibile doctrinam revelatam conservandi et proponendi, a Scriptura ut libro inspirato distinctum. Traditio autem *historica* confirmat (4) factum: revelationem de inspiratione Scripturæ ab initio factam esse Ecclesiæ. Etenim canon Tridentinus a Conc. Vaticano ut authenticus solemniter declaratus, collatis antiquæ traditionis documentis (5) ita eis consonus apparet, ut meritò censeatur fidelis esse expressio testimonii divini, quod ab Apostolorum tempore de ætate in ætatem divina traditione fuit conservatum (6).

A. Camerlynck.

---

(1) Sess. IV, Decreto de Can. Script., 9 Aprilis 1546.

(2) Constit. de fide cathol., can. II.

(3) Auctoritas divina Traditionis Ecclesiæ demonstratur quidem ex S. Scriptura, sed considerata, non ut divina seu inspirata, sed ut documentum humanum, humanitus verax, ità ut in hac demonstratione nullus circulus habeatur. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 215 s.

(4) Dicitur: *confirmat*. Etenim si Traditio Ecclesiæ mere historice accipiatur, propositam quæstionem solvere non valet, cum ultimò nitatur in testimonio humano ipsius scriptoris inspirati, quod criterium supra rejecimus.

(5) Antiquitatis testimonia collecta videsis in eruditissimo opere jam laudato Pesch. Cf. in specie opusculum nostrum: *St Irénée et le Canon du Nouveau Testament*, Louvain 1896.

(6) Cf. Ill^s Lambrecht, *Tractatus de locis theologicis*, Gandavi 1889, p. 84.

II

Q. *Expone notionem* potentiæ *divinæ.*

R. 1. « Potentia distinguitur: *activa* (werkensvermogen) et *passiva* (wordensvermogen). Activa est principium actus *alteri impertiendi;* passiva est principium actus *ab alio accipiendi* » (1). Potentia passiva seu capacitas recipiendæ perfectionis, quum opponatur ipsi actui vel perfectioni, in Deo esse nequit, quippe qui est actus omnino purus. Potentia vero activa, quum sit ad perficere et actuare, de se dicit perfectionem, et ideo attribuitur Deo. De potentia activa *ad extra* hic est sermo.

Sed apud creaturas, a quibus notionem potentiæ activæ accipimus, habetur aliqua imperfectio quæ est a Deo removenda. Etenim in omni agente finito, *actio* seu *operatio* ejusdem realiter distinguitur tum a natura illius, seu principio *remoto quo* agit, tum etiam a principio *proximo quo* agit, et tale agens ipsum quoque actione sua actuatur et perficitur: « hinc potentia activa agentis finiti non est sine imperfectione, non quidem in quantum *activa*, sed in quantum *deficiens a puritate activitatis* » (2). E contrario, in Deo nulla est

---

(1) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 265. — « Nomen *potentia* primo impositum est ad significandum *principium actionis;* sed secundo translatum est ad hoc ut illud etiam *quod recipit actionem agentis* potentiam habere dicatur: et hoc est potentia *passiva* ». S. Thomas, in I, Dist. XIII, Q. I, a. 1. Cf. *De Potentia,* Q. I, a. 1; *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 6. — Ulterius distinctionem inter potentiam *passivam,* proprie dictam, et potentiam tantum *receptivam* ponit Capreolus, *in* I, *Dist.* III, Q. III, a. 2: « Ad opera vitæ est (anima) proprie in potentia passiva, quia potest transiri ad illa et esse sub illis, et sub privatione illorum. Sed ad suas potentias (h. e. facultates operativas) non se habet in potentia nisi *receptiva,* et non *passiva,* proprie loquendo; sic quod nunquam potest esse sub talium potentiarum privatione, cum sint ejus naturales proprietates. Et eodem modo dicitur de essentia animæ respectu sui esse ».

(2) De Jaegher, *o. c.,* l. c.

realis distinctio operationis et principii agendi, et ipsa Dei essentia est ejus actio.

Inde sequitur quod divina potentia non est realiter principium *actionis* divinæ, sed *effectuum* a Deo productorum ad extra : in Deo enim nequit *produci* aliqua operatio, nec esse *processio per modum operationis* (1). Quum in creaturis ipsa *actio* sit media inter potentiam activam et effectum, in Deo tale medium non datur (2). « Cum Deus sit actus purus et perfectus, nulla in eo est potentia passiva, sed activa, non quidem ut distincta ab actu seu principium *actionis*, siquidem actio Dei est ejus essentia, sed ut principium *effectus* » (3).

Potentia igitur divina potest definiri : *Dei virtus causandi entia ad extra.*

2. Quum in Deo tum essentia, tum esse, tum operari sint realiter unum, jam patet *potentiam* divinam nec ab essentia, nec a qualibet divina perfectione *realiter* distingui.

Sed controversia est inter theologos utrum *potentia* divina distinguatur *secundum formalem rationem* ab intellectu et a voluntate, nempe utrum quemadmodum intellectus et voluntas, nostro intelligendi modo, formaliter distinguantur in Deo, ita etiam potentia sit alia ratio formalis et concipienda sit tamquam tertia facultas operativa, nempe ut principium formaliter *exsecutivum ad extra.*

Censemus autem potentiam divinam, sc. Dei virtutem

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 260.

(2) « Igitur in Deo salvatur ratio potentiæ quantum ad hoc quod est principium *effectus;* non autem quantum ad hoc quod est principium *actionis,* quæ est divina essentia. Nisi forte secundum modum intelligendi, prout divina essentia quæ in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi et sub ratione actionis et sub ratione potentiæ, sicut etiam intelligitur et sub ratione suppositi habentis naturam et sub ratione naturæ » S. Thomas, I, Q. XXV, a. 1, ad 3. Cf. *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 10.

(3) Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. VI, p. 165.

causandi res ad extra, *adæquate* quidem secundum rationem distingui ab *intellectu*, sed *inadæquate* tantum secundum rationem distingui a *voluntate*. Quod ut probemus, consideremus oportet in Deo, secundum nostrum concipiendi modum, tria esse quibus operatur ad extra: intellectum, voluntatem, potentiam (1). — *Intellectus*, cujus propria operatio est formaliter *cognoscere*, h. e. in se apprehendere res, non est, ex sua formali ratione, causa immediate efficiens res, quia de se non tendit in res exteriores; sed est causa rerum ut *dirigens* operationem voluntatis et ut præbens *ideas* secundum quas producuntur res (2). — *Voluntas*, cujus operatio est formaliter *velle* bonum, tendit in res exteriores, et est causa rerum formaliter ut *imperans*, jubens, aliquid esse. — In Deo autem illud imperium, ut videtur, est per se solum *efficax*, quatenus Deo *volendo efficit* ad extra id quod vult: etenim hæc perfectio qua Ens infinitum *vult* ut aliquid sit videtur ex seipsa sufficere ut res de facto sit: et sane actus voluntatis nostræ prout est volitio eorum quæ sunt alia a se, jam habet ordinem ad res quæ sunt extra; prout est imperium movens facultates ad operationem, jam est principium quoddam exsecutionis et productionis eorum effectuum, qui procedunt a facultate activa quæ subest imperio voluntatis: inest proinde actui voluntatis quidam ordo et quædam efficacia ad extra. Hæc quidem efficacia, in voluntate finita, est limitata, et non nisi mediata; si vero actus voluntatis sit infinitæ perfectionis, ejus efficacia erit quoque infinita, neque indigebit aliis viribus intermediis ad productionem effectus, sed *ex se* efficax erit (3). Igitur, ut videtur, nulla est concipienda in Deo potentia *mere*

(1) Cf. S. Thomas, *De potentia*, Q. I, a. 5.

(2) Cf. Ill.mus ac Rev.mus Waffelaert, *o. c.*, t. IV, p. 441 s.; Billot, *De Deo uno et trino*, Romæ, 1893 (1a Edit.) V. I, thes. XXIII.

(3) Ita Palmieri, *De Deo creante et elevante*, Romæ, 1888, Thes. V, p. 64.

exsecutiva, secundum rationem adæquate distincta ab ipsa efficacia imperii divini: sed *potentia* divina est ipsa *efficacia* imperii divini: supra rationem imperii addit potentia aliquid, nempe *efficaciam* imperii: sed hæc est distinctio tantum inadæquata, quia hæc efficacia est proprietas imperii necessaria. Hoc confirmatur etiam sequenti consideratione: si concipienda foret in Deo aliqua facultas mere exsecutiva, secundum suam formalem rationem adæquate distincta a volitione divina, concipiendum foret hanc facultatem actuari quando de facto res producuntur ad extra: nempe, in hypothesi facta, Deus ab æterno voluntate decrevisset res produci tali momento, sed facultas illa mere exsecutiva non ab æterno, sed initio temporis tantum, nempe quando de facto res extra Deum exstiterunt, habuisset suam propriam efficaciam et suam actualitatem in Deo: jamvero ille modus concipiendi videtur incompossibilis cum perfectissima *immutabilitate* Dei. E contrario, salvatur perfecte immutabilitas Dei quando concipitur imperium Dei *ex sese* efficax: nempe Deus ab æterno *vult* res fieri *tali momento*, *tali modo:* et ex hoc solo imperio *fiunt* res tali momento, tali modo (1).

Nota. Sententiam, quam propugnavimus, *forte veriorem* dicit Cajetanus (2), hancque defendunt Ferrariensis (3), Palmieri (4). Oppositam sententiam tuentur Durandus (5), Suarez (6), de Dorlodot (7).

De mente S. Thomæ disputatur: ipse explicite non ponit quæstionem circa quam præcise versatur controversia. In pluribus operum locis tradit divinæ ad extra actionis esse tria principia, scilicet intellectum ut dirigentem, voluntatem

---

(1) Cf. Molina, *Commentarium in I P. Summæ*, Q. XXV, a. 1, disp. 2.
(2) In I, Q. XXV, a. 1.
(3) *In Summam contra Gentiles*, L. II, c. 16.
(4) o. c. Thes. V, n. IV.
(5) In I, Dist. XXXVIII, Q. I.
(6) *Disputationes metaphysicæ*, disp. XXX, sect. XVII, n. 37 ss.
(7) *Quæstionum quodlibetalium duæ priores*, Lovanii, 1903, p. 24 ss.

ut imperantem, potentiam ut exsequentem, illaque non esse distincta secundum rem, sed solum secundum rationem (1); sed non explicat quomodo intelligat hanc distinctionem secundum rationem.

Ex altera parte, S. Thomas docet in Deo non esse nisi actiones *immanentes* et adjungit: « Hujusmodi autem non sunt nisi actiones *cognoscentis* et *appetentis*. Deus igitur *cognoscendo* et *volendo* agit et operatur (ad extra) » (2). Et alibi de eadem re loquens dicit « Ejus (h. e. Dei) *velle* est *ejus agere;* et hoc modo sunt res secundum quod Deus vult eas esse » (3). Præterea explicite docet S. Thomas angelos *solo imperio voluntatis* suæ movere corpora, ita ut ipsum imperium sit *efficax ad extra:* porro ratio hujus est quia in angelis nulla esse potest potentia nisi pertinens ad apprehensionem et appetitum intellectualem: et hoc est quia sunt puri spiritus. Si igitur S. Thomas tenet in angelo nullam esse potentiam seu facultatem operativam ad extra, distinctam ab angelica voluntate, quia angelus est purus spiritus, videtur dicendum S. Thomam non admittere ponendam esse in Deo facultatem mere exsecutivam secundum rationem adæquate distinctam a divina voluntate. Proinde videtur mentem S. Thomæ potius conformem esse sententiæ quam propugnamus.

En verba S. Thomæ de angelis: « In angelo aut dæmone, si incorporei ponantur, non est alia potentia neque operatio, nisi intellectus et voluntas: unde Dionysius dicit (cap. IV de divinis Nominibus) quod intellectuales sunt omnes eorum substantiæ, virtutes et operationes. Oportet enim quod virtus et operatio cujuslibet rei consequatur naturam ipsius. Angelus autem non est intellectus secundum suam partem, sicut anima; sed secundum suam totam naturam intellectualis est; unde nulla virtus seu potentia in Angelo potest esse nisi pertinens ad apprehensionem vel appetitum intellectualem. Non autem est inconveniens quod angeli aliqua corpora *solo imperio voluntatis* moveant motu dumtaxat locali: videmus

---

(1) Cf. In I, Dist. XLIV, Q. I, a. 1, ad 3; *De veritate,* Q. XXIII, a. 2, ad 3; *De Potentia,* Q. I, a. 5; *Summa theologica,* I, Q. XIX, a. 4, ad 4, Q. XXV, a. 1, ad 4.

(2) *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 23.

(3) *Ibid.,* c. 31.

enim quod anima humana solo intellectu et voluntate movet corpus sibi unitum. Quanto autem aliqua substantia intellectualis est altior, tanto habet virtutem motivam magis universalem : unde substantia separata a corpore potest movere imperio voluntatis aliquod corpus non sibi unitum ; et tanto magis, quanto substantia intellectualis fuerit altior... Est autem solius Dei proprium quod materia corporalis obediat ei ad nutum, quantum ad formarum susceptionem » (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Expone conditiones requisitas ad peccatum mortale.*

R. Cum omne peccatum sit *voluntaria carentia ordinis debiti ad Deum finem ultimum*, merito dicitur ad constituendum peccatum concurrere duplex elementum, nimirum *deordinationem* ab ultimo fine, unde peccatum habet rationem *mali*, et *voluntarietatem*, unde peccatum habet rationem *culpæ*. Hæc autem elementa, quibus constituitur ipse conceptus peccati, non inveniuntur eodem modo in peccato (personali) mortali et in veniali : nimirum utrumque elementum plene et *perfecte* invenitur in solo peccato mortali ; in veniali autem invenitur *imperfecte* vel utrumque vel alterutrum elementum (2).

Peccatum igitur est perfectum, et vocatur mortale, quando utrumque elementum adest perfecte : np. quando adest *deordinatio perfecta*, id est pertingens usque ad aversionem a Deo fine ultimo, et *voluntarietas perfecta*, id est plena advertentia intellectus et plenus consensus voluntatis (3). Has duas conditiones nunc exponimus.

I. **Ex parte objecti** requiritur **deordinatio perfecta** seu ut merito dicunt Auctores : **materia gravis.**

---

(1) *De Malo*, Q. XVI, a. 1 ad 14. Cf. *Quodlibetum* VI, a. 2 ; *Quodlibet* IX, a. 10 ; *Summa theologica*, I, Q. CX, a. 2 et 3.

(2) Ideo peccatum dicitur prædicari *analogice* de mortali et veniali. Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 331 ss.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 334 ss. ; S. Th. 1-2, q. 88, art. 2.

Materia potest esse gravis vel *objective,* ex objecto vel circumstantiis, et tunc habetur peccatum mortale materiale, vel *subjective,* id est in apprehensione intellectus, quando np. conscientia per errorem dictat graviter malum quod a parte rei non est nisi leviter malum, et tunc non habetur peccatum mortale materiale.

Peccatum dividitur in peccatum *grave ex genere suo* et peccatum *grave ex toto genere.* Prius illud est, cujus materia *potest esse gravis* in eadem specie manens, id est absque eo quod malitia alterius speciei accedat, v. g. furtum, et tale peccatum dicitur admittere parvitatem materiæ. Posterius illud est cujus materia *non potest non esse gravis,* ita ut parvitatem materiæ non admittat. Unde, abstrahendo a conscientia erronea, semiplena advertentia aut imperfecto consensu est semper mortale (1).

II. **Ex parte subjecti** requiritur **perfecta voluntarietas,** id est perfecta advertentia intellectus ad gravem malitiam et plenus consensus voluntatis.

1° **Plena advertentia** ad gravem malitiam actus.

Plena censetur advertentia quando homo plene sui compos, id est non impeditus notabili distractione aut abreptus turbatione, actionem apprehendit tamquam graviter illicitam. Non requiritur iterata reflexio aut temporis diuturnitas, imo sufficit directa advertentia et simplex judicium, dummodo fiat mente expedita ; neque necessaria est apprehensio actus formaliter ut est offensivus Dei legislatoris (2).

Quid sit perfecta advertentia, forte melius declaratur indicando *signa imperfectæ attentionis,* quæ sic notat BILLUART (3) : « 1. Si fueris semi-dormiens aut semi-ebrius. 2. Si quasi semi-dormiens rem tenuiter apprehenderis. 3. Si vehementi passione aut distractione [aut

(1) *Theol. Mechl., Tr. de peccatis,* n. 133.

(2) Qui *dubitat,* non de malitia actus, sed de gravitate malitiæ, peccat graviter. Cf. *Collat. Brug.,* t. VII, p. 446 et p. 583 ss.

(3) *Tractatus de peccatis,* Diss. VIII, art. 3.

scrupulositate] turbatus fueris. 4. Si post factum, rem melius considerans, judices te omnino non fuisse facturum, si ita apprehendisses ».

2° **Plenus consensus voluntatis.**

Talis consensus habetur quando homo, plene advertens ad gravem malitiam objecti, illud libere amplectitur. Imperfectam igitur advertentiam necessario sequitur imperfectus consensus.

Signa imperfecti consensus, præter signa imperfectæ advertentiæ, hæc dari possunt: 1. Si quis, ubi plene advertit tentationem, statim eam repellere conatus est. 2. Si quis plenius advertens statim angitur et dubitat utrum consenserit aut utrum dormiens an vigilans aliquid fecerit: nam « plenus consensus in mortale est tanta iniquitas, ut celari aut ignorari non possit, sed in recenti facile agnoscatur » (1). 3. Si facile potuisset exsequi peccatum, et tamen non est exsecutus. 4. Regula generalis dari potest, utilis præcipue confessario: Si quis est timoratæ conscientiæ et habitualiter paratus potius mori quam Deum lethaliter offendere, potest in dubio prudenter præsumere se non plene consensisse; contra, qui est laxæ conscientiæ, potius præsumere debet, in dubio, se peccasse graviter (2).

H. Mahieu.

IV

Q. *Expone quanam ratione fides theologica sit supernaturalis, tum quoad habitum, tum quoad actum.*

R. Determinabitur 1° *quare* (3) ad fidem gratia Dei

(1) Alvarez cit. apud Lacroix, *Theol. mor.*, L. I, n. 547.

(2) Quoad plenam advertentiam et plenum consensum, vide Billuart, *l. cit.*; S. Alph., L. VI, n. 476; *Theol. Mechl., Tr. de peccatis*, n. 130 ss.; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, T. I, n. 236.

(3) *Quod* gratia variis titulis exigatur, habes expositum et probatum variis textibus S. Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, apud varios AA. — Cfr. Bouquillon, *De Virt. theol.*, nn. 89 ss.

requiratur, et quænam proinde sit hujus gratiæ *indoles;* 2° quousque hæc gratia extendatur; ex quibus concludetur, qu. seq. quanam ratione fides sit dicenda supernaturale donum Dei. — Sit ergo

I. Quare ad fidem gratia Dei requiratur, hujusque gratiæ indoles.

Homini destinato ad *visionem* Dei beatificam, jam his in terris Deus sub velamine mysteriorum seipsum supernaturaliter manifestavit. Hac revelatione supposita, etiamsi ponatur hominem posse, absolute loquendo, solis viribus naturæ suæ tum ad *actum* fidei se disponere ipsumque elicere, tum repetitis actibus *habitum* fidei acquirere; — isti tamen actus sive prævii ad fidem sive ipsius fidei, (et idem dices de habitu sic acquisito):

1°/ essent entitative *naturales*, dum, Deo sic disponente, supernaturales requiruntur: revera a/ voluit Deus ut homo ipse *sua* activitate, actibus np. tali fini intrinsece proportionatis, tenderet in *finem* suum supernaturalem; actus autem naturales tales non essent, seu ut dicit Conc. Vatic. non essent « sicut oportet ad salutem »; b/ *objectum* seu veritates credendæ, hoc quoque (1) sensu supernaturales sunt, quod ordinem dicunt ad visionem beatificam quæ essentialiter supernaturalis est (2); ast iterum actus naturales huic conditioni et dignitati non sunt proportionati.

Ex his apparet gratiam requiri qua *elevantem*, illudque necessitate *physica*, ad hoc nim. ut actus hominis jam sint quoad substantiam supernaturales.

2°/ iidem actus sæpius essent homini valde difficiles

(1) Dicitur: hoc quoque sensu; sunt enim supernaturales ratione etiam supernaturalis revelationis.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, pp. 756 ss. Ad quid enim Deus proponeret seipsum *credendum* secundum quod est rationi impervius, nisi esset postea in suis profundis *videndus?* Quis enim sapiens ænigma et mysterium proponit tanquam terminum et finem, et non potius ut in agnitionem et visionem tandem aliquando solveretur? Unde dicuntur veritates a Deo revelatæ, *relative*, per relationem np. ad visionem Dei, supernaturales. Cfr. Billot, *De Virtutibus infusis*, pp. 334 s.

et *moraliter impossibiles* tum a/ *intellectui:* est enim *assensus fidei* assensus firmus super omnia, illudque ob auctoritatem alterius, et quidem in veritates rationi impervias; et sic est contra propensionem intellectus, præsertim exculti, quærentis scientiam et visionem potius quam fidem; item *judicia intellectus* prævia ad fidem (circa existentiam et auctoritatem divinam, circa factum revelationis, circa varia motiva credibilitatis huc necessaria), sæpe impedita existunt ob intellectus tenebras, errores, præjudicia, superbiam; — tum b/ *voluntati:* est enim fides assensus summe practicus, non tantum in veritates nude speculativas, sed in præcepta divina multa et onerosa naturæ humanæ; ideoque ne voluntas assensum istum imperet, sæpius obstabunt animus levis, curis temporalibus distentus, passiones immortificatæ, etc. (1).

Ex his apparet gratiam requiri qua *medicinalem*, illudque necessitate *morali*, ad *facilius* np. agere.

II. **Quousque extendatur gratiæ interventus.**

1°/ Supernaturalis est imprimis *ipse assensus formalis fidei;* quod duplici ratione fieri potest, prout np. intellectus in ordine ad eliciendum actum fidei, elevatur sive *permanenter* per *virtutem* infusam fidei (2), sive *transeunter* per *gratiam actualem* adjuvantem, supplentem vices habitus ubi hic deesse contingit.

2°/ Supernaturalis est tum *voluntas credendi,* quam pium credulitatis affectum vocant; quatenus in ordine ad eliciendum imperium quo intellectum ad assensum fidei determinet, voluntas elevatur, iterum sive permanenter, per habitum infusum caritatis, sive transeunter per gratiam actualem in peccatore (3); — tum *ju-*

(1) Supra, pp. 262 ss.

(2) Utrum *ulterius* requiratur gratia actualis qua excitans, quæstio est de qua cfr. tract. de gratia; eadem est quæstio generalior utrum in justo (ergo in eo qui omnes virtutes infusas habet) requiratur ulterius gratia actualis ad singulos actus. Circa quam vide *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 289, cum *nota ibid.*

(3) Juxta alios tamen AA. (cfr. Bouquillon, *o. c.*, n. 138), datur in

dicium credibilitatis et credenditatis quæ huic imperio prælucent (1).

3°/ Sæpe *diu ante actum fidei* Deus intervenit gratia sua, tum *externa,* puta revelatione, prædicatione, miraculis; tum *interna,* variis np. actibus indeliberatis, entitative supernaturalibus, excitatis in intellectu et voluntate, quibus homo ad fidem perducatur: tales sunt piæ volitiones, orationes, desideria, illustrationes quibus præjudicia dissipantur, quibus vis motivorum credibilitatis perfectius perspicitur, etc. — Nec enim dici potest fidem esse *primam* gratiam, nisi eo sensu quod ante actum fidei nullus sit actus salutaris qui non ordinetur tanquam prævius ad actum formalem fidei eliciendum. Quare dicuntur gratiæ istæ gratia vocationis seu *vocatio* ad fidem, dum ipsum pium credulitatis affectum et judicium credenditatis vocantur *fidei initium*.

Nota 1/ Ad hanc gratiam *internam* reduces motiones quibus posset Deus aliquem ad fidem perducere, quin utatur via ordinaria externæ prædicationis. Ut enim ait S. Thomas, *de Ver.* q. 14, a. 11, ad 1, « si aliquis in silvis nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel *per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria*, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret ».

---

voluntate habitus infusus. elevans ipsam in ordine ad eliciendum supernaturalem hunc pium credulitatis affectum. — Probabilior videri poterit sententia in justo nullum ad hoc requiri habitum infusum specialem, sed ipsam Caritatem hoc præstare: Caritatis enim, utpote omnium virtutum formæ extrinsecæ, reginæ et matris, est imperare actus omnium aliarum virtutum sicque ultimam ipsis addere relationem ad Deum finem ultimum, ultimamque suam perfectionem. Sicut autem imperat actus aliarum virtutum, sic et imperare videtur actum eliciendum a virtute fidei quæ in intellectu subjectatur.

(1) Cfr. Canones Concilii Arausicani II, a. 529 contra Semipelagianos, can. 5 ss.; apud DENZINGER, nn. 148 ss., — qui canones efformati fuere juxta doctrinam a S. Augustino in *De Prædestinatione sanctorum* et *De dono perseverantiæ,* et a S. Prospero adversus Semipelagiquos propugnatam.

2/ Similibus gratiis externis et internis quibus intervenit Deus ut aliquem ad fidem primo perducat, intervenit et apud ipsum quem vult ad exercendam fidem movere.

V

Q. *Ex dictis ad qu. præc. conclude quanam ratione fides dicatur* donum Dei, *et sequentem solve difficultatem:*

Si fides est donum *Dei, non poterit cuivis in culpam verti quod hoc donum a Deo non acceperit.*

R. Ex dictis sequitur fidem esse donum Dei (1):

1/ ratione revelationis divinæ: fuit enim hæc manifestatio mysteriorum Dei, ex gratuita benignitate procedens, et objectum habens relative supernaturale sensu supra descripto (2).

2/ ratione prædicationis externæ:

3/ potissimum ratione gratiæ internæ, tum a/ medicinalis qua homo ad fidem primo perducitur vel reducitur, in eaque habita perseveret et roboretur; tum b/ elevantis, quatenus tum habitus (sive formatus sive informis) (3), tum ipse actus formalis fidei tum varii actus indeliberati vel deliberati qui primum actum fidei præcedunt vel in fidem amissam reducunt, vel in ea retenta roborant, — entitative supernaturales sunt.

Ex his porro desumitur sequens *objectio:*

Si ob varias has rationes fides est donum Dei, et consequenter a Deo pendet ut homo eam possideat vel non; — nequit Deus alicui in culpam vertere quod eam non possideat, et consequenter absurdum est Deum eam imponere qua necessariam tum necessitate præcepti tum necessitate medii.

Respondetur distinguendo assertum:

Si fides est donum Dei, et quidem ita ut nullatenus

---

(1) Cfr. S. Th., 2-2, q. 6, art. 1. De præstantia ejusdem doni, cfr. Ill. Waffelaert apud *Collat. Brug.*, t. IV, pp. 71 ss., et t. XIII, pp. 426 ss.

(2) p. 353, cum *nota* (2) *ibid.*

(3) S. Th., *l. c.*

ab homine pendeat quod illam recipiat vel ea destituatur, tunc nequit Deus... Conc.; si ita est donum Dei ut tamen quod revera habeatur vel non habeatur, pendeat ab hominis libera cooperatione, tunc nequit Deus... Nego.

Explicatur:

Et revera vult Deus omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; vult omnes homines habere sibi inhærens consortium naturæ divinæ, cujus fides initium, radix et fundamentum justificationis; vult omnes homines qui ejusdem capaces sunt, se ad actum fidei disponere eumque ultimo elicere supernaturalem; — sed quæcumque divina auxilia ad hæc requirantur, *facienti quod in se est* (1), *non denegabit.* Et sane hæc duo: fidem ex integro sumptam esse *donum gratuitum* Dei, — et — *Deum de facto* eam concedere cuicumque certas quasdam conditiones a Deo statutas implenti; — optime sibi invicem conciliantur. Faciat igitur quod in se est homo, cooperetur auxiliis divinis, ut servet legem naturalem, ut sequatur inspirationes et illustrationes divinas, et donum fidei recipiet.

Unde, etsi sæpius nos lateat qua ratione Deus tali vel tali homini de facto subvenerit modo sufficiente, omnis tamen homo saltem remote (2) sufficientia auxilia de facto accipit; et proinde nemini, *nisi ob culpam suam,* a Deo in culpam vertitur quod fidem supernaturalem non habeat.

Quod si generalis objectio jam applicetur variis categoriis hominum, dici potest:

---

(1) i. e. utenti viribus suis naturalibus et auxiliis medicinalibus quæ Deus cuicumque ad minus certo sufficientia, pro voluntate sua salvifica universali concedere debet.

(2) Dicitur: saltem remote sufficientia. Ita e. g. potest Deus alicui pagano, cui nulla unquam proposita fuit revelatio, sufficientia auxilia præstare ut legem naturalem servet, ea lege ut si datis auxiliis fideliter cooperatur, ulteriores gratias, illustrationum, inspirationum, prædicationis externæ etc. recipiat; si vero iisdem resistat et graviter peccat jam destituatur ulterioribus divinis auxiliis.

1/ Quod spectat *infantes* (et quosvis adultos ipsis præ hebetudine mentis æquiparandos) qui moriuntur sine baptismo adeoque sine virtute fidei (quæ de necessitate medii ad salutem requiritur), objectio versatur extra suppositum: Talibus enim, utpote omnis cooperationis incapacibus, Deus defectum fidei *crimini non vertit*, nec ob eumdem damnantur. Tantummodo enim in quantum peccato originali inficiuntur, gratia omni privati existunt et proinde etiam visione beatifica; minime tamen pœnis positive cruciantibus addicuntur (1).

2/ Quod spectat *adultos* qui de facto, destitutos dono fidei divinæ, damnantur, distinguendi sunt:

a/ *infideles positivi:* sunt illi qui renuunt credere revelationi sibi sufficienter manifestatæ, vel a fide jam habita culpabiliter defecerunt. Talibus sane potest Deus crimini vertere quod fidem non habeant, quum ipse eorum defectus fidei sit culpabilis, proindeque ratio damnationis,

b/ *infideles negativi:* quibus np. nulla vel insufficiens facta fuit manifestatio revelationis. In his autem infidelitas non habet rationem peccati, et proin non damnantur ob defectum fidei, sed propter alia peccata (2). — Dicitur: *damnantur propter alia peccata*. Nisi enim peccatis suis obicem posuissent minime dubium est quin ad fidem pervenissent: revelationem enim, in gratiam totius generis humani peractam, ipsis Deus proposuisset, sive per externum prædicatorem sive per internam suam inspirationem; eosque interna tractione gratiæ suæ ad fidem huic revelationi adhibendam adduxisset.

A. Vander Heeren.

---

(1) Possent circa hos aliæ fieri difficultates, puta a/ qua ratione aliquis ob peccatum naturæ a cœlo excludendus sit; — de qua cfr. tract. de peccato originali; vel b/ qua ratione etiam erga hos salvetur voluntas Dei salvifica universalis; de qua cfr. tract. de Deo, vel, de gratia, ubi de Providentia Dei et voluntate salvifica.

(2) S. Th., 2-2, q. 10, art. 1.

VI

Q. *Qu'entend-on par les relations de l'Église et de l'État considérées en thèse et en hypothèse?*

R. La distinction capitale de la thèse et de l'hypothèse (1) se rencontre fréquemment sous la plume des juristes catholiques. Elle revient à dire, que dans l'examen des droits et des devoirs réciproques de l'Église et de l'État, il faut considérer tout d'abord les principes de la révélation et du droit divin, qui régissent la matière : c'est *la thèse,* le point de vue théorique et abstrait de la question ; mais qu'ensuite, il importe de voir quelle sera l'application possible de ces principes, eu égard aux circonstances historiques dans lesquelles se trouvent les deux sociétés en présence : c'est *l'hypothèse,* le point de vue pratique et concret de la question (2).

Si l'on envisage les rapports des deux puissances à la lumière du droit positif et naturel, il apparaît, d'une part, que l'Église catholique fondée par Jésus-Christ, est une société spirituelle, nécessaire, parfaite, entièrement indépendante dans l'accomplissement de sa mission, supérieure à toute autre société humaine en raison de sa fin, et, d'autre part, que l'État chrétien, autonome dans la sphère des choses purement temporelles, se trouve vis-à-vis de l'Église dans un rapport de subor-

---

(1) V. Hammerstein, *De ecclesia et statu juridice consideratis,* p. 203 ss., Treviris, 1886 ; Moulart, *L'Église et l'État,* p. 276 ss.; Lenoir, *Les rapports de l'Église et de l'État,* p. 26 ss., Tournai, 1886.

(2) Cette distinction ne fut point inventée pour légitimer l'adhésion des catholiques aux constitutions modernes. Elle est traditionnelle dans l'Église, en matière de tolérance. Voir des textes de St Thomas, Suarez, Lugo, Becan, dans les ouvrages de : Van den Berghe, *L'Église et l'État,* p. 104 s.; Moulart, *o. c.,* p. 308 s., p. 370 ss., 377 ss. Cf. Daris, *L'Église et L'État,* ch. XXV, *Sentiments de l'Église à l'égard de la protection et de la liberté,* p. 201 ss., Liége, 1876 ; De Schrevel, *La Pacification de Gand et la liberté des cultes jugées par les théologiens catholiques des Pays-Bas,* article de *la Revue d'histoire ecclésiastique,* 1902, t. III, p. 349-369.

dination directe en matière spirituelle, et de subordination indirecte en matière temporelle. En conséquence, le pouvoir civil a l'obligation négative de ne point porter atteinte aux droits de l'Église et l'obligation positive de protéger la religion catholique à l'exclusion de toute secte, de pourvoir à ses nécessités, de favoriser son expansion.

Voilà la thèse, le type vraiment chrétien des relations de l'Église et de l'État, l'idéal vers lequel doivent tendre nos efforts, pour le réaliser dans la pratique par tous les moyens que suggèrent la charité, la justice et la prudence (1).

Mais dans le domaine des faits, différentes hypothèses peuvent se présenter, qui conditionnent l'application de ces principes voulus par Dieu. L'Église peut se trouver en présence d'un État normalement constitué et véritablement chrétien ; elle peut se trouver aux prises avec un État infidèle ou hérétique, méconnaissant son origine divine, sa doctrine et ses lois, faisant alliance avec ses ennemis et ses sujets en révolte. Aujourd'hui, dans nos sociétés modernes, elle rencontre, à côté d'elle, des confessions religieuses rivales et puissantes, réclamant pour leurs sectateurs la tolérance et la même somme de droits civils et politiques ; elle est mêlée à une foule d'incrédules, exigeant de la part des gouvernements et au nom des principes constitutionnels, la liberté de conscience et l'égalité de tous les citoyens devant la loi, sans distinction de croyances et d'opinions. Voilà des faits, des lois, des nécessités, dont l'Église doit tenir compte dans l'application des règles qui déterminent en thèse les droits et les obligations réciproques des deux pouvoirs.

Si l'universalité d'une nation reconnaît la loi du Christ et de l'Église, l'union et la protection mutuelle des deux puissances devront se réaliser intégralement.

---

(1) Moulart, *o. c.*, p. 276; Lenoir, *o. c.*, p. 26.

Si, au contraire, les sociétés sont divisées au point de vue des croyances, il faut examiner conformément aux règles de la morale chrétienne, en quelle mesure l'État est libéré de ses obligations envers l'Église. Ici, il y a lieu d'établir une distinction fondamentale entre les devoirs négatifs et les devoirs positifs du pouvoir civil à l'égard de la vraie religion (1).

Les premiers obligent en toute hypothèse. Jamais un prince ne peut persécuter les Catholiques, ou méconnaître les droits essentiels de l'Église. Les seconds cessent d'obliger le pouvoir civil du moment et aussi longtemps que leur exécution est impossible, nuisible au Catholicisme lui-même ou trop dangereuse à l'État (2). C'est ainsi, que dans nos sociétés modernes, l'Église tolère le régime politique de la liberté des cultes, qui ne garantit pas à la société religieuse son droit de protection exclusive et laisse aux cultes dissidents la liberté de s'organiser conformément à leurs croyances et à leurs lois.

A. De Meester.

(1) Hammerstein, p. 203 s.
(2) Moulart, *o. c.*, p. 292.

S. Congr. Concilii

Circa interpretationem art. IV, § 1, Decreti Ne Temere (1).

Beatissime Pater!

Decretum de sponsalibus et matrimonio jussu et auctoritate Sanctitatis Vestræ a S. Congregatione Concilii 2. Augusti 1907 editum, articulo VI, § 1, statuit, parochum et loci Ordinarium valide matrimonio adsistere a die tantummodo *adeptæ* possessionis beneficii vel initi officii. Jam de sensu vocabuli « adeptæ » non eadem est curiarum episcopalium, imo nec in eadem provincia ecclesiastica opinio.

In archidiœcesi Olomucensi inde ab antiquis temporibus in parochiarum provisione hic est modus procedendi. Servatis servandis patronus personam sibi gratam præsentat, Episcopus beneficium ei confert, idque *duplici* actu perficitur. Parochus in beneficium instituendus invitatur ad *investituram*, quæ de regula a Vicario generali peragitur et quidem ita. Instituendus genufluxus recitat Professionem fidei Tridentini-Vaticanam eaque finita addit juramentum: « Præterea ego N. N. spondeo, voveo ac juro Rssmo ac Celssmo Principi ac Dno Dno N. N., Dei et Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopo Olomucensi, omnibusque ejus successoribus archiepiscopatum legitime intrantibus, nec non ejus Vicario in spiritualibus generali et officiali, totique archiepiscopali Consistorio veram obedientiam et in officio pastorali mihi credito fidelitatem et diligentiam.

Item spondeo, voveo ac juro, me in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansurum, in beneficio ecclesiastico mihi commisso nihil alienaturum, neque permissurum, ut aliquid a quocumque abalienetur, nisi de expresso consensu meorum superiorum. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Evangelia. Amen. »

Dein Vicarius generalis accipit biretum, capiti instituendi

(1) *Archiv f. k. Kirchenrecht*, 1909, p. 327 s.

imponit et dicit: « Ego, N. N., Vicarius generalis, investio te, N. N., in parochiam N. et do tibi potestatem verbum Dei annuntiandi, sacramenta conficiendi, aliaque munia parochialia exercendi et administrandi, fructusque ex iis provenientes in tuam ac præfatæ N. ecclesiæ utilitatem percipiendi. Idque in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »

Die hujusce functionis investitura dictæ vel alio aliquo die non multum distante et in ipsa investitura ad computus faciliores reddendos enunciato, e. gr. 1. die mensis N. N., cessant proventus, quibus ita investitus hucusque ex beneficio aliquo ecclesiastico fruebatur, et acquiruntur fructus ex beneficio parochiali, ad quod investitus et ipseque obligatur applicare Missam pro parochianis suis, et quam primum fieri potest, domicilium suum in parochiam suam transfert.

Postea aliquando decanus foraneus vel alius sacerdos ab Episcopo deputatus investitum solenniter inducit in ecclesiam parochialem eique libros parochiales et peculium ecclesiæ ac beneficii tradit, qui actus *installatio* vocatur.

Quum in hoc dissensu de ipso sacramenti valore agatur, placcat Sanctitati Vestræ decernere, quænam Olomucii ex hisce duabus diebus sit illa dies *adeptæ* possessionis beneficii, num dies investituræ supra dictæ, an dies installationis item supræ dictæ.

Qui ad pedes Sanctitatis Vestræ prostratus in eorumdem osculo emorior.

Olomucii die 2 Martii 1908.

Franciscus Salesius, Archiepiscopus.

Rescriptum:

Perillustris ac Rssme Domine uti frater. Relatis in S. Congregatione Concilii iis, quæ sunt deducta circa dubia quoad beneficii possessionem relate ad decretum « Ne temere » art. IV, parag. 1, eadem S. Congregatio rescribendum censuit: « Nomine possessionis hic intelligi illum actum, qui sive institutio corporalis sive inthronizatio, sive installatio, sive aliter nuncupetur, tamen semper id efficit, ut institutus in beneficium exinde adipiscatur liberum exercitium potestatis, suo officio adnexæ ».

Idque pro meo munere dum Tibi notum facio, obsequenti animo me profiteor.

A. T. Rssmæ

ut fr. stud.

† *Vincentius*, Card. Ep. Prænest., Præfectus.

B. Pompili, Secretarius.

Olomucen. Rssmo Archiepiscopo.

Nota. Hoc decreto confirmatur doctrina proposita apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 62, quatenus parochus, in nostra diœcesi, incipit esse competens ad assistendum matrimoniis in suo territorio celebrandis, *inde a primo accessu ad novam parochiam*, non autem inde a die solemnis introductionis. Solet namque in dicto primo accessu administrationem parœciæ in se suscipere, licet eam curam pastoralem per alium sacerdotem a se delegatum exerceat usque ad diem installationis.

Documents de Jurisprudence

La Mise en vente de brochures neo-malthusiennes constitue un outrage public aux mœurs.

Arrêt de la Cour d'Appel de Pau du 1er Août 1908.

(Pasicrisie, 1909, IV, p. 44 s.)

Attendu qu'après avoir, devant les premiers juges, indiqué seulement la question de compétence sans proposer formellement le déclinatoire, et après avoir discuté le fond en lui-même, le prévenu a reconnu, devant la cour, que l'écrit qui a donné lieu aux poursuites constitue un écrit autre que le livre et que, dès lors, la juridiction correctionnelle est seule compétente pour connaître des poursuites dirigées contre lui;

Attendu que s'il est impossible de définir, avec une précision absolue, l'outrage aux bonnes mœurs, on peut dire, cependant, que le législateur a entendu, en réprimant ce délit, garantir la pudeur publique, proscrire les excitations aux passions sexuelles, à l'esprit de débauche et tout ce qui est obscène, c'est-à-dire contraire à la pudeur;

Attendu que la moralité d'un écrit dépend des sentiments qu'il inspire; qu'il convient, pour apprécier cette moralité, de tenir compte du public auquel il s'adresse, de son mode de publication, de rechercher s'il n'a pas été mis volontairement par l'auteur à la disposition des femmes, des jeunes filles, des enfants dont il est ainsi appelé à outrager la pudeur;

Attendu que les premiers juges ont, à bon droit, considéré comme constitutifs du délit d'outrage aux bonnes mœurs les passages, par eux rappelés dans leur jugement ou visés dans l'assignation, de la brochure écrite par le prévenu et par lui mise en vente au prix de 20 centimes dans les lieux publics à Bayonne et, notamment, dans divers kiosques à journaux situés sur les places publiques de cette ville;

Attendu que cet écrit, à raison de la minimité de son prix, à raison des lieux dans lesquels il était exposé en vente, devait nécessairement tomber entre les mains de jeunes gens, de jeunes filles, dont il sollicitait, par son titre, la curiosité malsaine et dont il devait exciter les sens, allumer les désirs et la lubricité;

Attendu que le prévenu excipe de sa bonne foi, alléguant qu'il n'a eu pour mobile, en publiant la brochure incriminée, que de lutter contre la surpopulation, source de misère pour le prolétariat; qu'il n'a poursuivi aucune idée de lucre ou de spéculation;

Attendu qu'en admettant que tel ait été, en effet, le mobile auquel a obéi le prévenu, cette circonstance ne suffirait point pour faire disparaître le délit;

Attendu, en effet, que si l'intention est un élément essentiel du délit d'outrage aux bonnes mœurs, il importe de ne pas confondre l'intention avec le mobile de l'acte; que l'intention est la conscience du caractère de l'acte tel qu'il est défini par la loi; qu'il suffit donc, pour que l'élément intentionnel du délit existe en l'espèce, que l'inculpé ait eu conscience que son écrit était contraire aux bonnes mœurs et de nature à exciter les lecteurs, notamment les adolescents et les enfants, à la débauche; que le prévenu, à raison de son instruction, de son intelligence et de sa profession, n'a pu se méprendre sur ce point; que les éléments constitutifs du délit d'outrages aux bonnes mœurs se rencontrent donc en l'espèce, et qu'il convient de confirmer, sur ce point, la décision des premiers juges;

Attendu, en outre, que les premiers juges se sont bornés à prononcer la confiscation des exemplaires saisis, alors qu'ils auraient dû en ordonner la destruction; qu'il y a lieu, dès lors, de faire droit, sur ce point, à l'appel du ministère public;

Par ces motifs ...

De Reformatione Curiæ Romanæ.

(Sequitur. — Cf. suprà p. 281-296.)

B. De Singulis Sacris Congregationibus (1).

Reliquum est ut negotia, ad quæ uniuscujusque Congregationis competentia nova lege extenditur in genere determinentur.

1° **Congregatio Sancti Officii** (2).

a/ Illa suprema Congregatio, olim *Congregatio S. Romanæ et Universalis Inquisitionis* nuncupata, universalem et generalem habet competentiam doctrinalem, in materia fidei, morum, sacramentorum etc.

b/ Ideo, ratione connexionis cum quæstionibus doctrinalibus, integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quæ circa interpretationem et usum *privilegii Paulini* et circa impedimenta disparitatis cultus et mixtæ religionis versantur, in hisque impedimentis dispensandi (3). An, præter hanc administrativam compe-

(1) Vide: C. *Sapienti*, I; NP. cap. VII, *de singulis sacris Congregationibus;* Pro singulis Congregationibus recurrendum est ad NP., *l. c.*, ut uniuscujusque cognoscantur compositio, modus procedendi peculiaris, forma expediendi negotia, res quæ a congressu, quæ vero a plena Congregatione tractandæ sunt.

(2) Cf. *Le canoniste contemporain*, 1909, t. XXII, p. 65-72; *Nouv. rev. théologique*, 1909, t. XLI, p. 8 s. Quoad antiquam disciplinam, historiam, valorem decisionum consulantur v. Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes*, t. I, p. 508, Graz, 1886; Wernz, *Jus Decretalium*, t. II, n° 658, p. 744 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 214, p. 205; Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège*, p. 30-62, Paris, 1907; *Collat. Namurcen.*, t. I, p. 84-88; *Revue Augustinienne*, 1907, t. XI, p. 223-244; *Il Monitore ecclesiastico*, 1907-1908, t. XIX, p. 506-514.

(3) Cf. Dubium de competentia S. Cong. de Prop. Fide, 12 nov. 1908 ad VI: « Utrum Congregatio pro negotiis Rituum Orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtæ religionis ac disparitatis cultus? » Responsum est: « Affirmative, excepto tantum privilegio paulino quod pertinet ad Congregationem Sancti Officii ». AAS. t. I, p. 149 ss.

tentiam retineat quoque potestatem judicialem videndi de causis nullitatis Matrimonii hoc capite motis dubitatur cum non improbabile videatur Sanctum Officium teneri has causas ad proprios judices remittere ad normas juris communis (1).

c/ Remanet quoque verum Tribunal in causis hæresum, eorumque criminum quæ suspicionem hæreseos inducunt; hujusmodi sunt apostasia ab Ordine aut Religione, magia, sacrilegium, abusus sacramentorum, sollicitatio in Sacramento Pœnitentiæ. Quoad examen et prohibitionem librorum hæreticorum aliorumque qui doctrinæ catholicæ periculosi suspiciuntur, retinet cumulativam cum Congregatione Indicis jurisdictionem ita ut de hac re perutilis inter utrumque Dicasterium communicatio introducatur (2).

d/ Ad ipsam devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quæ ad doctrinam spectat, sive quæ ad usum respicit (3).

e/ Dubia quæ de competentia S. Officii in aliquo negotio oriri possunt, ipsa hæc Congregatio *per se* dirimit.

Nota. Circa magnum secretum (4) quo gravissimis sanctionibus obstringuntur Patres, consultores, omnesque administri S. Officii, conferendæ sunt NP. cap. VII, art. II, nº 4.

---

(1) In favorem potestatis judicialis facit tum caracter veri tribunalis Sancti Officii in rebus fidei, tum dispositio C. *Sapienti*, qua *integra* servantur jura S. Officii in hac materia. Cf. *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 8; *Coll. Namurc.* l. c., p. 406. Haud tamen sufficientia hæc videntur argumenta ad probandam exceptionem radicali separationi potestatis extrajudicialis et judicialis in nova Curia Romana, præsertim cum taceant NP. de illa potestate judiciaria, dum autem explicita mentio fit potestatis dispensativæ.

(2) C. *Sapienti*, I, §. VII, nº 2; NP. cap. VII, art. VII, nº 2.

(3) NP. cap. VII, art. I, nº 8-15, ubi hujus Sectionis de Indulgentiis administri indicantur, eorumque partes modusque procedendi statuuntur.

(4) *Le canoniste contemporain*, l. c., p. 69; CHOUPIN, *o. c.*, p. 38. Hoc magnum secretum extenditur ad Congregationis Indicis Cardinales, administros et consultores, ut ipsis cognita sint quæ a S. Officio de prohibitione librorum agantur. NP. l. c. art. VII, nº 2.

2° **Congregatio Consistorialis** (1).

a/ Ipsius est parare et examinare agenda in Consistorio, v. gr. sacra solemnia pro decernendis Sanctorum Cœlitum honoribus (2). Sed præterea, in locis Congregationi de Propaganda Fide non subjectis, negotia consistorialia per semetipsam exsequi potest, nimirum: novas diœceses et capitula, tum cathedralia, tum collegialia constituere (3); diœceses jam constitutas dividere et unire; episcopos aliosque ordinarios diœcesanos eligere, juxta normas Const. *Romanis Pontificibus* de die 17 decembris 1903 (4); processus circa promovendorum fidem, vitam, prudentiamque expendere, eorumque periclitari doctrinam. At, si viri eligendi sint extra Italiam, *Secretaria Status* documenta et informationes plerumque a Nuntiis excipiet, et exinde *Positionem* deducet Congregationi Consistoriali subjiciendam (5). Nominationes et acta quæ solent in Consistorio promulgari (6), per Bullas fiunt. Bullæ conficiuntur a Cancellaria Apostolica, juxta opportunas communicationes a Congregatione Consistoriali faciendas; expediuntur ab hoc dicasterio, cui et solvenda pecunia tradenda est. Quoad hæc negotia consistorialia, omnes qui hac in Congregatione aliquo funguntur munere, illud etiam dabunt quod S. Officii jusjurandum dicitur de inviolabili secreto servando.

b/ In regionibus juri communi subjectis, præponitur generali diœcesum administrationi et regimini seminariorum sub respectu spirituali, temporali, studiorum etc. Ad ipsam proinde refertur vigilantia super expletis,

---

(1) *Le canoniste contemporain*, l. c., p. 193-202.

(2) Cf. Decretum C. Consistorialis quo Episcopi convocantur ut Consistoriis intersint ante festum Ascensionis D. N. J. C. habendis, 27 Jan. 1909, ASS., t. I, p. 151 s.

(3) Non vero abbatias aut monasteria.

(4) Cf. suprà, p. 282, nota 2.

(5) De Brabandere-Van Coillie. *o. c.*, n° 315 ss., p. 263 ss.

(6) Prodeunt in Commentario Officiali S. Sedis: *Acta Apostolicæ Sedis*.

vel minus obligationibus Ordinariorum, cognitio relationum Episcoporum de statu diocesum, indictio visitationis apostolicæ, aliaque hujusmodi (1).

c/ Hujus Congregationis erit in conflictatione jurium, dubia resolvere circa competentiam *Sacrorum omnium Dicasteriorum*, uno excepto S. Officio (2).

3° **Congregatio de disciplina Sacramentorum.**

Est huic Sacræ Congregationi proposita universa legislatio circa *disciplinam* Sacramentorum. Hanc materiam igitur moderatur sub solo respectu disciplinari, non vero doctrinali et liturgico, servatis insuper juribus S. Officii supradictis (3).

Utque exemplis res fiat clarior: quoad ordines sacros, doctrina de institutione, essentia, caractere, effectibus Ordinum spectat ad S. Officium; cæremoniæ ad Congregationem Rituum; quæstiones de ministro competente, de dispensationibus super irregularitatibus ad Sacram Ordinationem (4) clero sæculari (5) concedendis ad Congregationem de Sacramentis (6). Item, quæstiones de valore Sacramentorum pertinere possunt ad triplicem Curiæ magistratum: ad S. Officium, quoties agitur de objecto doctrinali, an, v. gr., ablatio totalis utriusque ovarii reddat mulierem impotentem ad habendam copulam de se aptam ad generationem; contra ad Congregationem de disciplina Sacramentorum, si agatur de casu concreto nullitatis Matrimonii,

---

(1) Ea quæ ad celebrationem et revisionem Conciliorum, Conferentiarum episcopalium pertinent, committuntur Congregationi Concilii pro regionibus juri communi subditis. Cf. Dubia citata de competentia ad IX, ap. AAS. I, p. 151 s.

(2) NP. *l. c.*, n° 6.

(3) v. gr. quoad privilegium Paulinum, abusus Sacramentorum.

(4) Facultas dispensandi *presbyteros* ab irregularitate vel a titulo S. Ordinationis spectat ad C. Concilii, non ad C. de Sacramentis. Ita C. Consistorialis decreto 17 feb. 1909, AAS. I, p. 251.

(5) Salvo jure ergo Congregationis negotiis religiosorum sodalium præpositæ, ad moderandam eorum ordinationem.

(6) *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 9 ss.

puta ob illatam vim impugnati, dummodo casus in linea disciplinari disceptandus est. Si tamen eadem Congregatio judicaverit causas illas judiciario ordine servato esse tractandas, eas ad Sacram Rotam, servato jure, remittere tenetur (1).

Insuper notandum venit hanc Congregationem esse tantum competentem circa leges quæ *directe* attingunt disciplinam Sacramentorum (2), nequaquam vero circa illas quæ *indirecte* ad hanc referuntur, agendo de materia connexa cum Sacramentis, uti sunt stipendia occasione Missæ percepta (3). Inde est quod *Normæ peculiares* pressius determinent potestatem hujus Congregationis propriam a C. *Sapienti* in genere statutam, enumerando, ad omnem tollendam ambiguitatem, facultates quas peculiariter concedere valet (4).

Juvat specialia quædam tradere de disciplina Matrimonii (5). Huic Congregationi tribuuntur dispensationes

---

(1) LEITNER, *De curia Romana*, p. 16.

(2) Non fit ullum verbum de Sacramentalibus. Quod attinet ad eorum ritus, spectat ad Cong. Sacrorum Rituum, quæ sunt indulgentiarum ad S. Officium remittuntur, reliqua moderationi Congregationis de Sacramentis aut potius Concilii subesse videntur, extra regiones Congregationi de P. F. subditas. Cf. Dubia citata de competentia Congr. de Prop. Fide, ad III.

(3) *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 10.

(4) NP. l. c. nº 10 recensentur sequentes facultates: a/ adservandi SSmam Eucharistiam in templis aut in sacellis eo jure carentibus; b/ celebrandi Sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia quæ in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans; c/ erigendi altaris ad litandum sub dio: d/ celebrandi ante auroram et post meridiem; e/ legendi Missam feria V in Cœna Domini, itemque tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione SSmæ Eucharistiæ; f/ utendi pileolo vel capillamento in celebratione Missæ aut in deferenda SSma Eucharistia; g/ cœco aut cœcutienti ut litare possit cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis; h/ celebrandi in navi; i/ Episcopum consecrandi die alio ab iis qui in Pontificali Romano statuti sunt; k/ sacros Ordines extra tempora conferendi; l/ eximendi fideles, ipsosque sodales religiosos, quoties id opus sit, a lege jejunii eucharistici.

(5) Pro qua re habet competentiam universalem, salvis juribus S. Officii et Congr. pro negotiis Rituum Orientalium; circa cetera

in foro externo (1) tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, separatio conjugum, natalium restitutio. Dispensatio super rato ipsi reservatur exclusive, ita ut jure proprio, quin opus sit decreto specialis commissionis Sanctæ Sedis, causas de Matrimonio rato non consummato in prima instantia judicandas, remittere possit ad S. Rotam ut juridice hæc videat de facto inconsummationis (2).

Distinguuntur juxta *Normas peculiares* (3) impedimenta *minoris gradus*, in quibus gratiæ concessio a Subsecretario dispensationum aut ejus adjutore signa-

---

Sacramenta habet jurisdictionem restrictam regionibus juri communi subditis, cf. suprà p. 288.

(1) Pro foro interno competens est S. Pœnitentiaria.

(2) Cf. Causa Romana Congr. Consistorialis 19 jan. 1909 *de remissione causarum a Sacris Congregationibus ad S. Rotam Romanam*. Proposito dubio: « utrum causæ, quæ formali sententia saltem primi gradus carent et ad Sacras Congregationes delatæ sunt, remitti possint jure proprio ab ipsis Sacris Congregationibus ad S. Rotam, an potius id ipsis liceat per rescriptum commissionis de mandato SS^mi (Lex propria S. Rotæ can. 14, § 1; coll. NP. cap. I, nº 3); Patres respondendum censuerunt: « Exceptis causis dispensationis super matrimonio rato, quas S. Congregatio de Sacramentis potest jure proprio remittere ad S. Rotam, ut de facto inconsummationis videat, negative ad primam partem; affirmative ad secundam, cauto ut in commissionis rescripto normæ præfiniantur, quibus processus, si deficiat, instruatur ». AAS. I, p. 211 s. Cf. postea de S. Rota.

(3) Cap. VII, art. III, nº 17-21. Nº 19: « Dispensationes *gradus minoris* sunt ab impedimentis a/ consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineæ collateralis, sive æqualis, sive inæqualis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio, et quarti et tertii mixti cum secundo; b affinitatis in primo gradu, et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat; c cognationis spiritualis cujusvis generis; d/ publicæ honestatis, sive per sponsalia sive per matrimonium ratum, super quod jam dispensatum sit, fueritque solutum.

20º Dispensationes *majoris gradus* concedi solitæ interveniente legitima causa, sunt ab impedimentis: a/ consanguinitatis secundi gradus lineæ collateralis æqualis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis; b/ affinitatis primi et secundi gradus lineæ collateralis æqualis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis; c criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii. »

tur (1), et impedimenta *majoris gradus*, de quibus dispensatio concedi solita, accedente legitima causa, a Cardinali Præfecto aut a Prælato a secretis conceditur. In dubiis, res remittetur Congressui aut plenæ Congregationi, cujus judicio cœteroquin reservatur examen petitionum dispensationum ab impedimentis difficultatem non communem exhibentibus sive ex natura rei, sive ex dubiis de legitima dispensandi causa. Ad ultimum, prout res ferat relatio fiet Summo Pontifici (2).

N. B. Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis*. Sic vero concessæ perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitæ sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiæ sive obreptionis vitio sive subreptionis.

4° **Congregatio Concilii.**

Hoc nomen retinet ob causam historicam, eo quod olim esset competens, tam extrajudicialiter quam judicialiter, in omnibus rebus et causis quæ in decretis disciplinaribus Concilii Tridentini explicite vel implicite comprehendebantur (3).

Nunc in regionibus juri communi subditis ea pars negotiorum est ipsi commissa quæ ad universam *disciplinam* cleri sæcularis, populique christiani refertur (4).

Inde a/ Ipsius est curare ut Ecclesiæ præcepta serventur et in iis dispensare; cujus generis præcepta sunt: jejunium (excepto jejunio eucharistico quod ad Congregationem de Sacramentis exclusive pertinet), abstinentia, observatio diei dominicæ et festorum etc.

---

(1) Adjunguntur Prælato a Secretis tres subsecretarii: unus in petitiones omnes circa impedimenta Matrimonii præcipue incumbet; alter ceteras preces curabit ad Matrimonium pertinentes; tertius S. Ordinationis, aliorumque sacramentorum rebus, excepto matrimonio, vacabit. NP. *l. c.*, n° 1, 4, 5, 6.

(2) Cf. suprà p. 292.

(3) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 219 ss., p. 208 ss.

(4) Ejus competentia facilius determinatur per viam exclusionis, cf. *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 121.

b/ Debet moderari quæ ad cleri sæcularis, parochorum et canonicorum jura et officia referuntur (1), etiam si negotia aut causæ agantur inter Episcopum et parochum. Solvit quæstiones *de præcedentia*, exceptis quæ sodales religiosos attinent (2).

c/ Ei tribuuntur omnia quæ ad sodalitates, pias uniones (exceptis Tertiis Ordinibus sæcularibus), pia legata, Missarum stipes, beneficia et officia, bona ecclesiastica, aliaque hujusmodi attingunt.

d/ Immunitas Ecclesiastica ab ipsa ordinatur.

e/ Cum disciplinæ cleri et populi multum provideatur per concilia et conferentias Episcopum, hæc materia ipsius curæ demandatur (3).

Congregationi Concilii unitur, qua Congregatio specialis, ea quæ *Lauretana* dicitur, ad regendam basilicam exemptam Lauretanam Const. *Sacrosancta*, 9 aug. 1698 erecta.

5. **Congregatio negotiis religiosorum sodalium præposita.**

Hæc congregatio universam *disciplinam* religiosorum moderatur.

Intelliguntur vero religiosi sensu latissimo, ita ut

---

(1) NP. cap. VII, art. IV, nº 4: « Ejus itaque dumtaxat erit in posterum concedere: a/ collegiis canonicorum, seu Capitulis, dispensationes ab obligatione celebrandi Missam feriæ ac vigiliæ; Missæ canendæ et applicandæ conventualis; canendi atque in choro recitandi horas canonicas; b/ tum Capitulis, tum singulis e clero sæculari, anticipationem recitationis officii matutini; c/ Capitulis anticipationem Vesperarum et Completorii antè meridiem; d/ sacerdotibus e clero sæculari commutationem recitationis officii divini cum aliis precibus; e/ dispensationem a jejunio præscripto ante consecrationem sacrorum ædium, f facultatem in interno templi vel publici sacelli pariete fenestram faciendi exstruendique parvi chori, aut aperiendi ostii, quo privatus aditus patefiat; g/ dispensationem a laurea doctoris sive ex tabulis institutionis, sive ex lege præscripta ad beneficium vel officium assequendum, quorum largitio ad Ordinarium pertineat ».

(2) NP. *l. c.*, nº 5.

(3) Non in regionibus Congregationi de Prop. Fide submissis, juxta principia de competentia superius data p. 288. Cf. Dubia citata de competentia ad VII.

hoc nomine veniant non tantummodo sodales votorum solemnium et simplicium, sed ii quoque qui sine votis *vitam agunt communem* more religiosorum (1), ipsique Tertii Ordines sæculares.

Ipsius competentia est generalis relate ad negotia disciplinaria religiosorum, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive inter eos et parochos aut episcopos; sive in materia vitæ religiosæ sive in alia, ut est v. gr. ministerium animarum (2). Unde concessio dispensationum a jure communi pro sodalibus religiosis (3) huic etiam Congregationi reservatur. Quare si quis regularis a lege communi jejunii, abstinentiæ desideret liberari, si quis indigeat dispensatione in Ordine recipiendo, in Eucharistia sumenda, in Matrimonio contrahendo, adeunda est Congregatio de religiosis.

Integra tamen in eos remanet jurisdictio S. Officii, tum doctrinalis, tum judicialis; quemadmodum ejusdem Supremæ Congregationis competentia in materia indulgentiarum. Universitates quas regunt Sodales religiosi pertinent ad Congregationem Studiorum; Seminaria vero, quibus præsunt in regionibus juri communi submissis, *verisimilius* ad Congregationem Consistorialem.

6° **Congregatio de Propaganda Fide** (4).

Quoad loca. Omnes et solæ regiones missionum huic subduntur juxta principium C. *Sapienti:* « jurisdictio hujus Congregationis iis tantum est circumscripta regio-

---

(1) Sunt v. gr. Oratorii, Lazaristæ, Puellæ a caritate.

(2) In regionibus subditis Congregationi de Prop. Fide, religiosi *qua missionnarii* subsunt huic Congregationi, cf. suprà p. 288. E contrario quæ ad vitam eorum religiosam referuntur spectant exclusive ad Congr. de religiosis, etiam si de Congregatione religiosa agitur, cujus constitutiones olim a Congr. de Prop. Fide approbatæ fuere. Cf. dubia sæpe citata 12 nov. 1908, ad V.

(3) Exclusis Tertiariis sæcularibus, qui in his ut simplices fideles habentur. Cf. LEITNER, *o. c.*, p. 18; VERMEERSCH, *Period. de religiosis*, t. IV, p. 332; *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 16.

(4) LEITNER, *o. c.*, p. 18 et 65; *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 17 ss.; HILLING, *Die Reformen des Papstes Pius X*, p. 71 s.

nibus, ubi sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullæ, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid præseferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subjectas esse volumus. »

Proinde a die 8 novembris 1908 :

a/ Omnes Vicariatus Apostolici, Præfecturæ et missiones quælibet (1), huic Congregationi subjiciuntur, item *missiones* Imperii Russici, Americæ Meridionalis, aliæque (2), quarum negotia olim pertractabat Congregatio de negotiis ecclesiasticis extraordinariis.

b/ Eximuntur ab ipsius jurisdictione : in *Europa* — provinciæ ecclesiasticæ Angliæ (3), Scotiæ, Hiberniæ et Hollandiæ (4) ac diœcesis Luxemburgensis ; *in America* (5) — provinciæ ecclesiasticæ dominii Canadensis, Terræ Novæ et Statuum Unitorum (6).

c/ Consequenter indulta et facultates, quæ hactenus Congregatio de Propaganda Fide concedere solebat iis

---

(1) « La Propagande conserve son pouvoir en Europe sur les vicariats de l'Allemagne septentrionale (Osnabrück), d'Anhalt, de Constantinople, de Danemark, de Gibraltar, de Saxe, de Sofia, de Suède et ceux de Macédoine et de Thrace pour les Grecs Burgares ; ainsi que sur les préfectures de Schleswig-Holstein, de Lausitz en Saxe, de Misox et de Rhétie en Suisse ». *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 16.

(2) Enumerantur ap. *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 17.

(3) Cf. Bellesheim, *Die Verabschiedung der englischen Bischöfe von der Kongregation der Propaganda* in *Archiv für Katholischen Kirchenrechts*, 1909, t. 89, p. 82-88.

(4) Cf. *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1908, t. VIII, p. 269-270 ; quoad antiquam disciplinam Vlaming, *Onze onderhoorigheid aan de Propaganda*, in eodem periodico, 1905, t. V, p 260-270, 293-311.

(5) V. *The Ecclesiastical Review*, 1909, t XL, p. 524-533.

(6) V. Dubia cit. de competentia 12 nov. 1908 ad I. Ad petitionem utrum Vicariatus Apostolici qui tanquam suffraganei pertineant ad provincias ecclesiasticas C. *Sapienti* a Congr. de Prop. Fide avulsas, jugiter subsint Congregationi de Prop. Fide. Responsum est. « Affirmative, *dum ita permanent*. Expedit tamen ut S. Congregatio de Propaganda quam primum fieri possit, memoratos vicariatus erigat in diœceses, eosque proinde deducat ad jus commune ».

qui suæ jurisdictioni non erant obnoxii, in posterum suis tantum subditis tribuet (1).

Quoad materiam, limitatur ejusdem competentia jurisdictione Dicasteriorum quæ universali gaudent jurisdictione (2), inter quæ specialius recensentur S. Officium, Congregationes Rituum, et de Sacramentis in re matrimoniali. Attamen quoad res his Congregationibus reservatas, remanet Congregatio de Propaganda Fide *organum transmissionis*, cui jubetur ad peculiares illas Congregationes deferre quæcumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut Sacrorum Rituum disciplinam (3).

Quoad personas autem religiosorum in regionibus Missionum ministerio animarum deditorum, sufficienter diximus (4).

Congregationi de Propaganda uniuntur: 1° Congregatio pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra manent quæ huc usque servata sunt (5), nimirum in re matrimoniali (6), excepto privilegio Paulino; relate ad disciplinam religiosorum Orientalium (7) et ad Ritus Ecclesiæ Orientalis etc.

7° **Congregatio Indicis.**

a/ Hujus S. Congregationis pristina provincia servatur. Ipsius erit ergo *delatos* libros diligenter excutere, prohibere, eosque legendi et servandi licentiam concedere. Sed præterea, partes magis activas recipit *ex officio inquirendi* si quæ in vulgus edantur *scripta cujuslibet generis* damnanda, simulque stimulandi zelum

---

(1) Ita formula III facultatum fori externi Episcopis Germaniæ, Austriæ et *Belgii* concedi solita. Cf. LEITNER, *o. c.*, p. 65 s.; NP. l. c., art. VI, n° 3.

(2) Cf. suprà p. 288.

(3) Cf. HILLING, *o. c.*, p. 71 s.; Dubia citata 12 nov. 1908, ad II; C. *Sapienti*, l. c.

(4) Missionarii apostolici ad honores inter subditos Congr. de P. F. etiam nunc constituuntur; cf. Dubia citata ad III.

(5) C. *Sapienti* et NP. *l. c.*, n° 4.

(6) Dubia de competentia, 12 nov. 1908, ad VI; suprà p. 288.

(7) VERMEERSCH, *o. c.*, t. IV, p. 319.

Ordinariorum ut normas Constitutionis *Officiorum* (1), 25 jan. 1897, religiose servent.

b/ De communicationibus inter S. Officium et Congregationem Indicis in libris prohibendis propter catholicæ fidei tuitionem suprà p. 368 diximus.

8° **Congregatio Sacrorum Rituum.**

a/ Jus habet videndi et statuendi ea omnia et sola quæ sacros ritus et cæremonias *Ecclesiæ Latinæ proxime* spectant, non autem quæ *latius* ad sacros ritus referuntur, uti sunt: præcedentiæ jura, causæ legitimæ et effectus juridici absentiæ a choro, facultas binandi, obligatio celebrandi pro grege, jura funeralia (2).

Ideo proprium est ei advigilare ut sacri ritus et cæremoniæ diligenter observentur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis (3).

Ad ipsam spectat quoque insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, *quæ ad sacros ritus vel cæremonias pertineant* elargiri (4) et cavere ne abusus in hæc irrepant.

b/ Ea omnia exequi debet, quæ ad beatificationem et canonizationem Sanctorum *quoquomodo* referuntur (5), exclusa competentia S. Rotæ.

---

(1) Art. 27-29, cf. *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1908, t. VIII, p. 21-31; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, t. II, n° 1331 ss., p. 686 ss.

(2) C. *Sapienti;* Dubia de competentia cit. ad IV; *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 20.

(3) Hæc NP. peculiariter determinant *l. c.*, art. VIII, n° 4: »... Idcirco debet: a/ advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiæ latinæ, eos inspicere, corrigere aut reprobrare, salva Sancti Officii competentia in iis quæ fidei capita, seu dogmata respiciunt; b/ excutere atque approbare nova officia divina et calendaria; c/ dubia de ritibus judicare ac dirimere; d/ quæ hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere; veteri retento catalogo, novis tamen disciplinæ normis circumscripto, iis præsertim quæ superius allata sunt *num. 10°* de Congregatione Sacramentorum (suprà p. 371, n° 4) et *num. 4° et 5°* de Congregatione Concilii (suprà p. 374, n° 1, 2).

(4) Non vero ea quæ non ad ritus sacros referuntur v. gr. usus habitus prælatitii extra cæremonias sacras, *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 20 s.

(5) Cf. Monitum S. C. Rituum 12 feb. 1909: « Acta quæ respiciunt

c/ Curam *universam* Sacrarum Reliquiarum acquirit (1).

Tres cœtus ei adjunguntur: *Cœtus historicus, Cœtus historico-liturgicus,* et *Cœtus pro sacro concentu,* et una Congregatio subsidiaria ad causas minoris momenti Servorum Dei tractandas.

9° **Congregatio Cæremonialis** intacta remanet.

10° **Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.**

Hæc Congregatio, quæ ortum ducit a Revolutione gallicana, hoc peculiare præsefert quod nullum certum, determinatumque munus ei commissum sit. In genere in ea incumbit quæ ejus *examini* (2) subjiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status; præsertim ex illis quæ cum legibus civilibus conjunctum aliquid habent et ad Concordatus cum variis regionibus referuntur. Hæc Congregatio quasi sectionem constituit Officii Secretariæ Status, cujus extraordinaria negotia examinat (3).

11° **Congregatio Studiorum.**

Moderatur ubique locorum Universitates quæ ab auctoritate ecclesiastica pendent, iis comprehensis quæ a religiosæ alicujus familiæ sodalibus administrantur (4).

12° Cœtus independentes *studiis provehendis* sive *Sacræ Scripturæ*, sive *historiæ*, *Obulo S. Petri administrando; Fidei in Urbe præservandæ* permanent in statu quo ante.

---

vitam, virtutes et prodigia Servorum Dei vel Beatorum, quorum causis beatificationis et canonizationis manus apposuit Sacra Rituum Congregatio, typis edi ac publici juris fieri nequeunt, inconsulta eadem Sacra Congregatione et absque licentia *nihil obstat* R. P. D. Promotoris sanctæ Fidei, vel Adsessoris ipsius sacri Concilii ». AAS. 1909, p. 238; coll. a. 32 C. *Officiorum*.

(1) Cf. suprà p. 282, nota 2.

(2) Hæc congregatio inde videtur tantum pollere voto consultativo. Cf. WERNZ, *o. c.*, t. II, n° 666, p. 767; *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 21.

(3) LEITNER, *o. c.*, p. 21.

(4) Cf. suprà p. 374, nota 1 g/.

Congregatio *Reverendæ fabricæ S. Petri* curandam habet rem familiarem Basilicæ Principis Apostolorum.

Demum cœtus cui finis est Ecclesiæ leges in unum colligendi, donec opus absolvatur, jura sibi a SS. D. N. Pio PP. X commissa integre servat (1).

A. De Meester.

Notæ Bibliographicæ

J. De Bie, S. Th. L., Prof. in Semin. Mechl., *Philosophia moralis ad mentem S. Thomæ Aquinatis.* Pars prior: *Philosophia Moralis Generalis.* In-8, XII-275 p. Lovanii, Fr. et Rob. Ceuterick, 1908. Fr. 5.

M. De Bie publie le cours de philosophie morale, qu'il professe depuis plusieurs années au Petit Séminaire de Malines. Il s'est proposé, dit-il dans la préface, non pas tant de faire du neuf, *multa nova in re morali proferre,* que de condenser l'enseignement des meilleurs auteurs anciens et modernes, à l'usage des élèves qui se préparent aux études théologiques.

L'ouvrage, nous sommes heureux de le dire, est un manuel excellent, qui, comme le déclare Son Éminence le Cardinal Mercier dans une lettre adressée à l'auteur, se recommande par *la clarté, la méthode, la sûreté* de doctrine. Le fond de cette doctrine est emprunté, comme de juste, aux grands Docteurs de l'École, et notamment à Saint Thomas d'Aquin; mais cela n'empêche pas l'auteur de prendre contact avec la pensée moderne. A cet égard, on lira avec intérêt et profit l'appendice sur les *États anormaux ou maladies des facultés intellectuelles,* l'exposé des théories sur *les bases de la morale et du droit.*

H. Mahieu.

ERRATUM

In ult. fasc., mensis Maii np. (p. 277, *nota* 3°) errore typographico duæ lineæ exciderunt, ita ut textus fieret inintelligibilis. — Sic compleatur linea 6ª notæ:

Si vero sumitur sensus, in populari sermone gallico occurrens, *maledictum, detestabile,* blasphemia patens est.

Jamvero multa suadent homines primitus hac locutione (sicut pluribus....

(1) Ad ipsum alluditur in procemio C. *Sapienti.* Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 335 ss., 452 ss.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Explica sequens consectarium inspirationis rite intellectæ: « Inspiratio se extendit ad omnia judicia quæ in genuinis S. Scripturæ textibus primigeniis continentur, et quæ verè sunt judicia ipsius auctoris inspirati, vel quæ in S. Scriptura explicite vel implicite citantur et ab hagiographo sive formaliter sive æquivalenter approbantur ».

II

Explica hoc assertum: « Creatio, passive accepta, est relatio creatorum ad Deum cum novitate essendi ». Cf. S. Thomas, I, Q. XLV, a. 3.

III

Applicando quæ exponuntur apud *Collat. Brug.*, t. VI, pp. 305 ss., expone quonam sensu virtus temperantiæ dicatur virtus cardinalis tum sensu generico tum sensu specifico; et ostende quænam et quanam ratione ad ipsam hoc altero sensu intellectam referantur variæ virtutes, aliæ ut partes subjectivæ, aliæ ut partes integrantes, aliæ ut partes potentiales.

IV

Exponatur quænam et quanam ratione varia vitia et peccata variis his virtutibus opponantur.

V

Da notionem theologiæ asceticæ, indicando præcipue discrimen cum theologia morali.

VI

Quasnam reverentias præstare debet sacerdos celebraturus dum deferens calicem accedit ad altare?

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 1er FASC. FÉVRIER 1909:

HUB. HOSTE. L'architecture domestique à Ypres. — Les anciennes façades, p. 5. — C. VAN DEN HAUTE. Documents inédits concernant les libraires et maîtres d'école de Bruges. 18. — C. CALLEWAERT. Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre. 41. — C. VAN DEN HAUTE. — Bon A. VAN ZUYLEN VAN NYEVELT. — R. DUPONT. Encore des cartulaires anciens de la Flandre. 63.

Comptes rendus. — M. PROU. Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108). (C. Callewaert). 66. — E. DE MOREAU, S. J. L'abbaye de Villers-en-Brabant aux XIIe et XIIIe siècles. (R. De Schepper). 70.

Chronique. 74. — Société d'Émulation. — Sociétés savantes et Congrès. — Périodiques. — Notes bibliographiques. — Nos objets d'art. — Questions. — Nécrologie.

Notes et Documents. — R. DE SCHEPPER. Portraits des abbés des Dunes, Gérard De Baere (1654-66) et Martin Collé (1680-98). 85. — R. DE WITTE. Bezoek van Maria van Burgondië in het begijnhof van Brugge. 88. — A. DE SCHREVEL. Un mandement épiscopal sur le Jansénisme. 91. — A. VISART DE BOCARMÉ. Comment s'ouvraient nos archives communales. 95.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 1 à 186). p. 1*-36*.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900), XI (1906) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Litteræ Apostolicæ

quibus Pontificium Institutum Biblicum in Urbe erigitur.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vinea electa Sacræ Scripturæ ut uberiores in dies fructus tum Ecclesiæ Pastoribus tum fidelibus universis afferret, jam inde ab exordiis Apostolici Nostri regiminis, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, omni ope contendimus. Instabat enim in primis præsens Ecclesiæ necessitas, ex eo maxime parta, quod de disceptationibus biblicis confusæ essent usque quaque ac perturbatæ mentes. Urgebat etiam conceptum animo Nostro desiderium, itemque nativum muneris Nostri officium provehendi pro viribus studium Sacrarum Scripturarum, comparandique, catholicis præcipue juvenibus, catholica studiorum subsidia, ne cum ingenti sanæ doctrinæ discrimine ad heterodoxos se conferrent redirentque modernistarum spiritu imbuti.

Ad provehendum S. Scripturæ studium,

His talibus Ecclesiæ malis efficacia et nova remedia oppositurus, majoraque studiorum biblicorum incrementa curaturus, illud jam pridem Leo XIII r. m. animo spectavit, Athenæum Biblicum in Urbe constituere, quod altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicæ ornatum, copiam præsertim excellentium magistrorum ad exponendos in scholis catholicis divinos Libros præberet.

Institutum biblicum quod Leo XIII animo spectaverat,

Salutare ac frugiferum Decessoris Nostri propositum Nos quidem avide complexi, jam Litteris Nostris « Scripturæ Sanctæ », die XXIII Februarii mensis anno MDCCCCIV datis (1), monuimus, percommodum Nobis consilium videri

et Pius X condendum conceperat

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 225.

hujusmodi Athenæi Biblici in Urbe condendi, quo « delecti » undique adolescentes convenirent, scientia divinorum elo- » quiorum singulares evasuri », illud addentes, spem bonam Nos certamque fovere fore ut ejus perficiendæ rei facultas, quæ tunc quidem Nobis, non secus ac Decessori Nostro deerat, aliquando ex catholicorum liberalitate suppeteret.

his Litteris erigitur.

Itaque quod felix faustumque sit reique catholicæ bene vertat Pontificium Institutum Biblicum in hac Alma Urbe, Apostolica Nostra Auctoritate, tenore præsentium, Motu proprio, de certaque scientia ac matura deliberatione Nostris, erigimus, ejusque leges ac disciplinam has esse statuimus:

Finis Instituti generalis

Finis Pontificio Biblico Instituto sit ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros Sacros pertinentium habeatur centrum, quod efficaciore, quo liceat, modo doctrinam Biblicam et studia omnia eidem adjuncta, sensu Ecclesiæ catholicæ promoveat.

magis determinatur.

Ad hunc finem spectat in primis ut selecti ex utroque clero atque ex variis nationibus adolescentes, absoluto jam ordinario philosophiæ ac theologiæ cursu, in studiis biblicis ita perficiantur atque exerceantur, ut illą postmodum tam privatim quam publice, tum scribentes cum docentes, profiteri valeant, et gravitate ac sinceritate doctrinæ commendati, sive in munere magistrorum penes catholicas scholas, sive in officio scriptorum pro catholica veritate vindicanda, eorum dignitatem tueri possint.

Ad eumdem finem pertinet ut tum magistri atque alumni Instituto adscripti, tum auditores, tum etiam hospites, qui extra ordinarium in Instituto studiorum cursum in disciplinis biblicis proficere cupiant, omnibus præsidiis adjuventur, quæ ad studia laboresque id genus opportuna censeantur.

Denique Instituti fine continetur ut sanam de Libris Sacris doctrinam, normis ab hac S. Sede Apostolica statutis vel statuendis omnino conformem, adversus opiniones, recentiorum maxime, falsas, erroneas, temerarias atque hæreticas, defendat, promulget, promoveat.

Quibus præsidiis erit instructum: lectionibus et exercitationibus,

Ut Institutum id quod spectat assequi valeat, omnibus ad rem idoneis præsidiis erit instructum.

Quare complectetur in primis lectiones atque exercitationes practicas de re biblica universa. Ac primo quidem loco

eæ materiæ tractandæ erunt, quibus alumni muniantur ad faciendum doctrinæ suæ coram Pontificia Commissione Biblica periculum. His accedent lectiones atque exercitationes de quæstionibus peculiaribus ex interpretatione, introductione, archæologia, historia, geographia, philologia aliisque disciplinis ad Sacros Libros pertinentibus. Addetur methodica et practica informatio alumnorum, qua ad disputationes biblicas ratione scientifica pertractandas instruantur et exerceantur. Præterea publicæ de rebus biblicis Conferentiæ adjicientur, ut communi quoque multorum necessitati atque utilitati prospiciatur.

Alterum summopere necessarium præsidium erit biblica Bibliotheca, quæ opera potissimum antiqua et nova complectetur necessaria vel utilia ad verum in disciplinis biblicis profectum comparandum, et ad fructuose peragenda ordinaria doctorum alumnorumque in Instituto studia. Accedet museum biblicum, seu rerum earum collectio quæ ad Sacras Scripturas et antiquitates biblicas illustrandas utiles esse dignoscantur. bibliotheca,

Tertium subsidium erit series variorum scriptorum, nomine et auctoritate Instituti promulganda, ex quibus alia eruditis investigationibus, alia defendendæ circa Libros Sacros catholicæ veritati, alia spargendis ubique sanis de re biblica doctrinis proderunt. scriptis.

De Constitutione atque ordinatione Instituti quæ sequuntur edicimus: Constitutio et ordinatio.

I. Pontificium Institutum Biblicum ab Apostolica Sede immediate dependeat ejusque præscriptis legibusque regatur.

II. Instituti regimen nominando a Nobis Præsidi credatur: hic, commissi sibi muneris vi, gerat Instituti personam, de rebusque gravioribus universis, quæ Institutum attingant, ad Nos referat, Nobisque regiminis sui rationem quotannis reddat.

III. Professores ordinarii constituant Instituti consilium, quod una cum Præside provehendis Instituti ipsius bono et incremento operam navabit.

IV. Supremam studiorum et regiminis Instituti normam et regulam principia et decreta constituent per Sedem Apostolicam et Pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda. Quæ principia atque decreta ut fideliter, integre

sincereque servent et custodiant, speciali se obligatione teneri si universi intellegant, qui ad Pontificium hoc Institutum Biblicum quovis modo pertineant atque ad studia biblica in ipso Instituto incumbant.

Quæ ad constitutionem atque ordinationem Instituti hujus Biblici propius spectent, ea in propriis Instituti legibus, his Litteris Nostris adjunctis, enucleatius declaramus.

Hæc volumus, edicimus, statuimus, decernentes præsentes Litteras firmas validas efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos judicari et definiri debere atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die VII Maii MDCCCCIX Pontificatus Nostri Anno Sexto.

(Locus Sigilli).

R. Card. MERRY DEL VAL
a Secretis Status.

Leges

Pontificio Instituto Biblico regendo.

Titulus I. — *De studiis in Instituto peragendis.*

1. Peragendorum in Instituto studiorum materia ea in primis est quæ ad Academicos gradus, a Pontificia Commissione Biblica conferendos, requiritur. Fas præterea erit, de disceptationibus universis, ad profectum disciplinæ biblicæ pertinentibus, in Instituti ipsius scholis disserere.

2. Habendæ in Instituto scholæ triplicis generis sint: lectiones, exercitationes practicæ, conferentiæ publicæ.

3. In lectionibus pars aliqua disciplinæ biblicæ, nec nimis amplis nec nimis arctis circumscripta limitibus, ratione scientifica alumnis proponatur, ut ita in studiis adjuventur et ad subsequentes labores fructuose exantlandos sedulo instruantur.

4. Practicæ exercitationes triplicem habeant sibi propositum finem: a/ *quod ad materiam studiorum,* viam sternere ad argumentum aliquod altius noscendum, subsidiis litterariis propositis, rationibus illustratis, difficultatibus solutis; b/ *quod ad formam,* edocere omnes familiaremque, institutione et usu, reddere scientificam methodum in studiis servandam; c/ *quod ad praxim,* exercitationibus viva voce aut scripto habendis, alumnorum quoque excitare activam assiduamque operam eorumque facultates scientificas ac pædagogicas evolvere.

5. Conferentiæ publicæ occurrant in primis communi multorum necessitati atque utilitati. Hæ tamen alumnis etiam Instituti multiplicem poterunt fructum afferre, quum rationem ipsis ostendant disputationes biblicas modo scientifico simul et populari, multorumque intellectui accommodato, pertractandi, suppeditentque provectioribus opportunitatem se practice exercitandi in hoc perutili dicendi genere, hac nostra potissimum ætate summopere necessario.

6. Pro universis biblicis studiis, tam in scholis quam privatim peragendis, Institutum alumnis offeret commodam laborum supellectilem omniaque eruditionis biblicæ instrumenta.

Titulus II. — *De regimine Instituti.*

7. Regimen Instituti spectat ad Præsidem, qui, sui muneris vi, Instituti personam gerit.

8. Præses a Summo Pontifice nominatur, audita relatione Præpositi Generalis Societatis Jesu, qui tres pro eo munere candidatos Ipsi proponet.

9. Præsidis adjutor et Socius munere fungatur a secretis Instituti, et in rebus ordinariis vices gerat absentis vel impediti præsidis.

10. Pro bibliothecæ cura gerenda et ceteris externis rebus ordinandis bibliothecarius et custos aliique idonei socii designentur.

11. Præses de omnibus gravioribus Instituti rebus ad Apostolicam Sedem referat, et ipsi Sedi regiminis sui rationem quotannis reddat.

Titulus III. — *De Magistris Instituti.*

12. Lectiones, exercitationes et conferentiæ certis tempo-

ribus habeantur ac dirigantur ab Instituti magistris. Hi vero vel ordinarii professores vel extraordinarii lectores erunt.

13. Professores ordinarii de consensu Apostolicæ Sedis per Præpositum Generalem Societatis Jesu nominentur.

14. Lectores extraordinarii, postquam plures per annos in officio docendi se probaverint, ad ordinarii professoris munus, servatis servandis, ascendere poterunt.

15. Magistri omnes etiam extra lectiones atque exercitationes practicas alumnis præsto erunt eosque in disciplinæ biblicæ studiis adjuvabunt ac dirigent. Scriptis quoque suis propositum Instituto finem assequendum curabunt, illudque maxime cavebunt, ne in varias ac dissitas doctrinæ investigationes abstracti, maturo laborum suorum fructu destituantur.

Titulus IV. — *De celebrantibus Instituti Scholas.*

16. Juvenes studiis biblicis in Instituto operam navantes, ad tres classes pertinere poterunt; nam aut alumni proprie dicti erunt, aut auditores inscripti aut hospites liberi.

17. In numerum alumnorum proprie dictorum non admittentur nisi qui sint in Sacra Theologia doctores, cursumque philosophiæ scholasticæ integre absolverint. Alumni omnes ita expleant in Instituto regulariter studiorum cursum ut se ad periculum coram Pontificia Commissione Biblica faciendum parent.

18. Auditores inscribi possunt qui integrum philosophiæ ac theologiæ cursum absolverint.

19. Ceteris studiosis, tamquam hospitibus liberis, ad lectiones audiendas aditus pateat.

20. Alumni atque auditores frequentes assidue esse diligentiamque servare tam in lectionibus quam in exercitationibus Instituti teneantur.

Titulus V. — *De Bibliotheca Instituti.*

21. Bibliotheca Instituti ita instruatur ut ordinariis studiis atque elucubrationibus tam doctorum quam discipulorum necessaria atque utilia præbeat litteraria subsidia.

22. Quare complectatur in primis opera Sanctorum Patrum aliorumque interpretum catholicorum et præstantiorum acatholicorum de Biblicis disciplinis.

23. Peculiari ratione Bibliotheca instruatur præcipuis operibus encyclopædicis et periodicis recentioribus ad biblica pertinentibus.

24. Præter magistros, Instituti alumni atque auditores ad usum Bibliothecæ ordinarium præ ceteris admittantur. Ordinario Bibliothecæ usu sint reliqui interdicti.

25. Quum Bibliotheca in id debeat maxime inservire ut studia ipso in Instituto peragantur, libros et scripta periodica in alium locum asportare nefas erit.

Ex Ædibus Vaticanis, die VII maii a. MDCCCCIX.

De speciali mandato Sanctissimi
R. Card. MERRY DEL VAL
a Secretis Status.

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 25 Maii 1909, in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator,* Ill^mus^ ac Rev^mus^ Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Deus omnipotens et clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, quemadmodum loquitur S. Leo Magnus (1), hominem his in terris rite paratis ac ornatis condidit totiusque mundi visibilis quasi dominum regemque constituit.

Verum, divinæ bonitati atque omnipotentiæ nondum satis erat factum; cum enim, ex sententia D. Dionysii, « Optimi sit optima adducere, » majores, imo dicamus, quantum fieri poterat omnes divitias suæ bonitatis et misericordiæ in humanum genus effundere decrevit. Itaque homini præstituit finem, nempe felicitatem, non illam quam vi naturæ in cognitione et amore Dei, summi boni, adipisceretur, sed beatitudinem perfectam atque supremam quæ supra naturam hominis, imo ultra omnem naturam est ordinisque divini, utpote participatio beatitatis ipsius summæ Trinitatis, per visionem divinæ essentiæ intimamque charitatis seu amicitiæ cum Deo unionem.

In ordine ad hujusmodi finem, totam hominis naturam ad superna atque divina extulit, hominem consortem fecit divinæ naturæ, filium Dei adoptivum, omnibusque donis exornavit quæ ab hujusmodi consortio tamquam ex fonte, tum in intellectu tum in voluntate, profluere aut ab eo exigi nata erant. Ne vero ullum ab infirma natura sentirent hæc gratiæ dona impedimentum, hominem quoque immortalitate et ex ea consequente omnimoda integritate præter naturam donavit divina pietas.

(1) *Sermo II, in Nativ. D. N. J. C.*

Quam magnificum Dei opus! Quod tamen fraude ac malitia diaboli, ingrata hominis superbia ac imbecilitate, ad momentum saltem, visum est everti.

Sed numquid frustra et in cassum erit tanta Dei munificentia, et dæmon de ipso Omnipotente triumphum aget? Nequaquam.

Deus, cujus potentia non vincitur, cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, merito asserimus numquam futurum fuisse ut permitteret hominis lapsum, nisi præscivisset ac præordinasset totius ordinis sublimiorem instaurationem, qua opus suum, nedum reficere cogeretur, perficeret potius atque compleret.

« Quia gloriabatur diabolus, *ait S. Leo M.* (1), sua fraude deceptum hominem divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricationis consortio invenisse solatium, Deum quoque justæ severitatis exigente ratione erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam, opus fuit, dilectissimi, secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret. »

Hoc quidem sacramentum occultius fuit Incarnatio Verbi Dei et redemptio generis humani totiusque mundi per passionem mortemque Jesu Christi.

Neque igitur refecit Deus suum opus sed complevit. Nec restituit sua dona supernaturalia ac divina humanæ naturæ in omnes homines propagandæ, sed personis singulis hominum eadem abundantius restituere constituit qui sua libertate cum divina gratia, per merita Redemptoris, bene usi participes fierent redemptionis. Donum vero immortalitatis et ex eo profluens donum integritatis omnino non restituit homini in hac vita, tum propter redemptionis modum, quo Christus, ex humano genere assumpta natura passibili ac mortali, per mortem expiaturus erat culpam ac meriturus ordinis divini instaurationem, tum etiam propter ipsum

(1) *Eod. Serm. II in Nativ.*

hominem, quo magis sentiret culpam necessitatemque redemptionis atque inveniret multiplex virtutum exercitium ac merita majora, ad exemplum Christi docentis ac patientis pro nobis.

*
* *

Quæritis forte, Rev. adm. ac dilectissimi Cooperatores, quo tendat hæc oratio; ast facili negotio intelligetis nos explicasse duplicem veritatem fidei quæ instar fundamenti est atque principii omnis zeli sacerdotalis, quo præprimis propriæ sanctificationi consulamus, et saluti plurimorum allaboremus.

*
* *

Etenim exposuimus summam filiorum Dei dignitatem eorumque ultimum finem, mercedem magnificam ad quam, meritis Christi Servatoris, attingere possumus atque debemus ipsi, aliosque quam plurimos adducere.

Viam quoque demonstravimus, quæ alia non est, Christo docente et exemplo suo eamdem præmonstrante, quam exercitium virtutum, quam labor et passio, quam pugna et colluctatio continua adversus hostes animarum nosque imprimis ipsos.

Profecto *militia est vita hominis super terram* (1). Quod autem de nobis singulis verum est, id quoque de Ecclesia Christi evidenter demonstratur, quæ non nomine tantum sed re, sicut caput Christus, militans est ac patiens in hac terra. Atqui nos sacerdotes elegit Christus tamquam duces in bello seu pugna spirituali, ut non solummodo nobis ipsis militemus sed adversus hostes animarum et sanctæ Ecclesiæ fortiter dimicemus, animas nobis commissas e faucibus inimici eripiamus, ab omni malo erroris et corruptionis præservemus, iisque arma ad pugnam ministremus docendo, exemplis præeundo, orando, litando, sacramenta conferendo. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis* (2).

*
* *

---

(1) Job, VII, 1.
(2) Jo., XV, 16.

Igitur primum fundamentum et principium zeli in salute propria necnon aliorum procuranda hoc est: in omnibus respice finem, in omni opere atque opera ante oculos habe supremam dignitatem filiorum Dei et quæ ipsis paratur nullis verbis exprimendam nec mente concipiendam sublimem mercedem. Alterum fundamentale principium zeli est numquam oblivisci hujus inconcussæ veritatis: *non coronatur nisi legitime certaverit* (1). Ergo *labora sicut bonus miles Christi* (2). Neque propriam salutem operabimur, neque ad beatum finem alios adducemus, nisi multo labore atque patientia.

Et nostra quidem infausta tempestate, quantis adversitatibus premitur Ecclesia, quam multæ animæ pereunt, quanta pericula etiam populo nostro imminent, pericula fidei, pericula morum, pericula a se ipsis adjunctisque in quibus vivunt, pericula ab hostibus cujusvis nominis ast æque pessimis.

Videor mihi audire Christum Salvatorem, sicut olim magnum Apostolum, ita singulos nostrum designantem: *Ego... ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati* (3).

Libenter ergo patiamur et strenue atque continuo laboremus pro Christo. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes* (4).

Utrumque fundamentum zeli simul intuendo, cum Apostolo dicamus: *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (5).

*
* *

Ut jam ad quædam particularia magis ac singularia acce-

---

(1) 2 *ad Tim.*, II, 5.
(2) *Ibid.*, II, 3.
(3) *Act. Apost.*, IX, 15.
(4) *Ad Hebr.*, XII, 1-4.
(5) 2 *Cor.*, IV, 17.

damus, quod primum nos ipsos spectat, quo latius serpere videmus varias errorum novitates, eo intimius adhæreamus sanctæ Ecclesiæ quæ est columna et firmamentum veritatis, eo magis conjungamur ducibus nostris ac in fide magistris Episcopis, præprimis vero summo ac infallibili Ecclesiæ Doctori, Romano Pontifici.

Et hæc laus est absoluta et plena, Deo sint gratiæ, cleri nostri, quod nullatenus movetur omni vento doctrinæ, sed firmiter inhæret traditæ nobis fidei.

Quo magis etiam in agendi modis extollitur variis sub prætextibus novitas seu, ut ajunt, modernitas, eo cautius in hac quoque parte nos habeamus, neque unquam ab antiquis probatisque moribus nostris aut imo nos gerendi modis consuetis deflectamus, nisi ubi Prælati, quorum cura atque vigilantia ad hæc quoque sese extendit, quædam in melius mutanda aut innovanda significaverint. Ne cum illis faciamus qui Superiorum mandatis ac consiliis ægre morem gerunt, vel et crisi subjiciunt, ad primum vero verbum aut motum nescio cujusnam omni auctoritate destituti statim quoquoversus aguntur. Sed et memores simus ante omnia et in omnibus nos esse sacerdotes, ita ut quæ ad salutem animarum procurandam atque promovendam adiaphora sunt, nos etiam ut talia habeamus utque ad rem nostram accessoria seu accidentia tantum.

Cæterum quam vanæ sint hujusmodi novitates, si eas lumine rectæ rationis introspicimus, nemo non videt. Vel ipsa, quam tantopere quidam extollunt, scientia moderna quam sæpe falsi nominis scientia aut specietenus tantum scientia dici meretur. Ut æquum hac de re judicium feramus, nullum dubium est in rebus naturæ leges fœcundas et in variis ad usus humanos applicationibus mirabiles a modernis fuisse in lucem collocatas, et generatim in observandis factis, sive quod naturam physicam attinet, sive quod psychologiam respicit, necnon in documentis ad historiam spectantibus iisque crisi subjiciendis, miram sagacitatem a modernis fuisse adhibitam, ita ut ad scientiam proprie dictam harum omnium rerum ingentem molem materiæ studiorum contulerint.

Quod vero ipsam proprie scientiam attinet, seu systema veritatum rite demonstratarum quod super hujusmodi facta

et leges ædificatum nomen scientiæ habet, nondum hujusmodi ædificium extructum videmus, sed multiplices hypotheses, variatio multiplex et contradictio frequens occurrunt. Quod autem scientias speculativas et philosophiam attinet, quam parum accesserunt ad Ecclesiæ Doctores, vel potius quam longe recesserunt ab eis moderni! Quid enim nobis attulerunt hujus ætatis philosophi nisi fere recoctos Scepticorum antiquorum erroneos conceptus, a philosophis christianis in hoc solum attendendos quod eorum virus late serpens et animos intime afficiens detegi debet et confutari?

Quam dolendum etiam et quam alienum a vera scientia quod multi hujusmodi docti eo fine incumbunt in studium naturæ vel alias disciplinas ut Deum Creatorem eliminare et Ecclesiæ dogmata convellere conentur.

Ex his omnibus intelligimus quam necesse sit nobis inhærere firmiter Ecclesiæ doctrinæ, et prælucente fide, indefessim incumbere studiis tum proprie ecclesiasticis ut et nos ipsi in fide magis illuminemur ad sanctificandam animam nostram, et alios in eumdem finem docere et in fide confirmare valeamus, tum studiis etiam profanis qua cum fidei doctrina connexis, ut confutare valeamus quæ ex his hausta dogmatibus Ecclesiæ objiciuntur.

***

Præter errores quæ mentes inficiunt, corruptela morum nos sollicitos reddere debet; quo autem magis se extendere videtur, eo strictius invigilemus nobis ipsis, ut pravis exemplis quibus fideles seducuntur, opponamus solidioris ac majoris virtutis in dies demonstrationem. Nostra omnino interest, dilectissimi sacerdotes, non tantum propter exemplum fidelium sed propter salutem propriam ut spiritu pœnitentiæ et christianæ mortificationis ducti, hodie magis quam antea, eo strictiore quadam vitæ ratione utamur, quo procliviores ad luxum et vitium homines fiunt. Hæc nostra est intima persuasio, hæc nobis est evidentia necessitatis ut integri in clero mores, ut vere sacerdotalis vivendi modus serventur, et nomen bonum Flandriæ clero usque perseveret.

Idem dicamus in particulari de falsa libertate et independentiæ, ut ajunt, superbia, quod quidem virus apud modernos tum in familias, tum in totum humanum convictum

penetravit, ita ut, velimus nolimus, illud quasi cum aere respirare cogamur. Ab eo nos defendamus viriliter, toto corde inter nos uniti et simul omnes cum omni animi demissione subjecti Prælatis nostris. Omnem clerum, tam sæcularem quam etiam regularem, quem vi vocationis sanctæ strictiori disciplinæ subesse decet, paterno affectu compellamus, ut evangelicæ simplicitatis et humilitatis memores nihil antiquius habeant quam ut eam quæ semper hic viguit animi summissionem et obedientiam perfectam religiosissime observent.

*
* *

Ut tandem verbulum addamus de zelo in procuranda salute populi nobis commissi, quædam tantum conclusiones eodem quo supra ordine remanent proponendæ.

Studium et contemplatio rerum divinarum diximus quam necessaria sint nobismetipsis, neque enim cavendum est tantummodo ab errore suscipiendo, sed et fructus percipiendus est e veritate a Christo revelata, idque non in proprium commodum solummodo, sed et in utilitatem populi quem salutari doctrina ex gravissima obligatione pascere debemus.

Atqui, si laus absoluta deferri debet clero nostro eo quod ab omni errore alienus est, multi quoque laudem plenam consequuntur positive, quod intelligant summum studii momentum, gravitatemque docendi muneris. Ideo gratias illis quam maximas agimus, qui tum in scholis et collegiis nostris, tum catechizandis pueris et docendo populo sive in ecclesiis, sive in variis cœtibus congregationum, sive in comitiis et conventibus ad defensionem fidei et instruendum in fide homines specialiter institutis, tam gnaviter verbo et scripto operam navant. Utrum vero omnibus hæc deferenda laus sit, vobis, Rev. adm. et dilectissimi Cooperatores, inquirendum peculiariter mandamus. Toties enim de hac urgenti necessitate docendi, juxta grave præceptum sæpius inculcatum catechizandi in scholis et in ecclesiis, imo ubique vere docendi, diximus, ut jam ad nos deferendos decernere cogamur si quos forte inveniatis huic suæ obligationi tam strictæ non satisfecisse. Cum tanta impiorum molimina ad fidem in animis extinguendam nostris temporibus consideramus, jam pro munere nostro et ut propriæ conscientiæ consulamus,

negligentiæ hac in parte, non monendo solum, sed efficacius reprimendo, occurrere necesse nobis visum est.

Cæterum fas est et ab hoste doceri; cum omnibus notum sit hoc mandatum exiisse a franco-muratorum conventibus ut in omni regione terrarum scholas catholicas aggrediantur et diruere conentur, quomodo fieri potest ut vel unus sacerdos reperiatur cui schola catholica non sit ut pupilla oculi?

Præterea, nonne luce manifestius est in quocumque opere ad salutem patriæ et Ecclesiæ dirigendo ac promovendo, sive in re politico-religiosa, sive in re sociali, nos frustra allaboraturos nec quidquam solidæ ac stabilis naturæ effecturos unquam, nisi omne opus istud tandem innitatur religioni. Atqui sensus religiosus, praxis religiosa initium ac principium sumunt ab institutione rite percepta in doctrina fidei.

*
* *

De cætero, credimus clerum nostrum dilectum in administrandis parochiis et in invigilando gregibus suis sedulam operam navare; qua in re, hoc solum commendamus ut et in his accurate mandata et consilia Prælatorum observent, et non proprio marte sed ductum Superiorum sequendo vere militent Christo. Neque sit obedientia et docilitas solummodo mente sincera, de qua nemo dubitat, sed et opere ac veritate efficax, ita ut in omni re præcepta, in documentis mittendis ad aulam, in pecuniis colligendis, in certis operibus promovendis, verbo in omni administratione servent quoque modum ac tempora statuta.

Finem imponimus huic concioni, Rev. adm. Domini ac dilectissimi Cooperatores, iterum vos rogando omnesque dilectissimos sacerdotes et clericos hujus diœcesis ut instemus ferventi orationi, necnon a fidelibus et religiosis familiis preces effundi expetamus pro publica Ecclesiæ salute, præprimis in patria nostra novo instante adversus hostes certamine. Hujus rei memores simus quotidie in precationibus nostris et præcipue in sacrosancto offerendo sacrificio. Ita novum alimentum capiet nostra in litando devotio, quæ quidem, ut sæpe diximus, esse debet centrum totius vitæ nostræ spiritualis, sicut sacrificium eucharisticum centrum est atque fastigium totius cultus christiani.

Præter divinum auxilium perseveranter implorandum duo

nobis summopere attendenda videntur quæ non indigitare non possumus.

Primum est, ut veram indolem hodierni certaminis plebi christianæ quam sæpissime exponamus, scilicet colluctationem aliam non esse quam Ecclesiam inter et potestates tenebrarum, vereque salutem agi religionis et patriæ. Quod quidem duplici modo præstetur. Primo, occasione instructionis in doctrina fidei, non ex professo prudentiæ causa, sed data opportunitate quæ rite attendenti frequentissima occurret, hanc thesim proponendo conclusionis instar ex doctrina tradita, v. gr. explicata fide divina ejusque necessitate ac præstantia, item exposita natura, dotibus, missione divina Ecclesiæ, vel propositis parentum obligationibus erga filios. Secundo, ex professo idem doceatur scriptis vulgandis, tum apologeticis, tum etiam diariis et foliis proprius ad rem politicam pertinentibus. Et maximi quidem momenti est ut jam nunc incipiamus, omni data occasione, quo majori possumus numero, titulo quoque gratuito ut attingamus omnes, hujusmodi scripta quaquaversus spargere, nullamque adversariorum objectionem irrefutatam relinquere, quemadmodum in quibusdam regionibus hujus diœcesis cœptum novimus ingenti cum fructu.

Alterum maxime curandum est, ut unio animorum arctissima servetur non modo in clero sed et in populo christiano. Igitur, intuitu altioris finis, salutis nempe publicæ, expellatur quodcumque dissensionis fermentum, omni excluso prætextu. Et quod huc pertinet, omnino sedandi sunt ardentiores quorumdam animi quod usum linguarum spectat. Aliquos novimus qui hac in re decepti in oppositam partem animos imprudenter nonnumquam excitarent quasi rationem ultimi finis habeat usus alicujus idiomatis et in hoc usu totum consistat, quos quidem nunc sapientiores effectos ad pacem atque unionem totis viribus allaboraturos esse confidimus ac exspectamus, cum id muneris præprimis sacerdotibus, qui altiorem finem intendunt, et magistris scholarum cujusvis gradus maxime incumbat, ne inter cives ejusdem patriæ, filios ejusdem Ecclesiæ, in perniciem utriusque lugenda oriantur schismata.

Quam perniciem Deus omnipotens avertat, nobisque omnibus totique populo nostro misericors benedicat.

*
* *

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. sententiis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Praxim tradendi schedulas confitentibus in ordine ad Communionem paschalem easque, transacto tempore paschali, per domos colligendi nedum abrumpi, ubi existit, permittamus, introduci ubi non existit vehementer cupimus.

II.

Monemus RR. DD. Parochos ut servent decreta S. C. R. quibus prohibetur ne ad altare majus celebretur missa tempore quo coram eodem altari decantatur officium defunctorum.

III.

Instanter hortamur Parochos ad quos spectat ut omnem opem conferant R^o^ D^no^ De Nys, quatenus sui parochiani qui quotannis operandi causa in Galliam migrant societati mutui succursus adscribantur.

IV.

Plurimum desiderantes ut apud fideles crescat et florescat devotio erga SS^m^ Sacramentum, statuimus ut in singulis parochiis Nostræ diœceseos erigatur pia sodalitas *visitationis quotidianæ* nuncupata, a RR. PP. Leone XIII et Pio X multum commendata ac pluribus indulgentiis ditata. A membris sodalitatis hujusmodi, præter nominis in registro inscriptionem, nil aliud requiritur nisi ut quotidie unam visitationem ad divinum hospitem tabernaculi instituant; etiam brevissima unius minutæ sufficiens habetur. — Ante finem anni currentis unusquisque parochus Nos certiores faciat de confraternitate illa in sua parochia instituta, ut hujus aggregationem Archiconfraternitati Taurini sedem habenti procurare valeamus, quæ aggregatio ad indulgentiarum communicationem requiritur.

Interim renovamus et confirmamus sequens statutum in Congregatione Prosynodali anni 1865 promulgatum: « Sanctissima Eucharistia toto tempore diurno in tabernaculo resideat, et tantum per noctem recondatur in sacristia, si

recondi debeat ». — Mandamus insuper ut quotidie tempore pomeridiano saltem per aliquot horas ecclesia fidelium accessui pateat.

V.

Mens nobis est statis temporibus convocare *Confraternitates SS^mi Sacramenti* in diœcesi existentes ad aliquam publicam solemnitatem in honorem divinæ Eucharistiæ celebrandam, cujus locus, dies ac modus tempore opportuno indicabuntur.

Illius intuitu mandamus ut in decursu hujus mensis Junii singuli parochi schedulam hisce adjunctam ad aulam episcopalem remittant cum responsis ad quæsita in ea expressa.

VI.

Derogando *Statutis diœcesanis* p. 69 sq. præcipimus ut RR. DD. Parochi cujusque districtus apud Rev. adm. D. Decanum conveniant feria III post Dominicam III Paschatis. Suppressa jam distributione SS. Oleorum, nihilominus occasione illius conventus Decanus celebrabit Missam solemnem, sub qua sermonem habebit ad suos parochos. Hi, absoluta Missa, in domo decanali conferent inter se et cum Decano suo maxime de iis quæ censuerint utiliter tractanda in subsequenti Congregatione Prosynodali.

VII.

In audientia 11 Martii hujusce anni Sanctitas Sua Pius Pp. X Nobis benigne concessit ut benedictionem Apostolicam impertiri valeamus quoties Sacramentum Confirmationis Nos ministrare contingat. Illam benedictionem, cui adnexa est indulgentia plenaria sub solitis conditionibus lucranda, impertiemur non tantum pueris confirmandis sed et cæteris fidelibus præsentibus, sub initio cæremoniæ seu post cantatam orationem de Titulari ecclesiæ. Qua de re fideles tempestive præmoneantur.

VIII.

Annuntietur populo tempore opportuno præceptum jejunii et abstinentiæ, quod apud nos erat observandum in Vigilia Solemnitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli, benigna S. Pontificis dispensatione in regione nostra esse abrogatum.

Brugis, 4 Junii 1909.

† G. J., Episc. Brugen.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Facto inspirationis probato, sequitur libros S. Scripturæ duos habere auctores: auctorem principalem, Deum, et auctorem instrumentalem, hagiographum. — Hoc principium philosophice explica et subjectæ materiæ modo generali applica.*

I. **Explicatio philosophica.** Cùm Deus (seu, per appropriationem, Spiritus Sanctus) causavit Scripturam mediante hagiographo, Deus est Scripturæ causa sive *auctor principalis,* hagiographus verò causa sive *auctor instrumentalis.* Ita S. THOMAS: « Auctor principalis Scripturæ sanctæ est Spiritus s., homo autem fuit auctor instrumentalis » (1). Pariter docet LEO XIII: « Spiritum s. assumpsisse homines tanquam instrumenta ad scribendum » (2).

Quæ cum ita sint, doctrina de habitudine causæ principalis et causæ instrumentalis tùm ad invicem, tùm ad communem effectum, multum conferre nata est ad naturam inspirationis aliquatenus intelligendam, et genuinam inspirationis notionem præparandam (3).

1° *Principalis causa et causa instrumentalis sunt invicem subordinatæ. Causa principalis* movet causam instrumentalem seu facit agere instrumentum. « Causa instrumentalis... agit... per motum, quo movetur a principali agente » (4). Ita calamus non ex seipso scri-

---

(1) *Quodl.*, VII, a. 4 ad 5m.

(2) Encycl. *Providentissimus;* cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 293 ss.

(3) Cf. VAN NOORT, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina,* Amstelodami 1906, p. 40.

(4) S. THOM., *Sum. Theol.*, 3ª p., q. 62, 1 in corp.

bit, sed a scribente movetur ad scribendum et ad tali modo scribendum, sc. certis lineis certo ordine dispositis. — *Causa instrumentalis* ergo operatur virtute in se derivata a causa principali qua movetur ac regitur, adeoque *habet duplicem actionem*: a/ *propriam,* quæ sc. ei competit ratione formæ sibi propriæ (ita calamo competit extendere atramentum seu ducere lineas cum atramento; securi competit cædere ligna) (1); b/ *instrumentalem* ad quam evehitur suâ conjunctione cum causa principali, quæ instrumento utitur ad finem suum. Ita calamo competit actio instrumentalis scribendi lineas certo ordine dispositas, prout movetur a scribente ad significandum quod significare intendit; ità securi competit facere lectum in quantum dirigitur ab artifice. — *Imo causa instrumentalis non perficit actionem instrumentalem, nisi exercendo actionem propriam* (2): ita calamus lineas certo ordine disponit, ipsas lineas ducendo, et securis scindendo facit lectum.

2° *Effectus totus tribuendus est tùm causæ principali, tùm causæ instrumentali, quamvis sub diversa ratione seu formalitate.* Non est igitur « assignare in effectu partes secundum rem distinctas, quæ alterutri seorsum causæ debeant vel possint adscribi. Sicut in scriptura materiali ex. gr., totum est a calamo, totum a scribente, et sic de aliis. Verumtamen in hoc ipso effectu realiter indiviso diversæ apparent formalitates, quæ aut propriæ virtuti instrumenti, aut virtuti ejus solum instrumentali, adeoque in ultima analysi, virtuti agentis principalis referuntur acceptæ. Cogita iterum scripturam materialem, primo quidem secundum quod constat quibusdam lineis in atramento ductis, deinde vero secundum quod constat eisdem lineis certo ordine descri-

---

(1) Quare, ut ait De Jaegher (*Institutiones philosophicæ,* Rollarii 1900, p. 215), ad certas quasque operationes *certa* seligimus instrumenta.

(2) Seu virtus instrumentalis subjectatur in ipsissima actione quæ instrumento propria est. Cf. *Collat. Brug.,* T. VI, p. 446; T. VIII, p. 530.

ptis. Quorum primum refunditur in propriam calami virtutem alterum in motionem a scribente derivatam, quanquam impossibile profecto sit ut reali divisione, hinc ponantur lineæ, illinc vero artificiosa earumdem dispositio » (1).

II. **Applicatio ad S. Scripturam.** In condenda S. Scriptura Deus causa principalis hominem adhibere voluit ut causam instrumentalem ad scribendum verbum Dei. 1°/ *Deus ergo et hagiographus fuerunt causæ invicem subordinatæ.* Deus virtute sibi propria movit hominem ad scribendum, qui scripsit vi motionis a Deo derivatæ. Hagiographus ergo duplicem habuit actionem : a/ *propriam*, quatenus propria sua judicia humano modo formata in libro consignavit ; b/ *instrumentalem,* quatenus scribendo propria sua judicia humano modo formata, eo ipso scripsit judicia seu verba Dei. Ipsam igitur actionem instrumentalem perfecit exercendo actionem propriam. Ipsa actio propria hominis, quem Deus assumpsit in instrumentum, elevata est a causa principali ad producendum effectum (verbum Dei) quem instrumentum solum efficere non poterat. Ipsa virtus instrumentalis subjectata est in ipsissima actione quæ instrumento propria est.

Unde hagiographus non fuit instrumentum mere mechanicum in scribendo, sed instrumentum vivum, rationale adeoque liberum (2). Porrò, ut ait S. Thomas (3): « Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum, et sic non repugnat, quod Deus est causa actus liberi arbitrii ». — Unde præsumendum videtur hagiographum opus Dei perfecisse, exercendo actionem naturæ suæ convenientem, sc. vere humanam, i. e. intellectivam et liberam, ita ut per influxum divi-

(1) Cf. Billot, *De inspiratione S. Scripturæ.* Romæ 1906, p. 63.
(2) Hoc clarius patebit ex resp. I mensis seq.
(3) *De malo,* q. 3, in corp. et ad 4.

num res scribendas intellectu conceperit et libere ea conscripserit. Huic autem præsumptioni respondet veritas: ex ipsis Scripturis patet hagiographum non manu tantum, ut amanuensem vel secretarium, sed intellectu suo ac libera voluntate ad scriptionem librorum collaborasse. Id e. g. clare testatur auctor libri *II Mach.*, 2, 24-27; 15, 39, et *S. Lucas* in Evang., 1, 1-3, quæ loca ut heic inserta habemus (1).

Præterea præsumendum videtur (2) hagiographos opus Dei perfecisse, exercendo actionem propriam, modo singulorum indoli, culturæ cæterisque dispositionibus ac adjunctis proportionato. Cui præsumptioni iterum respondet veritas. De facto, auctoris humani ingenium, indoles, psychologia uti aiunt, aliaque plerumque adjuncta in quibus scripserunt hagiographi, ex ipsis libris inspiratis cognosci possunt. Omnes exegetæ ex scopo, destinatariis librorum Scripturæ, variisque adjunctis in quibus hagiographi versabantur, explicare conantur rerum delectum et ordinem, methodum, stylum etc.; nec quisquam hujusmodi quæstiones proxime et formaliter ex motione Dei et inspiratione solvendas esse autumat, quamvis illa omnia etiam Deo causæ principali tribuenda appareant.

2°/ Etenim *totus effectus seu liber inspiratus,* tùm quoad partem formalem (res et sententias), tùm quoad partem materialem (formam litterariam, sententiarum ordinem, verborum delectum, stylum) *tribuendus est instrumento et principali agenti.* Totus, sine ulla distinctione a parte rei, a Deo est et totus ab hagiographo, quamvis sub diversa ratione seu formalitate. In Scriptura reperire est duas formalitates distinctas: prior est qua consideratur ut constans sententiis modo humano et unicuique auctori accommodato conceptis et expressis; et hæc formalitas in hagiographum seu causam instrumentalem

(1) Cf. Van Noort, *o. c.*, p. 42 s.
(2) Ut rite notat Van Noort, *l. c.*

tanquam in proprium principium est refundenda. Altera formalitas est qua Scriptura consideratur ut constans sententiis eisdem ita formatis et expressis, ut vere sint verbum Dei ad homines directum: hæc formalitas Deo, causæ principali, tanquam proprio principio est tribuenda. Reipsa tamen nihil est in libro inspirato a Deo nisi per hagiographum, nihil ab hagiographo nisi ex motu Spiritus Sancti (1).

Corollarium. Sub motione divina hagiographi intellectu et libera voluntate ad verbum Dei scribendum allaborarunt. Motio illa Dei inspirantis non intelligenda est acceptio facultatum naturalium entis rationalis et concursus Dei generalis ad scribendum, qualis ad omnes actiones humanas requiritur. Hac enim ratione omnes libri unquam scripti vel exarandi, ad Deum referuntur, neque tamen Deus omnium librorum auctor est, neque eorum auctores sunt causæ instrumentales Dei in scribendo. Neque communis supernaturalis influxus gratiæ quocum multi Sancti scripserunt, sufficit ad hoc ut Deus dicatur libri cujusdam auctor principalis. Manet ergo ut hagiographi scripserint sub influxu gratiæ specialis transeuntis, gratis datæ seu charismaticæ quæ inspiratio vocatur (2). Quisnam autem hujusmodi influxus charismaticus in intellectum et voluntatem hagiographi fuerit, adeoque quomodo hagiographi fuerint calami vivi, intellectuales ac liberi sub motione Dei, explicabitur in Resp. I mensis seq.

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. Billot, *o. c.*, p. 64; Van Noort, *o. c.*, p. 45 s. qui etiam scite observat obscuritates, imperfectiones styli, barbarismos, cùm non sint effectus sed defectus, nonnisi causæ defectibili et deficienti tribui posse, ità ut in solum hagiographum tamquam in causam reducantur; Deumque libere assumendo instrumentum minus perfectum, imperfectionesque non auferendo, istos defectus per accidens voluisse, directe volendo et causando bonum cui conjunguntur, demùm idem de erroribus veri nominis affirmari non posse, cùm quæcumque in Scriptura docentur seu affirmantur, affirmentur a Deo.

(2) Cf. Pesch, *o. c.*, p. 408 s.

II

Q. *Expone notionem divinæ* providentiæ.

R. 1. Providentia divina definitur : *Ratio perductionis rerum in finem, existens in mente divina* (1).

Dicitur ratio perductionis rerum in finem : est enim illa intellectus *ordinatio* (2) *(le plan)* secundum quam omnes res producuntur, conservantur, moventur a Deo, tamquam a Prima Causa ; — ita ut omnia dirigantur ad *ultimum finem* ab ipso Deo volitum. Providentia enim divina præcipue respicit *ultimum finem* omnium rerum, collective sumptarum ; licet *singula* ad *proprium* finem ordinet, tamen permittere potest ut quædam deficiant a proprio fine.

Providentia est essentialiter et formaliter in *intellectu* divino (3) non in voluntate ; sed præsupponit voluntatis actum, nempe volitionem finis. « Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem » (4).

Ex his verbis patet actum providentiæ esse formaliter *præcipere :* h. e. *intellectu decernere* quæ sunt agenda ut finis volitus obtineatur (5).

---

(1) Cf. S. Thomas, *De Veritate,* Q. V ; I, Q. XXII ; Jungmann, *De Deo Uno et Trino,* P. I, n. 251 s. ; Billot, *De Deo Uno et Trino,* Romæ, 1898, Q. XXII, p. 253 ; Janssens, *De Deo Uno,* Romæ, 1899, t. II, p. 370 ; Buonpensiere, *Commentaria in I. P. Summæ Theologicæ,* Romæ, 1902, p. 773, n. 1103 ss. ; Pègues, *Commentaire français littéral de la Somme théologique,* Traité de Dieu, T. II, Toulouse, 1907, p. 319 ss.

(2) Quando hîc dicitur *ordinatio,* hæc vox sumenda est non formaliter pro ordinandi *actione* (ἐπίταξις), sed formaliter pro *termino objectivo* qui per eam actionem constituitur (ἐπιταγμα). Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, p. 411.

(3) « Providentia... essentialiter in *cognitione* manet, non quidem speculativa, sed practica ». S. Thomas, *De Veritate,* Q. V, a. 1.

(4) S. Thomas, I, Q. XXII, a. 1, ad 3.

(5) Inde providentia in Deo est *analogice* id quod est providentia in homine : providentia autem in homine est principalis pars integralis *prudentiæ.* Cf. S. Thomas, II-II, Q. XLVIII, a. 1, a. 6, præsertim ad 2. Cf. *Collat. Brug.,* t. I, p. 530, t. VI, p. 409.

2. Ut data notio melius perspiciatur, comparemus providentiam cum quibusdam aliis quæ in Deo ponuntur.

A. Providentia differt a SCIENTIA: tum a scientia *speculativa* quæ est de ipso Deo et de omni objecto cognoscibili quod non est operabile; tum a scientia *practica simpliciter* dicta, quia hæc est et de fine et de mediis ad finem, sed providentia est tantum de *iis quæ sunt ad finem, secundum quod ordinantur ad finem;* tum a scientia *practica, secundum quid* dicta, quia hæc est de omnibus possibilibus, eorumque variis ordinibus; providentia non est nisi de existentibus, in qualibet temporis differentia (1).

B. Providentia differt ab ARTE (quæ etiam in *intellectu* est): nam « ars, ex sua formali ratione, non præsupponit determinationem finis quæ fit per voluntatem artificis; respicit enim artificiatum in *sua absoluta specie* consideratum. At vero providentia *ordinate* disponit res *ad finem præstabilitum* a providente, et adjunctam habet executionis voluntatem » (2).

C. Providentia differt a PRÆDESTINATIONE hominum: hæc est tantum *pars* providentiæ: est enim ratio transmissionis quorumdam in finem vitæ æternæ, existens in mente divina (3). « Prædestinatio quantum ad *duo* a providentia differt. a/ *Providentia* enim dicit *universaliter* ordinationem in finem; unde se extendit ad *omnia* quæ a Deo in finem aliquem ordinantur, sive sint rationalia sive irrationabilia, sive bona sive mala. *Prædestinatio* autem respicit tantum *illum finem* qui est principalis *rationali* creaturæ, utpote gloriam; et ideo prædestinatio non est nisi hominum et eorum quæ spectant ad *salutem.* b/ Differt etiam alio modo. In qualibet enim ordinatione ad finem est duo considerare:

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 161.

(2) BILLOT, o. c., p. 254.

(3) Cf. S. THOMAS, I, Q. XXIII, a. 1, a. 3, a. 4; *De Veritate*, Q. VI, a. 1: quibus in locis constat prædestinationem, secundum S. Thomam, esse essentialiter in *intellectu* divino, non in voluntate.

scilicet ipsum ordinem et exitum vel eventum ordinis: non enim omnia quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. *Providentia* ergo *ordinem* in finem respicit tantum: unde per providentiam Dei *omnes* homines ad beatitudinem *ordinantur*. Sed *prædestinatio* respicit etiam *exitum* vel eventum ordinis; unde non est *nisi eorum* qui *gloriam consequuntur* » (1). — *Reprobatio* est etiam pars providentiæ: reprobatio est enim *prævisio* et *permissio* culpæ et finalis defectionis creaturæ rationalis a sua beatitudine supernaturali (2).

D. Providentia differt a LEGE ÆTERNA: lex æterna enim se habet tamquam *principium* providentiæ. Lex æterna est « ratio divinæ sapientiæ secundum quod est directiva omnium actuum et motionum » (3): Deus enim non solum est conditor omnium rerum sed etiam earum *gubernator:* quatenus est *conditor* omnium rerum, comparatur ad eas ut artifex, et ordinatio intellectu divino concepta, secundum quam omnia sunt condenda seu producenda in propriis essentiis, accidentibus et notis individuantibus, est *ars* divina; quatenus est *gubernator*, Deus comparatur ad res ut dirigens et movens: ordinatio autem, mente divina concepta, secundum quam singula, tum irrationalia, tum rationalia agere debent est *lex æterna:* (4) porro *secundum hanc supre-*

---

(1) S. THOMAS, *De Veritate,* Q. VI, a. 1.

(2) Cf. S. THOMAS, I, Q. XXIII, a. 3. — De ordine supernaturali quo Deus de facto res ad ultimum finem, a semetipso electum, perducit, cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. VII, p. 559 ss.

(3) S. THOMAS, I-II, Q. XCIII, a. 1.

(4) Cf. VAN DEN BERGHE, *De legibus,* Brugis, 1904, p. 14 ss. — Omnia entia participant legem æternam, inquantum scilicet ex *impressione ejus legis* habent *inclinationes* in proprios actus et fines. Creaturæ *irrationales* participant legem æternam in quantum habent suam naturam cum facultatibus operativis: naturâ, tamquam principio remoto; facultatibus operativis, tamquam principiis proximis, inclinantur in proprios actus et fines. Sed creaturæ *rationales,* qua tales, aliter participant legem æternam, nempe *intellectualiter* seu *rationaliter,* in quantum *cognoscunt* sese *obligari* ad bonum faciendum et malum vitandum, et in quantum ratione

mam ordinationem Deus *determinat* seu *decernit in individuo omnes suos effectus ad extra* quibus de facto ducantur creaturæ ad illum finem realizandum quem Deus statuit et absolute vult. « Providentia in Deo proprie non nominat legem æternam, sed aliquid ad legem æternam *consequens:* lex enim æterna est consideranda in Deo, sicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota, ex quibus procedimus in consiliando et eligendo; quod est prudentiæ sive providentiæ: unde hoc modo se habet lex intellectus nostri ad prudentiam sicut principium in demonstratione. Et similiter etiam in Deo lex æterna non est providentia, sed providentiæ quasi *principium* » (1). Ut bene perspiciatur legem æternam esse principium providentiæ, hoc consideretur quod cum *eadem lege æterna* potuisset Deus *diversos rerum ordines* condere: v. gr. cum eisdem legibus physicis, quæ nunc sunt, potuissent Deus constituere systema solare diversum a præsenti: hoc autem *providentiæ* est quod Deus *de facto* talia creaverit, in talibus adjunctis, quibus ortum est systema solare quod nunc est. Idem dic de aliis entium generibus. Etiam quoad homines, eadem remanente lege naturali (imo eadem, quoad speciem, elevatione ad ordinem supernaturalem), potuisset Deus res ita ordinare ut alii homines salvi fiant quam illi qui nunc de facto salvabuntur: providentiæ, formaliter prædestinationis (quæ est pars providentiæ) est quod nunc tales homines, tali sanctitate præditi, tali gradu æternæ beatitudinis fruentur.

E. Providentia differt a GUBERNATIONE: hæc enim est *exsecutio* ordinationis quæ est providentia et quæ est in mente divina (2).

---

cognoscunt *diversa præcepta* quibus obstringuntur ab Auctore Naturæ: hæc participatio legis æternæ est *lex naturalis*. Cf. S. THOMAS, I-II, Q. XCI, a. 2, Q. XCIII, a. 5, Q. XCIV, a. 5.

(1) S. THOMAS, *De Veritate*, Q. V, a. 1, ad 6. — Inde patet obligationem moralem a *lege* formaliter derivari, non a providentia.

(2) Cf. S. THOMAS, I, Q. XXII, a. 3.

F. Providentia differt a BENEFICIENTIA DIVINA: hæc enim est voluntas communicandi bonitatem h. e. perfectionem divinam: jamvero beneficientia est principium providentiæ: quia enim Deus vult aliis communicare bonum, ideo intellectu determinat *ordinationem* secundum quam est facienda communicatio: illa intellectus ordinatio est providentia.

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Undenam æstimanda est gravitas vel levitas in peccatis?*

R. 1° Quomodo determinari potest **in genere quænam sint peccata ex genere suo gravia** (1)?

Uti advertit BILLUART (2), « velle de omnibus et singulis certo definire, hoc est mortale, hoc veniale, temerarium est, cum id humanam superet industriam... Attamen de aliquibus certo, de multis probabiliter definiri potest ». Et in hunc finem a theologis *regulæ quædam* assignari solent.

Quoad leges humanas, remissive ad tract. *De legibus*, ubi exponitur duo simul requiri ut lex humana obliget sub gravi, gravitatem materiæ et voluntatem saltem implicitam in legislatore obligandi sub mortali, atque additur quomodo utrumque dignosci possit (3).

Quoad leges divinas, sequentes assignantur regulæ:

a/ *Ex Sacra Scriptura.* « Peccata quæ in Scripturis dicuntur excludere a regno Dei, esse abominabilia, detestanda, execranda, morte digna, aut habent adjunctam aliquam aliam gravem maledictionem, vel quibus dicitur *væ*, sunt mortalia; quæ autem remissioribus terminis efferuntur, sunt venialia. Exempla prioris habes

(1) Cf. *supra* hoc t. XIV, p. 351.
(2) *Tractatus de peccatis,* Diss. VIII, art. 2 in fine.
(3) Cf. H. VAN DEN BERGHE, *Tractatus de legibus,* n. 79 ss.

Levit. 24, Prov. 6, Is. 5, Rom. 1, 1 Cor. 6, Gal. 5, Eph. 5 et alibi. Posterioris Prov. 10, Matth. 12 et alibi » (1).

b/ *Ex traditione.* « Quæ ex communi sensu Patrum, Episcoporum et Doctorum habentur in Ecclesia pro mortalibus, censenda sunt mortalia; quæ pro venialibus, censenda sunt venialia: quia jure præsumitur Deum Ecclesiam suam in re tanti momenti non deserere, neque permittere, ut in animarum perniciem errore communi decipiatur » (2).

c/ *Ex ratione.* Peccata quæ secundum rectam rationem graviter lædunt dilectionem Dei, sicut blasphemia, perjurium, et hujusmodi, sive dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium, et similia, sunt mortalia ex genere suo (3).

2° Quoad peccata quæ sunt gravia ex genere suo, **quandonam in particulari censenda est materia gravis vel levis?**

Hoc nequit certa regula generali definiri; melius dicendum videtur cum BILLUART (4), quod « desumenda est gravitas vel levitas materiæ ex hoc, quod secundum judicium prudentum et Doctorum graviter vel leviter conducat ad finem gravem legis, ita ut illa materia sit gravis quæ graviter conducit ad finem legis, levis, quæ leviter ». Porro pro variis præceptis istud judicium et communis æstimatio prudentum indicantur in theologia morali speciali.

In specie attendi debet illa æstimatio prudentum ad judicandum *de gravitate partis* alicujus rei præceptæ,

---

(1) BILLUART, l. cit. Nota tamen quoad singula peccata diligenter pensanda esse verba Scripturæ, et quidem juxta sensum Ecclesiæ. Cf. exempli causa Prov. VI, 16 ss.: Deus dicitur odisse linguam mendacem; mendacium tamen non censetur grave ex genere suo, nisi sit injuriosum.

(2) BILLUART, *l. cit.*

(3) S. Th. 1-2, q. 88, art. 2.

(4) *L. cit.*, art. 3.

quæ pars debet considerari tum absolute, v. g. omissio Consecrationis in auditione Missæ die dominica, tum relative ad materiam totalem, v. g. omittere omnia a principio Missæ usque ad Offertorium inclusive; item ad judicandum quandonam *plures parvæ materiæ coalescant* in materiam gravem. Quoad hoc tamen dari solet hæc regula: Tunc coalescunt plures materiæ parvæ, quando pertinent ad idem numero præceptum unamque moraliter præcepti transgressionem (1).

H. Mahieu.

IV

Q. *Per summa capita indica varios modos quibus Ecclesia interveniat in proponenda doctrina fidei vel cum fide connexa.*

R. **Prænota.** 1. **Quinam** doceant in Ecclesia. — Depositum fidei quam huic mundo intulit, commisit Christus Ecclesiæ suæ integrum servandum, auctoritative interpretandum, docendum omnes gentes, ita ut duplex sit *regula fidei* nostræ: una *remota,* S. Scriptura np. et Traditio, *proxima* altera, auctoritas np. ecclesiastica. — Hoc autem magisterium complectitur tum *auctoritatem supremam,* nimirum Romanum Pontificem, necnon cœtum Episcoporum in unione cum R. P., sive actu coadunentur cum ipso in Concilio œcumenico, sive per orbem dispersi munus a Christo sibi demandatum exerceant; tum magistros authenticos (auctoritativos) *ordinis inferioris*, quales sunt singuli Episcopi pro sua diœcesi, concilia provincialia pro suis provinciis, Congregationes romanæ pro tota Ecclesia.

2. Utrum **infallibiliter** doceant. — Suprema quidem auctoritas, ex voluntate Christi, instructa existit privilegio infallibilitatis in definienda doctrina fidei vel mo-

(1) *Theol. Mechlin., Tract. de peccatis,* n. 136.

rum; non ideo tamen necesse est ut in exercenda auctoritate sua, semper adhibeat plenitudinem ejus totumque pondus, seu ut sententiam stricte definitoriam edere intendat; inferiores autem magistri fidei, etsi vera auctoritate, tamen infallibilitate non gaudent.

3. Circa quodnam **objectum** doceant. — Descriptam suam auctoritatem, etiam infallibilem, exercere potest Ecclesia, non tantum in proponenda veritate a Deo revelata, — quod est objectum *directum et primarium* potestatis doctrinalis, — sed etiam in veritatibus plus minusve cum revelatis connexis, — quod est objectum *indirectum et secundarium,* ratione np. connexionis suæ cum primario.

4. **Quonam modo** doceat. — Duplici modo nos docet Ecclesia quid tali vel tali assensu credi vel teneri (1) debeat: tum *directe: affirmando* doctrinam, tum *indirecte: rejiciendo* doctrinam oppositam; doctrina autem sic prohibita sæpe aliqua *censura* notatur.

His prænotatis — triplici modo solet Ecclesia in proponenda doctrina fidei vel cum fide connexa intervenire (2):

I. Interdum auctoritas doctrinalis suprema, **definitivo judicio** et proinde infallibiliter, proponit veritatem **tanquam a Deo revelatam.**

Dicitur: *Judicio definitivo:* tali np. cui Ecclesia exigat plenum et absolutum assensum ab omnibus. Hoc autem præstat sive *solemni judicio,* ut definit R. P. ex cathedra loquens et Concilium œcumenicum, sive *ordinario et universali magisterio*, i. e. consensu R. P. et Episcoporum, qui tum per seipsos tum per varii gradus cooperatores suos, ubique terrarum aliquam doctrinam ut revelatam prædicant (3).

---

(1) Solent theologi ea quæ admittenda sunt ob auctoritatem Dei revelantis, dicere *credenda*; *tenenda* vero ea quæ alio assensu, fidei ecclesiasticæ np. vel assensu religioso, vel assensu theologico.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VII, pp. 4 ss.

(3) Quo modo v. g. absque dubio ea omnia proponit quæ in S. Scrip-

Dicitur: *Definit:* etenim non ea quæ afferuntur ad probandum vel illustrandum punctum definitum, sed illud tantum quod est objectum definitionis, est infallibile (1).

Dicitur: *tanquam a Deo revelatam* (2), i. e. qua formaliter (explicite vel implicite) contentam in revelatione publica. Quæ enim tantum *connexa* sunt cum revelatis (inaccurate dicuntur virtualiter revelata), possunt quidem esse necessario admittenda utpote theologice certa vel fidei proxima, sed non sunt vere *dicta a Deo,* proindeque nunquam ob auctoritatem Dei seu fide divina admittenda; quæ vero *privatim* fuerint revelata, etiam ubi intercessit Ecclesiæ approbatio, nunquam tamen ad depositum fidei catholicæ seu communis Ecclesiæ pertinent (3).

II. Interdum eadem auctoritas suprema **judicio definitivo** et infallibili præscribit vel proscribit varias propositiones; attamen **non tanquam a Deo revelatas** eas, vel contradictorias earum, proponere intendit.

Dicitur: *Judicio definitivo,* quod iterum intellige ut supra (4).

Dicitur: *varias propositiones.* Tales sunt ea quæ di-

---

tura ita clare continentur ut a nemine sanæ mentis negari possint. HIZETTE, *Definitionis vaticanæ de infallibili R. P. magisterio commentarium theologicum.* (Lovanii, 1883), p. 76.

(1) Cæterorum tamen, ut patet, magna est auctoritas.

(2) Quod Ecclesia intendat aliquid definire qua *revelatum a Deo* variis signis potest constare, ut si explicite illud edicat, (ita egit quoad Immaculatam Conceptionem et Infallibilitatem R. P.), vel si contrarium asserentes pro hæreticis judicet; vel si definitio fieri dicatur de veritate *fidei;* vel si in hanc formam decretum fertur: Si quis senserit.... anathema sit. Cfr. BILLOT, *De Ecclesia Christi,* t. II, pp. 103 s. (1899). SCHIFFINI, *Tract. de Virt. infusis,* n. 340.

(3) *Collat. Brug.,* t. VI, pp. 520 ss.

(4) « Ita legitima electio Pii X solemni judicio nunquam fuit definita, tamen eo ipso quod constanter pontificem gerit, et ab omnibus Episcopis universaque Ecclesia theoretice et practice ut talis agnoscitur, apertum est magisterium ordinarium et universale legitimam ejus successionem manifestissime attestari ». VAN NOORT, *De fontibus revelationis et de fide divina,* p. 193.

cuntur objectum secundarium infallibilitatis Ecclesiæ, possuntque ad duo suprema genera reduci: *prius genus* complectitur *facta dogmatica*, quæ scil. ipsa non fuerunt revelata, sed tamen ad debitam dogmatum fidei propositionem, applicationem vel explicationem cognitu necessaria sunt; talia sunt: œcumenicitas alicujus Concilii, legitimitas electionis alicujus R. P.; conformitas talis determinatæ versionis cum scripturis originalibus; quod talis doctrina, puta ab Ecclesia reprobata, continetur in tali libro; disciplina generalis Ecclesiæ, seu leges ecclesiasticæ ad cultum vitamque christianam dirigendam pro universali Ecclesia statutæ (1); approbatio ordinum religiosorum (2); canonizatio sanctorum (3). — *Alterum genus* complectitur varias propositiones quas admittendas præscribit assensu infra fidem, et correspondentes *varias censuras* (4) *infra hæresim* (5) quas

---

(1) In his np. Ecclesia est infallibilis in quantum nequit sancire tales leges fidei vel moralitati adversantes aut natura sua vergentes in damnum animarum.

(2) Nequit np. R. P. solemnem et definitivam approbationem ferre in institutum, quod non sit medium aptum ad perfectionem christianam acquirendam.

(3) Hæc singillatim explicata et probata vide apud Van Noort, *Tract. de Ecclesia Christi*, 1902, pp. 89-99. Cfr. ed. 1909, pp. 93 ss.

(4) Patet agi hoc loco non de censuris *ecclesiasticis*, quæ per se et directe attingunt personas, et de quibus in tract. juris canonici, sed de censuris *theologicis seu doctrinalibus*, quæ sententias afficiunt, quæque definiuntur: Judicium seu sententia qua nota prava et maligna cuidam inuritur doctrinæ tanquam fidei aliquo modo nocivæ. Ab illa censura theologica differunt tum *prohibitio libri* qua refertur in Indice, tum *decreta disciplinaria* vel *æconomica* quibus interdum pacis causa, ad vitandum scandalum inter personas, vel in temporibus determinatis, prohibetur publica defensio doctrinæ, aut controversiarum continuatio, aut censuratio opinionum, etc. — Porro censura theologica si fertur a privatis doctoribus, ab universitatibus, etc. dicitur *mere doctrinalis*, seu *scientifica*, seu *privata*; quæ tantum valet quantum valet auctoritas ferentium eam; et de qua nobis non est agendum; si vero fertur a magistris Ecclesiæ authenticis dicitur *judicialis*, seu *authentica*. Estque hæc vel *definitoria* (de qua agimus sub hoc num. II), vel *non definitoria* (de qua agemus sub num. III).

(5) Quod enim spectat ipsam notam hæresim, hæc eo redit ut dicat

Concilium œcumenicum vel R. P. inurit variis propositionibus et opinionibus in dies exorientibus, quæ etsi non contradictorie, diversimode tamen opponuntur (1) veritatibus a Deo revelatis ita ut harum negationi plus minus affines sint, eique in animis hominum viam parent. — Variæ (2) autem istæ censuræ ad *tres classes* reduci possunt : sicut enim ad fidem varia ratione pertinent actus credendi interior, confessio exterior et executio in opere, ita Ecclesia propositiones damnare potest :

a/ alias *ob ipsam doctrinam assertam :* — quo modo damnat propositiones ut hæresi proximas, erroneas, temerarias, falsas, improbabiles, minus probabiles, insanas, stultas, etc. Huc refer damnationem variarum propositionum quin species pravitatis determinetur ;

b/ alias *ob expressionem,* seu *formam enuntiandi,* quatenus locum præbent variis damnandis interpretationibus aut variis suspicionibus ne errores lateant in mente auctorum ; — quo modo damnat propositiones ut hæresim sapientes, de hæresi suspectas, errorem sapientes, de errore suspectas, male sonantes, piarum aurium offensivas, etc.;

c/ alias *ob pravos effectus* quibus eorum prolatio, publicitas, defensio, locum præbere potest: — quo modo damnat propositiones ut scandalosas, captiosas, inducentes in errorem, perniciosas in praxi, contumeliosas in Deum, in sanctos, in Ecclesiam, blasphematorias, schismaticos, seditiosas, superstitiosas, etc. (3).

---

contradictoriam esse de fide divina tenendam, ita ut incidamus in dicta sub num. I.

(1) Cf. notam sub nº 3.

(2) Sunt multæ, ita ut Antonius de Panormo in *Scrutinio doctrinarum,* S. XVII usque ad 69 numeraverit eas. Et bulla *Unigenitus,* quæ reprobat propositiones Quesnelli usque ad 18 censuras iisdem inurit.

(3) Hinc apparet quonam sensu dicatur varias sententias proscriptas esse *nocivas fidei :* aliæ enim revera, plus minus remote, ipsi adversantur, cujusmodi sunt sententiæ 1ᵃᵉ classis ; aliæ sæpius non ipsi fidei sed aliis virtutibus opponuntur, puta caritati, religioni, et proin eatenus dici

Porro in proponendis factis dogmaticis et in inurendis notis theologicis, *suprema auctoritas in Ecclesia est infallibilis*, quoties sententiam definitivam edere intendit. — Quæ infallibilitas dicenda videtur *fidei proxima*, utpote quæ cum principiis fidei revelatis certissime cohæret, et insuper judicatur a pluribus formaliter etiam revelata, et ut talis ab Ecclesia *definibibis; definita* tamen hucusque non est, et proinde simpliciter *dogma fidei* dici nequit.

III. Interdum quasdam sententias theologicas præscribit vel proscribit, **ad prospiciendum securitati doctrinæ** catholicæ (1), **sine judicio definitivo** et irreformabili seu sine infallibili propositione veritatis.

Tales sententias (2), (sive directe assertivas, sive indirecte, reprobando seu censurando), edere possunt tum auctoritas magisterii *suprema*, quoties nim. totum pondus auctoritatis non adhibet (3); tum magistri *inferiores:* auctoritas quidem *Episcoporum* qua talium refertur tantum ad prædicandam (4) et tuendam doctrinam jam a

---

possunt nocivæ fidei, quatenus ex doctrina fidei generatim prohibetur *omne* vitium. Cfr. SCHIFFINI, *o. c.*, n. 191; SALMANT, *De fide*, disp. 9, dub. 4, n. 38.

(1) Quem modum interventus vocat VAN NOORT, *De Fide*, p. 196: mere authenticum (?). Dicitur etiam Ecclesia sic agere vi potestatis universalis providentiæ, vel providentiæ doctrinalis.

(2) Agimus iterum de decretis *doctrinalibus*, non de decretis *disciplinaribus*. Inter quæ hoc est discrimen, quod etsi utrumque sit reformabile, prioris tamen reformatio fieri debet modo auctoritativo et authentico, dum alterius ut quævis alia lex, mutatis adjunctis, et in specie consuetudine contraria, potest obtineri.

(3) Talia sunt decreta beatificationis; tales sunt plures constitutiones, plures litteræ encyclicæ RR. PP., in specie encycl. Leonis XIII; et ipsa, ut videtur, encycl. *Pascendi* Pii X.

(4) De extensione hujus potestatis prædicandi, cfr. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, t. I, pp. 274 ss. (ed. 1903). Inter alia nim. complectitur jus designandi aut approbandi magistros in seminariis et collegiis clericorum, eaque præscribendi quæ ab ipsis doceri debeant. Hi enim professores vices ejus gerunt, et sub regimine et inspectione ipsius alumnos docent. (De jure ipsius in athenæis, gymnasiis, scholis mediis et primariis, cfr. l. c., sub d/): — Item complectitur jus approbandi aut prohibendi libros qui religiosas aut morales disciplinas respiciunt.

suprema auctoritate vel a Congregationibus romanis propositam, non vero ad dirimendas controversias inter probatos catholicos (1); auctoritas *conciliorum provincialium aut nationalium,* latius quidem patet, sed nec ipsa solent controversias dirimere, eorumque decreta priusquam edantur, a S. C. Concilii recognosci debent; potiores proin ex his magistris inferioribus sunt *Congregationes romanæ* ex quibus jam sola (2) *C. S. Officii seu Inquisitionis* quæstiones doctrinales tractat.

Hæc decreta C. S. O. semper submittuntur *approbationi R. P.* (3) estque approbatio sive *in forma communi et ordinaria*, ita np. ut sint et maneant decreta S. C. O., et quamvis magis tamen commendentur, nonnisi ex hujus auctoritate obligent (4); vel approbantur *in forma specifica*, quoties np. R. P., re mature perpensa, « motu proprio, et ex certa scientia » ipse decretum fecerit suum; quo ergo casu, ipse R. P. est subjectum docens et judicans, obligatque decretum ex hujus R. P. auctoritate; ipsum autem suffragium congregationis relate ad actum hunc finalem, fit quasi valoris mere consultativi; attamen inde nondum fiunt

---

(1) *Ibid.* — « Nihilominus potest circa quasdam controversias silentium imponere diœcesanis, donec saltem causam detulerit ad S. Sedem, si prævideantur scandala oritura, cum periculo caritatis et fidei. Potest etiam opiniones proponere et commendare, necnon docere alias præ aliis esse magis salutares et professoribus Seminarii injungere ut tales præ aliis doceant; sed ita tamen ut, quod dubium est, neque ut doctrina certa vel catholica tradatur, neque censura theologica notetur ».

(2) Sub novo np. jure, introducto per Constitutionem *Sapienti Consilio,* 29 Junii 1908 (cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 481-495; et supra, pp. 281 ss.). Attamen ob connexionem inter prohibitionem librorum et rem doctrinalem, apte provisa est mutua communicatio inter utrumque dicasterium *Indicis* np. et *S. Officii.* — Tandem *Commissio biblica* ipsa, decreta doctrinalia edit, ut constat motu proprio *Præstantia* (cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 5 ss.). — Sub vetere autem jure etiam S. C. Indicis, ac pro re morali S. Pœnitentiaria talia decreta edebant.

(3) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Juris canonici... compendium,* t. I, p. 256 (1903), n. 305.

(4) Idem dic de decretis conciliorum provincialium et nationalium, quæ approbantur in forma communi.

definitiones (1); et ideo majorem quidem auctoritatem habent talia decreta quam si in forma communi fuissent approbata, sed non exigunt et ipsa nisi assensum religiosum (qu. seq.) (2).

V

Q. *Quænam ex parte fidelium correspondet obligatio adhærendi iis quæ auctoritas doctrinalis in Ecclesia vario modo* (cfr. qu. præc.) *proponit in doctrina fidei vel cum fide connexa?*

R. I. Ecclesiæ veritatem aliquam **definienti tanquam a Deo revelatam**, respondet a parte nostra obligatio adhærendi **assensu fidei divino-catholicæ**; qui autem tali judicio Ecclesiæ resistit, incurrit **reatum hæreseos stricte dictæ.**

Dicitur: *assensu fidei divino-catholicæ: catholicæ* quidem, quum ea debeat esse fides communis totius Ecclesiæ; *divinæ* vero, quum tales veritates nobis admittendæ imponantur propter auctoritatem Dei revelantis: propositio enim Ecclesiæ non est motivum cur hæc credamus, sed unice instrumentum et via qua nobis infallibiliter constat de facto revelationis divinæ.

Dicitur: *qui resistit tali judicio Ecclesiæ;* quibus verbis

---

(1) Ut talem valorem habeant, requiruntur indicia sufficientia *definitivæ* sententiæ.

(2) Talis generis est decretum *Lamentabili,* quod fuit approbatum a R. P. in forma specifica motu proprio *Præstantia* (cfr. A. VERMEERSCH, *De modernismo;* cfr. tamen *Collat. Brug.*, t. XIII, pp. 78 ss.); imo talis pluribus videtur ipse *Syllabus.* — Cf. CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires*, 1907, pp. 104 ss.

Ad decreta, de quibus sub III, refert VAN NOORT (*De fontibus....* n. 254), item MAZELLA, p. 242 s., aliique, etiam ea quibus dicitur: « *Tuto doceri nequit, tutum non est admittere* ». — Quæ tamen sæpius videbuntur *disciplinaria* dicenda, non doctrinalia; etsi sane *fundamento* doctrinali non careant, adeoque, præsertim ubi iteratis vicibus emittuntur, validam ad minus præsumptionem contra propositionem sic proscriptam præstent. Talia sunt decreta S. C. O. circa craniotomiam, circa comma Joanneum; et similia.

designantur tum illi qui negant (1) ipsam infallibilitatem Ecclesiæ in his, tum illi qui hac infallibilitate admissa, negant ab Ecclesia ut revelatam definitam esse propositionem quæ sufficienter ipsis ut talis manifestatur, tum denique illi qui, admissis tum infallibilitate Ecclesiæ et propositione ab Ecclesia facta, renuerent tamen veritatem ipsis propositam admittere propter auctoritatem Dei revelantis (2).

II. Ecclesiæ aliquam veritatem **definienti, non tamen tanquam a Deo revelatam,** respondet a parte nostra obligatio adhærendi assensu interno et firmo illo quem **fidei ecclesiasticæ** vocant; qui autem tali judicio Ecclesiæ resistit, negando præcise id quod est objectum definitionis Ecclesiæ, **etsi non sit hæreticus** dicendus adeoque fidem non amittat, **gravissime tamen peccat contra virtutem fidei.**

Dicitur: *assensu fidei ecclesiasticæ*, (minus accurate dicitur: mediate divinæ) i. e. præstito formaliter ob auctoritatem Ecclesiæ infallibiliter docentis (3).

Dicitur: *Qui resistit tali judicio Ecclesiæ,...* i. e. tum ille qui negat (4) ipsam auctoritatem infallibilem Ecclesiæ hac in re, tum ille qui admissa infallibilitate Ecclesiæ negat esse ab Ecclesia definitum, id quod sufficienter ipsi ut tale manifestatur; tum ille qui, admissis et infallibilitate et propositione ab Ecclesia facta, renueret sive factum dogmaticum sive convenientiam notæ admittere ob auctoritatem Ecclesiæ.

Dicitur: *negando præcise id quod est objectum defini-*

---

(1) Quoties hic audis: *negant,* intellige: sive negent, sive *in dubium revocent.* Cum enim assensus fidei sit necessario firmus, eo ipso eum negat ille qui de veritate fide tenenda voluntarie dubitat.

(2) Cfr. LEHMKUHL, *Theol. mor*, n. 301, schol. 3; BOUQUILLON, n. 216; DE LUGO, disp. XX, s. 5, n. 113; SCHIFFINI, n. 334.

(3) Notum est nonnullos AA. hanc denominationem, imo ipsam distinctionem fidei ecclesiasticæ a fide divina impugnare (ita SCHIFFINI, *o. c.*, p. 213 345, cfr. etiam S. Alph., l. 2, n. 107). Videtur tamen omnino servanda. Cfr. VAN NOORT, *De fide...*, pp. 193 ss.

(4) *Negat,* vide supra, nota (1).

tionis. Quæ verba adduntur intuitu censurarum ab Ecclesia latarum. Vi enim hujus definitionis, fide ecclesiastica tenendum est hoc tantum: notam annexam ab Ecclesia alicui sententiæ, de facto ipsi convenire, adeoque contradictoriam ipsius esse fidei proximam, theologice certam, prudentem, tutam, sanam, etc. prout nota adnexa fuerit: hæresi proxima, erronea, temeraria, scandalosa, impia, etc. Qui hanc convenientiam negat (et idem dic de eo qui negat factum dogmaticum ab Ecclesia definitum) —, graviter quidem peccat contra fidem, ast non est hæreticus, quum nec propositio ipsa ut hæretica damnetur, nec infallibilitas Ecclesiæ hac in re, (quam infallibilitatem utique exercite rejicit), sit de fide divina credenda (1). — Ast

Quæritur quomodo peccet qui, admissa convenientia notæ, ipsam tamen propositionem proscriptam retinet? Et respondetur (2) distinguendo juxta dicta supra:

a/ Retinens propositionem damnatam *ratione doctrinæ*, graviter peccat contra fidem. Quod patet de iis notis quæ falsitatem important: hæresi proxima, erronea, falsa; qui enim talem propositionem retinet, eo ipso exercite negat infallibilitatem Ecclesiæ, quum nequeat admittere propositionem esse veram et simul hæresi proximam, etc.; quod autem spectat notas quæ non necessario falsitatem important (errori proxima, temeraria), propositioni tali adhærendo qua veræ, non quidem negat ideo infallibilitatem Ecclesiæ, attamen fidei suæ securitatem in discrimen adducit, adeoque graviter delinquit (3).

---

(1) Supra p. 415.

(2) Abstrahimus ab accidentalibus malitiis quæ adesse possunt, puta contra caritatem, ratione scandali, vel contra justitiam, si quis ex officio veritatem docere teneatur. Cfr. SUAREZ, d. 19, Sect. 6, n. 5.

(3) Juxta nonnullos enim potest propositio quæ aliquando fuit ab Ecclesia etiam infallibiliter damnata qua *temeraria*, postea amittere hanc pravitatem et probabilis evadere. Ita censent SUAREZ, *o. c.*, disp. 19, sect. 6, n. 3; DE LUGO, disp. 20, n. 114, FRANZELIN, *De trad.*, th. 12,

b/ Proferens propositionem damnatam *ratione expressionis*, si de facto deest error internus, non peccat contra fidem internam, sed contra externam professionem fidei, scil. contra modestiam in loquendo de rebus fidei (1).

c/ Proferens propositionem damnatam *ratione effectuum* peccat contra varias virtutes, pro diversitate materiæ; contra fidem tunc tantum si in materia fidei (2).

NOTA. — Ex dictis apparet *ex censuris inferioribus hæresi*, — si excipis notas quæ immediate significant earum falsitatem (ut: hæresi proxima, erronea, falsa), — *non semper posse deduci propositionis falsitas*. Propositio enim damnata sive ratione *expressionis*, sive ratione *effectuum*, vera esse potest; imo etiam ubi damnatur ratione *doctrinæ* id contingere potest: quod patet de propositione damnata ut minus probabili vel improbabili (3); sed etiam casu sane rarissimo fieri potest de propositione reprobata ut errori proxima; vel etiam ut temeraria (4): temeraria enim propositio non est necessario falsa, sed ea est quæ sine novis argumentis recedit a sententia communi patrum vel theologorum, vel quæ contradicit decreto Ecclesiæ non irreformabili, non infallibili (5).

III. Decisionibus doctrinalibus **non definitivis R. P.**, sicut et decretis doctrinalibus **magistrorum authenticorum inferiorum**, regula generali respondet a parte

---

schol. 1, Princ. 4, coroll. c/, aliique, contra RIPALDA, *De ente supern.*, t. 3, disp. 1, n. 59, VIVA, *Trutina*, quæst. prodroma, n. 18. Cfr. SCHIFFINI, *o. c.*, n. 200.

(1) Cfr. SCHIFFINI, *o. c.*, p. 332. HIZETTE, *o. c.* p. 85.

(2) Ita si damnatur propositio ut *scandalosa* peccatur contra caritatem, vel et contra virtutem lædendam; si damnatur qua blasphema, erit peccatum contra religionem (nisi simul sit hæreticalis); si qua aversiva a fide, erit peccatum contra fidem.

(3) Cfr. DE LUGO, disp. XX, s. 3, n. 119 ss.: BOUQUILLON, *o. c.*, n. 253.

(4) Cfr. DE LUGO, *l. c.*, n. 114; BOUQUILLON, *o. c.*, n. 251.

(5) Cfr. SCHIFFINI, n. 347, et varios auctores pro — vel — contra ibi citatos.

nostra obligatio adhærendi **assensu religioso.** Quem assensum qui negat, iterum regula generali, committit **peccatum contra fidem,** utpote qui ejus securitatem in discrimen adducit.

Dicitur: *assensus religiosus*, i. e. assensus *internus* præstitus ex obedientia debita auctoritati sive immediate sive mediate a Christo constitutæ; qui assensus tamen nequit esse firmissimus et irrevocabilis, sed est quasi incompletus et provisorius, utpote in rem non infallibiliter definitam. Ab alia tamen parte, non sufficit regula generali, juxta sententiam omnino communiorem, et certam, talibus decretis respondere per *merum silentium reverentiale*, quo nec voce nec scripto ipsis contradicatur.

Dicitur: *regula generali.* — Talibus nim. decretis cedere debet opposita persuasio infirma; imo plerumque facile cuique erit deponere persuasionem etiam illam quam firmam sibi putabat; attamen vi talis decreti minime prohibetur quis quin ulterius privatim inquirat de rei veritate, rationes in contrarium efformet easque Congregationi romanæ proponat; imo si quis persuasionem suam de opposita veritate deponere non valeret, ipsi liceret, servato silentio externo sicque scandalo impedito, pro foro interno assensum non præbere et in rebus moralibus suam conscientiam secundum hoc suum judicium efformare.

A. Vander Heeren.

VI

Q. *Ubinam et quomodo celebranda est missa votiva festorum quorum solemnitas transfertur in dominicam subsequentem?*

R. Per *Indultum pro reductione festorum* (1), auctoritate Pii VII ab Em° Card. Caprara, die 9 aprilis 1802

(1) Quod vide ap. L. Bon, *Législation des paroisses en Belgique*, p. 110.

datum, omnia festa quæ in diem dominicam non occurrerent, præter festa Nativitatis et Ascensionis D. N. J. C., Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum, pro tota regionum latitudine quæ gallicanæ reipblicæ territorium tunc constituebant, abrogata fuerunt quoad obligationem audiendi missam vacandique ab operibus servilibus et jejunandi in vigilia. « Eam tamen legem adjectam esse voluit ut in festis diebus vigiliisque eas præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu innovetur ».

Specialem tamen exceptionem condidit pro quatuor præcipuis festis Epiphaniæ, Corporis Domini, SS. Petri et Pauli et « sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et paroeciæ » h. e. patroni principalis loci (non titularis ecclesiæ) aut, in illius tantum defectu, patroni diœceseos (n. 3754[1]) (1). Ut nempe hæc festa adhuc aliquatenus recolantur cum feriatione in populo, debet eorum non quidem officium sed sola solemnitas celebrari in dominica proxime subsequente, quoties ipsum festum infra hebdomadam occurrit, etiamsi ipsum officium festi sit ultra dominicam transferendum (n. 3754[1]). Si festum ipsum incidat in dominicam, deficit, ut patet, ratio transferendæ solemnitatis.

Ex citati indulti verbis et fine et ex recentioribus decretis, solemnitas transferenda, præter solemnitates extrinsecas et accidentales, duo complectitur: a/ feriationem in populo quæ ante indultum adnexa erat ipsi diei festo, quæque nunc in unum coalescit cum feriatione diei dominicæ; b/ solemnem celebrationem missæ de festo, quæ quum sit avulsa ab officio festi, celebranda est « more votivo » (2).

---

(1) Cf. Ill. Van der Stappen, *Rubricæ Missalis Rom.*, qq. 268-277; De Herdt, *S. Liturgiæ praxis*, nn. 295-301; Coppin-Stimart, *S. Liturgiæ compendium*, nn. 287-295.

(2) Ita decretum generale n. 3754[2]. Potest nihilominus hæc missa haberi non ut votiva stricte dicta sed ut votivo-festiva (cf. *Collat. Brug.*

Quamvis hæc missa non sit votiva solemnis stricte dicta, quæ dicitur pro re gravi et publica Ecclesiæ causa sed votiva privilegiata (1), liquet tamen ex ipsa natura rei ipsam prope accedere ad indolem votivæ solemnis et more solemnis celebrandam esse; quod et ex S. R. C. decretis (2) eruitur et magis determinatur.

Itaque a/ celebranda est vel solemniter vel saltem in cantu; nunquam vero potest esse missa lecta (n. 3735[1])

b/ celebranda est ut in ipso festo, cum *Gloria* et *Credo* (n. 3754[2]) cum præfatione festi propria (v. g. de Apostolis) vel, si hæc deficiat, de octava aut tempore, vel (ratione dominicæ) de SS. Trinitate (n. 3683). Per se etiam celebranda esset cum unica oratione et evangelio S. Joannis in fine (n. 3754[2]) quia per se excludit omnem habitum ad officium diei; et ita de facto celebratur in ecclesiis cathedralibus et conventualibus, ubi cantatur et alia missa publica de die cum omnibus occurrentibus orationibus (n. 2974[1-2]). Ast in aliis ecclesiis — quales sunt fere omnes — « ubi non adest conventualis obligatio, *addatur sola commemoratio Dominicæ* sub distincta conclusione, ejusque evangelium in fine ». (n. 3754[2]). Ratio esse videtur quia hæc missa cantanda est semper in Dominica, et merito non vult Ecclesia ut commemoratio et evangelium dominicæ quotannis penitus prætermittatur (3).

---

suprà, p. 266, 2), ratione connexionis cum festo translato, quia revera ipsum festum quasi transfertur quoad missam. Ceterum evangelium dominicæ nunquam dicitur in votiva stricte dicta.

(1) Cf. supra, p. 265 ss.

(2) Potissimum ex decreto generali *Declarationis indulti pro solemnitate festorum transferenda,* diei 2 dec. 1891, n. 3754.

(3) Juxta hanc explicationem, admissio solius commemorationis et evangelii dominicæ habenda est ut exceptio regulæ qua statuitur ut in omni missa votiva « nunquam legatur in fine aliud evangelium nisi evangelium S. Joannis » (*Rub. Gen. Miss.*, XIII, 2), et vel nulla (in votiva solemni), vel omnes (in privata) faciendæ sint officii currentis commemorationes (cf. suprà p. 267 ss.). Verum melius forte habenda est hæc missa ut votivo-festiva, quæ sit ritus duplicis I classis (cf. scholion, p. 425) in qua, juxta regulas generales occurrentiæ alia non admittitur commemo-

c/ *Unica* tantum, pro scopo intento, permittitur et injungitur hujusmodi missa in singulis ecclesiis (n. 3754[2]), ne conformitas cum officio plus æquo disturbetur.

d/ Hæc autem cantari debet « in omnibus et singulis ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, imo et in quibuscumque oratoriis publicis, in quibus missa cantari [in festis] solet, sive ad sæcularem, sive ad regularem clerum illæ pertineant » (n. 3754[7]; 2974[4-5]) nisi forte in ecclesiis regularium et monialium contraria vigeat consuetudo (n. 2974[3]).

Indultum valet pro oratoriis publicis « dummodo de more in festis missa cantetur » (n. 2974[1]), nullatenus autem pro oratoriis stricte privatis. Neque, ut videtur, extendendum est ad oratoria semipublica in quibus solet missa in festis cantari, v. g. ad oratoria collegiorum et locorum piorum, si non sint vere publica : illa enim sub nomine oratorii publici nec veniunt, nec etiam olim, ante decretum *Super oratoriis semipublicis* diei 23 januarii 1899 (1) venire solebant; præterea similis indulti de transferenda solemnitate, diœcesi Quebecensi concessi, extensio ad « oratoria privata (2) collegiorum, hospitiorum et aliarum communitatum » negata fuit decreto S. C. R. 6 mart. 1896 (n. 3890[7]).

Scholion. Festi solemnitas translata est ejusdem ritus, qualitatis et dignitatis ac ipsum festum ejusque officium, h. e. duplicis I classis, primarii. Merito igitur, juxta principia generalia occurrentiæ, transferri nequit in dominicas, seu festa aut officia potiora aut æquivalentia, nempe :

a/ non in dominicas majores I classis aut in quibus occurrunt vigilia Nativitatis, dies octava Nativitatis aut Epiphaniæ (nn. 3754[1]; 3890[2]).

---

ratio nisi Dominicæ (cum ejusdem evangelio) et forte, si casus occurreret, commemoratio diei octavæ.

(1) Ap. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 181.

(2) Hic intelliguntur oratoria principalia adeoque semipublica collegiorum.

b/ nec in dominicas in quibus occurrit festum quoddam duplex I classis primarium personæ saltem ejusdem dignitatis ac est persona cujus celebratur solemnitas (nn. 3754[3]; 4040).

Tunc « eadem solemnitas in proximiorem dominicam liberam transferatur » (n. 3754[4]). Et si quandoque duæ solemnitates occurrant transferendæ in eamdem dominicam, in hac celebretur solemnitas de digniori et ad dominicam proximiorem liberam remittatur solemnitas de minus digno (n. 3754[6]).

C. Callewaert.

De Reformatione Curiæ Romanæ.

(Sequitur. — Cf. suprà p. 281-296, 367-380.)

§ II. De Tribunalibus.

A. Quædam Generalia.

Cum jam egimus de Dicasteriis in genere, cumque distinctionem perspectam habuimus inter forum judiciale et forum extrajudiciale et administrativum (1), remanent tantum pauca attingenda *de divisione et numero* Tribunalium.

Dividuntur in tribunalia *interni* et *externi* fori. Sacra Pœnitentiaria circa forum internum unice versatur; Sara Rota Romana et Signatura Apostolica pro administratione justitiæ in foro externo denuo constituuntur juxta *Legem propriam S. Romanæ Rotæ et Signaturæ Apostolicæ, 29 junii 1908* (2).

Supprimitur antiqua ordinatio Tribunalium Signaturæ Papalis gratiæ et justitiæ et exstinguitur competentia *judicialis* Cameræ Apostolicæ.

B. De Singulis Tribunalibus (3).

1° **Sacra Pœnitentiaria** (4).

Pius X iterum inhærens vestigiis Prædecessorum suorum Pii IV et Pii V, hujus tribunalis competentiam

(1) Suprà p. 283 ss.

(2) AAS. I, p. 20-36. Designabitur litteris LP.

(3) Cons. *Sapienti*, § II; NP. cap. VII: *de singulis Tribunalibus*.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 243, p. 224 s.; Werns, *o. c.*, t. II, n° 674, p. 778 ss.; Göller, *Die Päpstliche Pönitentiarie von ihren Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V*. I Bd. *Die päpstliche Pönitentiarie bis Eugen IV*. 1° Darstellung; 2° Quellen. Rom, Löscher, 1907, XIV-278, VI-190 p. P. Chouet. *La Sacrée Pénitencerie apostolique*. Lyon, Paquet, 1908. Prodiit in *Le Canoniste contemporain*, 1909, t. XXXII, p. 73-80, recensio hujus operis a Boudinhon conscripta. Cf. etiam *Revue Augustinienne*, 1908, t. XIII, p. 447 ss.

coarctavit ad ea tantum quæ *forum internum*, sive sacramentale, sive extrasacramentale respiciunt. At, in hoc foro, non judicialem tantum exercet potestatem, sed dispensativam, commutativam etc., ita ut merito appellari liceat *Tribunal et Congregatio Conscientiæ* (1), cum jurisdictione generali et universali (2).

Itaque, amissa quacumque competentia *fori externi* (3), notatim dispensandi in impedimentis consanguinitatis et affinitatis pro pauperibus, solum hoc tribunal *pro foro interno*, absolutionem concedit a peccatis, censuris, et pœnis (4); dispensat ab irregularitatibus et ab impedimentis Matrimonii, ut putà ab affinitate ex copula illicita; elargitur dispensationes et commutationes votorum, sanationes Matrimoniorum invalidorum, condonationes fructuum male perceptorum etc.

Excutit et dirimit præterea quæstiones juridicas et morales *conscientiæ*, applicando doctrinam aut legem casibus concretis sibi propositis. Quæstiones vero mere doctrinales, interpretationesque dubii juris remittere tenetur ad S. Officium, aliasque Congregationes competentes, si dubium in foro externo proponi liceat; quodsi, propter adjuncta, publicari nequeat, Sacra Pœnitentiaria, quin controversiam dirimat, casui providebit, dispensando ad cautelam aut normam practicam oratori indicando (5).

In officii parte (6) quam retinet, hoc sacrum tribunal

---

(1) Besson in *Nouv. rev. théol.* 1909, t. XLI, p. 83.

(2) Ideo tractat *in foro interno*, quæ *in foro externo* exclusivæ aliorum dicasteriorum competentiæ reservantur.

(3) Si valet absolvere *in casibus publicis*, hoc fit cum effectu ad solum forum conscientiæ limitato, cf. Wernz, *o. et l. c.*, p. 781, nota (342).

(4) Nisi absolutio omnino specialiter reservetur Romano Pontifici, uti ab excommunicatione propter violationem secreti S. Officii aut C. Consistorialis irrogata.

(5) Cf. *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 83. Quapropter quæstiones *conscientiæ* quæ fidem tangunt, ad Congregationem S. Officii non remittendas esse censemus, uti contendit Leitner, *o. c.*, p. 24 s.

(6) NP. *l. c.*, art. 1, n° 2.

se geret ad normas Const. Benedicti XIV *In apostolicæ*, d. d. 13 aprilis 1744, salvis immutationibus legitimo usu posterius inductis, quæ erunt scripto redigendæ et a Cardinali Pœnitentiario subjiciendæ approbationi Pontificis, firmisque novæ ordinationis præscriptionibus (1). Juxta memoratæ Constitutionis Benedicti XIV præscripta, *omnia secreto* et *gratis* in hoc sacro tribunali expedientur (2).

2° **Sacra Rota Romana** (3).

Hoc antiquum dicasterium, anteactis temporibus omni laude cumulatum, post institutas Congregationes, et pessumdata distinctione jurisdictionis judicialis et extrajudicialis, multum pristini splendoris amiserat. Imo, ab anno 1870, ad meram umbram redactum videbatur. Pii X ordinatione rursum in exercitium vocatur et quidem ut proprie dictum tribunal justitiæ, juxta *Legem propriam* instituendum.

a/ *Compositio* (4).

Constat decem Prælatis Auditoribus, a Summo Pontifice libere electis, quorum primus inter pares est Decanus. Erunt insuper in S. Rota, promotor justitiæ pro juris et legis tutela, defensor vinculi matrimonialis, professionis religiosæ et sacræ ordinationis, notarii, aliique administri inferiores.

Decanus cum duobus primis Auditoribus (5), ad modum *Congressus* Congregationum, videt de natura

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*; Wernz, *o. c.*, n° 674, p. 780 ss.

(2) NP. *l. c.*, n° 3.

(3) Consulenda est præprimis *Lex propria* citata, tit. I; collatis NP., cap. VIII, art. II, quarum normarum tum communium, tum peculiarium servanda sunt præscripta in iis omnibus quæ cum *Lege propria* conveniunt. Quoad historiam cf. Wernz, *o. c.*, n° 669, p. 770; *Revue Augustinienne*, l. c., p. 451; Saegmüller optimam præbet bibliographiam *o. c.*, § 90, p. 374, nota 1.

(4) LP. tit. I, cap. I, *de compositione S. Rotæ*, can. 1-13.

(5) Præcedentia Auditorum determinatur ratione antiquioris nominationis et in pari nominatione ratione antiquioris ordinationis sacerdotalis, LP. *l. c.*, can. 2, § 2.

quæstionis, num tractanda sit in linea disciplinari aut servato ordine judiciali (1).

S. Rota, duabus formis jus dicit, aut per turnos trium Auditorum (2), aut videntibus seu præsentibus omnibus, juxta mandatum commissionis Pontificiæ aut momentum quæstionis.

b/ *Competentiam* exercet partim delegatam, partim ordinariam (3).

1° *Potestas delegata.* S. Rota judicat in prima instantia causas, quas Romanus Pontifex sive motu proprio sive ad instantias partium, ad suum tribunal avocaverit, easque si opus sit, ac nisi aliter cautum habeatur in commissionis rescripto, judicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium (4).

Illud rescriptum commissionis est necessarium, etiam si agatur de causis in prima instantia judicandis, quas ipsæ Sacræ Congregationes ad S. Rotam remittunt, exceptis causis dispensationis super Matrimonio rato, quas C. de Sacramentis jure proprio potest ad S. Rotam remittere (5).

2° *Potestas ordinaria.*

α/ Est *tribunal appellationis* ab omnibus tribunalibus ecclesiasticis. Ideo, cum intervenerit legitima appellatio (6), judicat in secunda instantia causas *judiciales*

---

(1) NP. cap. I, n° 3; cf. suprà p. 292. Nihil obstare videtur ut etiam a Congregationibus recipiatur recursus a sententiis episcopalibus judicialibus, si natura quæstionis id permittat, et partes in id conveniant, cf. Besson in *Nouv. rev. théol.* 1908, t. XL, p. 720 s.

(2) LP. can. 12. Turni hoc ordine procedent. Primus turnus constituetur ex tribus ultimis Auditoribus (10, 9, 8); secundus et tertius ex sex præcedentibus (7, 6, 5; 4, 3, 2); quartus ex Decano et duobus ultimis Auditoribus (1, 10, 9) qui denuo in turni seriem redeunt, et inde porro. In unoquoque turno, præses est semper Auditor, cui prior locus competit.

(3) LP. tit. I, cap. II, *de competentia S. Rotæ Romanæ,* can. 14-17.

(4) Cf. etiam LP. can. 19, § 2.

(5) Cf. Causa Romana 28 jan. 1909 ap. AAS. I, p. 211 ss., cf. suprà p. 372, nota 2.

(6) Olim valebat principium quod illi ab appellatione prohiberentur, contra quos latæ sunt tres sententiæ conformes in eadem causa. LP.

quæ ab Ordinariorum tribunalibus in primo gradu dijudicatæ fuerint; itemque, appellationem a propria sententia recipiendo, eas judicat, si opus sit, in tertia instantia, ope turni subsequentis.

Videt denique in *ultima instantia* de causis ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriori gradu jam cognitis, quæ in rem judicatam non transierint et ad Sanctam Sedem per legitimam appellationem deferuntur.

ε/ Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum (1) a sententiis quibusvis Curiæ inferioris, et in his judicat de *merito* et de *forma* (quant au fond et quant à la forme), dummodo non agatur de re modo definitivo judicata ex sententia rotali; quo in casu competens est tribunal Signaturæ Apostolicæ.

γ/ Cognoscit etiam de querela nullitatis contra sententiam judicis inferioris, sed in hac de forma tantum judicat (2).

δ/ Administri et adjutores Auditorum, qui secretum violaverint vel sua culpa litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis et *rotalis Collegii judicio* puniri possunt (3).

ε/ Judicat quoque *in primo gradu* causas judiciales regularium (4);

ζ/ item in prima instantia, causas dispensationis super Matrimonio rato, ut videat de facto inconsummationis, juxta prædicta.

---

can. 33, § 1 hæc statuit: Si *sententia rotalis* confirmatoria sit alterius sententiæ sive rotalis sive alius tribunalis, habetur res judicata, contra quam nullum datur remedium nisi per querelam nullitatis, vel per petitionem restitutionis in integrum coram supremo Apostolicæ Signaturæ tribunali. Cf. *Nouv. rev. théol.*, 1909, t. XLI, p. 88 s.

(1) Cf. *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 89 s., note 2.

(2) De querela nullitatis et restitutione in integrum agit LAURENTIUS², *Institutiones juris eccles.*, nº 338 s., p. 293 s., Freib.i.B., 1908. Hoc explicite non determinatur in LP., sed merito deducitur ex can. 37. Cf. *Nouv. rev. théol.*, p. 90.

(3) LP. can. 9, § 2.

(4) C. *Sapienti*, tit. I, cap. V, nº 2.

3° Excipiuntur a sua competentia, et quidem *sub sanctione nullitatis,* causæ judiciales majores quæ reservantur Pontifici, et dispositiones extrajudiciales Ordinariorum (1).

c/ *De modo recurrendi ad Sacram Rotam.*

Omnes fideles jus habent causas suas, etiam in primo gradu definiendas, ad supremum Romani Pontificis tribunal deferendi (2).

Partes *per se ipsas* possunt coram S. Rotam jura sua defendere, aut sibi assumere advocatum sed inter approbatos (3).

Quoad *expensas* judiciales, consulenda est *Lex propria* in *appendice*, ubi etiam, cap. IV, agitur de exemptione totali aut partiali a judicialibus expensis et de gratuito patrocinio, pro pauperibus et quasi-pauperibus.

d/ *De modo judicandi et sententiandi* (4).

In sententiam consentiri debent duo saltem ex Auditoribus aut pars absolute major, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur juxta rescriptum commissionis Pontificiæ aut momentum quæstionis.

Oportet ut sententia sit stricto juri conformis, non vero præter legem prolata; insuper rationes tam in facto, quam in jure sub pœna nullitatis continere debet (5).

Sententiæ S. Rotæ, de ipsius competentia latæ, non indigent approbatione pontificia (6).

e/ *De valore juridico sententiarum S. Rotæ Romanæ,*

---

(1) LP. can. 15-17; suprà p. 286.

(2) Romanus Pontifex, si nulla præcesserit sententia formalis, causam S. Rotæ committet aut illam judicibus ordinariis, juxta jus commune, definiendam tradet.

(3) LP. can. 18 et tit. III *de advocatis penes S. Rotam et Apostolicam Signaturam.* Cf. Motu proprio 26 maii 1909, quo deletur cœtus jurisconsultorum et causas in foro agentium, cui nomen a Petro Apostolorum Principe, ap. AAS. I, p. 445.

(4) LP. tit. II, cap. III *de modo judicandi Sacræ Romanæ Rotæ,* ubi ordo judicii describitur.

(5) LP. can. 31, § 3; 32, § 3.

(6) Suprà, p. 286 s.

nil in jure modificatum est (1). Decisionum illius tribunalis magna sane est auctoritas, quam nanciscuntur ex securitate modi procedendi, ex auctoritate et prudentia Auditorum. Obligationem pariunt pro partibus, non pro aliis inferioribus magistratibus, ac si essent decisiones papales. Habet valorem decisionis doctrinalis et directivæ, non authenticæ interpretationis.

3° **Signatura Apostolica** (2).

Suppressa veteri Signatura justitiæ (3), erigitur Signatura Apostolica ut supremum cassationis seu rescissionis tribunal, respectu decisionum S. Rotæ Romanæ.

a/ *Compositio* (4).

Constat sex Cardinalibus a Romano Pontifice libere electis, quorum unus Præfecti munere fungitur, et cui auxilio est Secretarius, omnia præstiturus, quæ ad propositionem, instructionem et expeditionem causarum necessaria sunt.

b/ *Competentia* (5).

Supremum hoc tribunal videt tanquam sibi propria ac præcipua :

1° de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem S. Rotæ, ob quam ipse recusetur. De hoc decernit inappellabili sententia ;

2° de violatione secreti ab Auditoribus et de damnis ab ipsis illatis litigantibus eo quod actum nullum et injustum in judicando posuerint;

3° de querela nullitatis ob vitium formæ contra sententiam rotalem. Quoad hoc objectum suæ competentiæ, non judicat Signatura de *merito* causæ, sed casu quo

---

(1) Wernz, *o. c.*, T. I, p. 155, n° 146; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 231, p. 216, nota 1; n° 250, p. 228; *Études*, 1908, t. 117, p. 655; *Dictionnaire de théol. cath.*, fasc. 26, v° *décision de la Rote.*

(2) LP. tit. II; coll. NP. C. VIII. n° 2 et Const. *Sapienti.*

(3) Cf. Wernz, *o. c.*, t. II, n° 661, p. 774; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 252, p. 228 ; *Rev. Augustinienne*, l. c., p. 456 ss.

(4) LP. tit. c., cap. I *de constitutione et competentia Signaturæ Apostolicæ.*

(5) *ibid.*

sententiam tulerit de nullitate aut de reformatione decisionis S. Rotæ Romanæ, ad hanc, causam remittere tenetur (1);

4° de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem decisionem, quæ in rem judicatam transierit. In hoc casu definit inappellabili sententia, sitne locus necne restitutioni in integrum; qua concessa rem remittit ad Sacram Rotam ut videntibus omnibus de merito judicet (2).

Notandum est hac expostulatione non suspendi exsecutionem sententiæ (3), nisi, incidentali sententia, inhibitionem exsecutionis jubeat Signatura.

c/ *De modo judicandi* statuit Lex propria, tit. II, cap. II, can. 38-43.

§ III. De Officiis.

A. Quædam generalia.

Etsi Officia merito et plerumque considerentur ut servitia exsecutionis, expeditionis et transmissionis, non omnino destituuntur tamen peculiari et exclusiva potestate (4). Etenim in actu expeditionis proprias normas sequuntur; alia, uti Dataria et Secretaria Status, gratias elargiri adhuc valent; aliis etiam committuntur munera administrationis et regiminis ecclesiastici gravissima. Nova ordinatione Pii X supprimuntur Signatura gratiæ et Secretaria Brevium et Memoralium (5).

---

(1) Ita intelligendum censemus can. 41, § 3. « In tertio casu de hoc tantum judicat, sitne nulla sententia rotalis, et sitne locus ejus circumscriptioni. Cf. Boudinhon in *La revue du clergé français*, 1908, t. LV, p. 586 ss.; alio sensu Besson, in *Nouv. rev. théol.*, *l. c.*, p. 92.

(2) LP. can. 41 § 3.

(3) *ibid.*, can. 39.

(4) Cf. Wernz, *o. c.*, p. 782, n° 675, nota (345). Generatim habet quæque Congregatio potestatem sua acta et decreta expediendi, nisi singularis requiratur *forma* in actu expeditionis.

(5) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 246 ss., p. 227; Wernz, *o. c.*, n° 672, p. 776; n° 676, p. 785.

Sex hodierno jure officia numerantur.

B. De Singulis Officiis (1).

1° **Cancellaria Apostolica** (2).

a/ *Munus*. Ad hoc officium in posterum, hoc unum tanquam proprium reservatur munus expedire, id est potissimum redigere, Apostolicas litteras sub plumbo (3) seu solemniores Bullas, et quidem *de mandato Congregationis Consistorialis* (4) circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novorum diœcesum et capitulorum institutionem, et *de mandato SS*mi pro aliis majoribus Ecclesiæ negotiis conficiendis, ex. gr., pro canonizatione aut lege momentosa publicanda. Ad unguem in utroque casu servandi sunt mandati termini, ita ut Cancellaria sit in his explendis merum instrumentum exsecutionis.

Habet tamen Cancellaria suas regulas nunc reformandas (5), juxta quas procedere tenetur et quæ ideo vocantur *regulæ Cancellariæ* (6).

---

(1) C. *Sapienti* in § III; NP. cap. IX, *de Singulis Officiis*. Cf. Besson in *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 216-222; *Revue Augustinienne*, 1908, t. XIII, p. 558-599; *Dictionnaire de théol. cath.* fasc. 24, v° Cour romaine, ubi disseritur de Datario, Secretario Status, aliisque administris Curiæ Romanæ et Summi Pontificis.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 245, p. 226; Wernz, *o. c.*, n° 675, p. 782; Saegmüller, *o. c.*, p. 376 ubi bibliographia traditur; P.-M. Baumgartner, *Aus Kanzlei und Kammer. Eröterungen zur kurialen Hof- und Verwaltungsgeschichte im XIII, XIV u. XV Jhrdt. Bullatores, Taxatores, Domorum Cursores*. Freiburg-i-B., Herder, 1907.

(3) Cf. De forma exstrinseca Bullarum sub plumbo cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, in Introd. p. XVIII s.; *Revue Augustinienne*, l. c., p. 560-564. Illæ litteræ Apostolicæ exinde initium anni ducent non a die Incarnationis Dominicæ i. e. a 25 die mensis martii, sed a kalendis januarii. Cf. C. *Sapienti*, in fine.

(4) Suprà, p. 369.

(5) Disponunt NP. cap. IX, art. 1: « Purpuratorum Patrum cœtus, constans Cardinalibus tribus, Cancellario, Datario et a Secretis Consistorialis, reformandas quamprimum curabit formulas *Bullarum collationis* beneficiorum, sive consistorialium sive aliorum; itemque *Bullarum* constitutionis diœcesum, capitulorum, denique Regularum quas *Cancellariæ* vocant.

(6) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 245, p. 227; Wernz, *o. c.*, t. I, p. 334 ss., n° 252.

b/ *Modus* unicus erit deinceps Bullarum expediendarum, sc. per viam Cancellariæ, juxta normam seorsim dandam in regulis Cancellariæ reformatis, sublatis iis modis qui dicuntur per viam secretam, de camera et de curia (1).

c/ *Officiales*. Præsidet Cardinalis, qui posthac *Cancellarii*, non autem Vice-Cancellarii (2) nomen assumet. Suppressis Abbreviatoribus parci majoris et minoris, Protonotarii Apostolici participantes de numero eorum munus in subscribendis litteris supplent (3).

2° **Dataria Apostolica** (4).

Hoc officium propriam habet, multum tamen restrictam, potestatem administrativam et gratiosam, amissa competentia in matrimoniales dispensationes et in irregularitates.

a/ Ad ipsum, hoc unicum pertinebit *munus*, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia *non consistorialia*, *Apostolicæ Sedi reservata* promoveri; conficere et transmittere *litteras Apostolicas* (5) pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quæ Romanus Pontifex in memoratis beneficiis conferendis imposuerit.

---

(1) Quinam intelligantur hi modi exponunt: *Revue Augustinienne*, l. c., p. 564 ss.; Besson in *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 218 s.; Vermeersch, in *Periodica de religiosis*, t. IV, p. 332 s.

(2) Olim munus erat prælatitium, non cardinalitium, ideo Cardinalis, de facto hoc munere fungens, vocabatur *Vice-Cancellarius*. Idem dicendum infrà de Præfecto Datariæ.

(3) Cf. Motu proprio de Protonotariis Apostolicis 21 feb. 1905 ap. *Il Monitore ecclesiastico* 1905-1906, t. XVII, p. 14-29.

(4) Cf. De Brabandere-Van Coillie, n° 244, p. 226; Saegmüller, *o. c.*, p. 375; *Revue Augustinienne*, p. 569 ss. — V. etiam Regolamento della Dataria Apostolica 6 febr. 1901 ap. *Archiv für Katholischen Kirchenrecht*, 1901, t. LXXXI, p. 691-712.

(5) Intelliguntur, ni fallor, litteræ Apostolicæ seu Bullæ minus solemnes ornatæ impresso sigillo rubri coloris, referente imagines ipsorum Apostolorum Petri et Pauli, inscriptione nominis R. Pontificis regnantis circumducta.

b/ *Normas* periculiares seorsim dandas, semel reformatis Cancellariæ regulis, servare tenebitur (1).

c/ Cardinalis Præfectus jam nomen *Datarii*, non Pro-datarii obtinet.

3° **Camera Apostolica** (2).

Suppresso caractere tribunalis justitiæ, servat administrationem bonorum et jurium temporalium Sanctæ Sedis, hac præsertim vacante. Eidem officio præest Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Camerarius (3), qui, in suo munere, Sede vacante, exercendo se gerct ad normas exhibitas in Const. Pii X *Vacante Sede Apostolica,* 25 dec. 1904 (4).

4° **Secretaria Status** (5).

Sub moderatione generali Cardinalis Secretarii Status, triplici parte seu sectione hoc officium constabit.

a/ Prima, cui præponitur Secretarius Congr. pro Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis (6), *in negotiis extraordinariis* versatur. In hoc munere regiminis Ecclesiæ explendo, curat imprimis negotia diplomatica inter Sanctam Sedem variosque status, dirigit Nuntios Apostolicos, de mandato SS^mi^ etiam ad Ordinarios transmittit Instructiones (7). Qua de causa, multa, diversique generis negotia excipiet; quorum alia, præsertim quæ cum legibus civilibus et concordatis aliquid conjunctum habent, Congregationi pro negotiis ec-

---

(1) NP., *l. c.*, art. II, ubi quædam specialia et temporaria statuuntur.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 251, p. 228, Wernz, *o. c.*, t. II, n° 670, p. 773; Saegmüller, *o. c.*, p. 375, nota 2; *Revue Augustinienne*, l. c., p. 579 s.

(3) Cujus munus distinguitur a munere Cardinalis Camerarii S. Collegii Cardinalium.

(4) Cf. postea dicenda de Congregationibus, Tribunalibus et Officiis *Sede Vacante.*

(5) Const. *Sapienti*, l. c., n° 4°; N. P. *l. c.*, art. III; cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 248 s., p. 227; Saegmüller, *o. c.*, p. 377; *Rev. August.*, l. c., p. 582 ss.

(6) Cf. suprà p. 379.

(7) Wernz, *o. c.*, n° 677, p. 786.

clesiasticis extraordinariis examinanda subjiciet; alia vero, disciplinaria aut dogmatica, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remittet (1). Decisa frequenter a Secretario Status transmittentur.

b/ Altera pars, cui præsidet Substitutus pro negotiis ordinariis, *in negotia ordinaria* incumbit; ad eamque inter cetera (2) pertinebit honoris insignia quæque concedere, tum ecclesiastica, tum civilia, iis demptis quæ Antistiti Pontificali domui præposito (Majordomus) sunt reservata (3).

Ad illa officia ordinaria spectare videtur officium et jus (4) excipiendi documenta, quoties viri in Episcopos aliosque Ordinarios eligendi, vel diœceses constituendæ et dividendæ, sint extra Italiam, ex quibus documentis deducitur *Positio* Congregationi Consistoriali subjicienda.

c/ Tertia sectio, cujus præses est Cancellarius Brevium Apostolicorum, expeditioni Apostolicorum Brevium (5), quæ a variis Congregationibus ei committuntur vacabit (6).

5° **Secretariæ Brevium ad principes et épistolarum latinarum** munia ut antea servabunt latine scribendi acta Summi Pontificis, sive ad principes sive ad alias personas ecclesiasticas et laïcas dirigenda.

---

(1) *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 221.

(2) Non specificantur in Const. *Sapienti*.

(3) Cf. de iis honoribus quædam ap. LEITNER, *o. c.*, p. 41; *Rev. Augustin.* l. c., p. 591-595.

(4) Cf. suprà p. 369. Ideo Secretarius Status numeratur inter Cardinales adscriptos Congregationi Consistoriali.

(5) Quid sit *Breve* explicatur ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, p. XIX introductionis; *Rev. Augustinien.*, p. 589 s.

(6) NP., cap. IX, art. III, n° 2: « Peculiaris cœtus trium Cardinalium, quos inter Cardinalis *a Secretis* Status, Brevium apostolicorum formas instaurandas curabit, quæ ab ea *Secretariæ Status* parte mitti solent, cui est Apostolicorum Brevium cura commissa ». Hæc competentia tertiæ sectionis, una exceptione restringitur in materia matrimoniali. Si dispensatio concedatur ab impedimento honestæ naturæ, quæ obnoxia sit majoribus taxationibus, expeditur in forma *Brevis* per Secretariam C. de Sacramentis. NP. cap. VII, art. III, n° 13.

Notat in fine Const. Sapienti: « Atque hæc valere quidem debent *Apostolica Sede plena; vacuà* enim standum est legibus et regulis in memorata Constitutione « *Vacante Sede Apostolica* » statutis (1).

Restat ergo ut juxta præfatam Constitutionem Pii X d.d. 25 dec. 1904 quædam statuamus circa Congregationes, Tribunalia et Officia Sede vacante.

III

De Curia Romana, Sede vacante.

A. De Sacris Congregationibus et Tribunalibus eorumque facultatibus Sede vacante (2).

1° Sacræ Congregationes, Sede vacante, nullam potestatem habent in iis quæ Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SS^mo^*, vel *ex audientia SS^mi^*, vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum,* quæ a Romano Pontifice earumdem Congregationum Præfectis vel Secretariis concedi solent (3), (can. 23).

Hæc ad tribunalia fori externi extendi debent, cum agatur de iis negotiis quæ ex potestate ordinaria expedire non valent, sed tantummodo ex rescripto commissionis Pontificiæ.

2° Facultates Congregationum *ordinariæ* atque ipsis propriæ morte Pontificis non exstinguuntur (4), (can. 24).

---

(1) Publici juris facta est in tomo III Actorum Pii X, qui hocce anno Romæ prodiit. In ea in unum coegit et reformavit totam legislationem electionis pontificalis et conclavis. De illa reformatione egerunt Simier in *Rev. Augustin.* 1909, t. XIV, p. 529-547 et Boudinhon in le *Canoniste Contemporain*, 1909, t. XXXII, p. 257-310, ubi ceteroquin omnia transcribuntur documenta.

(2) Const. citata, tit. I, cap. IV, can. 22-26.

(3) Cf. suprà p. 286 s.

(4) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 227, p. 213 s.; Wernz, *o. c.*, n° 649, p. 731 ss.

Vult tamen Pontifex ut his facultatibus ordinariis utantur Congregationes in iis concedendis *quæ minoris momenti* sunt (1). In iis vero quæ graviora vel controversa sunt, quæ in aliud tempus differri possunt, omnino futuro Pontifici reserventur: si vero nullam moram patiantur, tum Collegio Cardinalium conceditur, ut committere possit negotium Præfecto et aliquod aliis Cardinalibus ejus Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verimiliter commisisset; qui negotio accurate discusso, illud decernere possint, modo tamen *provisorio*, donec eligatur Pontifex, (can. 25).

Item facultates ordinarias Tribunalium fori externi, morte Pontificis non quiescunt, cum propria auctoritate judicant. Si tamen ageretur de gravi et extraordinario negotio, quod juxta jussum Const. *Sapienti,* ante causæ discussionem Pontifici esset significandum (2), si differri valeat, differatur usque post electionem Pontificis.

3° Quoad tribunal fori interni, Sacram Pœnitentiariam, officia majoris Pœnitentiarii non cessant morte Pontificis (3). Ipse, ejusque Officiales, Sede vacante, ea facere et expediri valent, quæ a Benedicto XIV constituta ac definita sunt C. *Pastor Bonus*, idibus Aprilis, 1744, § 51-55, (can. 12 et 16).

B. Officia eorumque munera Sede vacante (4).

S. R. E. Camerarii officium non cessat per obitum Romani Pontificis. Ejus munia, vacante Sede, quoad administrationem et curam bonorum et jurium temporalium Sanctæ Sedis describuntur can. 14 memoratæ Constitutionis (5).

---

(1) Wernz, *o. et l. c.*, ea sunt quæ communi forma a Secretario aut per ministros aut a congressu expediri solent. Cf. suprà p. 292.

(2) suprà p. 287.

(3) Wernz, *o. c.*, p. 781, n° 674.

(4) *Const. cit.* tit. I, cap. III.

(5) Cf. Instructionem Leonis XIII *Prædecessores nostri*, 24 maii 1882, adjectam memoratæ Constitutioni. Legitur ap. *Can. Contemporain*, l. c., p. 306 ss.

Cancellarii S. R. Ecclesiæ, Datarii, Cancellarii Brevium Apostolicorum officia per obitum Romani Pontificis omnino expirant, (can. 17). In una Congregationum generalium Cardinalium quæ ante ingressum in Conclave habentur, frangenda sunt Annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariæ Apostolicæ. Datarius vel Sub-Datarius et Cancellarius Brevium vel ejus Substitùtus supplicationes gratiarum, quæ penes ipsos sunt, sub sigillo clausas Sacro Collegio tradant, can. 11.

Item per obitum Pontificis cessat munus Cardinalis Secretarii Status, eoque munere, Sede vacante, fungitur Prælatus *S. Collegii Secretarius*, (can. 18).

A. De Meester.

S. Congregatio S. Officii

DECRETUM

Quo cuilibet sacerdoti conceditur facultas impertiendi apostolicam benedictionem religiosis mulieribus in articulo mortis.

Die 9 Aprilis 1909.

Quum religiosis mulieribus ad instituta votorum tum solemnium tum simplicium pertinentibus benedictionem apostolicam in articulo mortis impertiri nonnisi ordinarius earum confessarius, juxta vigentem in præsens disciplinam, regulariter permittatur; ne forte, hoc quavis ex causa impedito, supremo hujusmodi spirituali solatio illæ destituantur, sanctissimus D. N. D. Pius PP. X, oblatis sibi ad rem precibus ex animo annuens, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii concessa, benigne indulgere dignatus est, ut, quandocumque alius quilibet sacerdos ad extrema sacramenta religiosis mulieribus votorum tum solemnium tum simplicium ministranda rite vocetur, eisdem animam agentibus apostolicam etiam benedictionem, etsi aliunde hac facultate non polleat, impertiri valeat, ad normam, ceteroquin, apostolicæ Constitutionis s. m. Benedicti XIV, quæ incipit *Pia mater,* et servata forma in Rituali romano præscripta. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

L. ✠ S. A. Can. Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

S. Congr. De Sacramentis

De Facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus, imminente mortis periculo.

Ante editum decretum *Ne temere* diei II mensis augusti anno MDCCCCVII *De sponsalibus et matrimonio,* satis jam fuerat eorum necessitati provisum, qui miserrime in concubinatu viventes iidemque in gravissimo mortis periculo constituti, impedimento aliquo matrimonium dirimente prohiberentur, quominus rite nuptias inirent. Nam per litteras S. Officii datas die XX mensis februarii anno MDCCCLXXXVIII, et per sequutam declarationem die IX mensis Januarii anno MDCCCLXXXIX, facultas Ordinariis concedebatur, quæ parochis etiam subdelegari habitualiter posset, dispensandi in iis adjunctis ab impedimentis quoque publicis matrimonium ecclesiastico jure dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente.

Cum autem in art. VII præfati decreti *Ne temere* sancitum fuerit, « imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci » Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi » nequeat, ad consulendum conscientiæ et (si casus ferat) » legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide et licite » posse coram quolibet sacerdote et duobus testibus »; Ordinarius Parmensis ac plerique aliorum locorum Ordinarii a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum postularunt, ut, etiam hoc in casu, animarum saluti consuleretur, si forte dirimens aliquod impedimentum obstaret quominus matrimonium rite contraheretur.

Re mature perpensa in Congregatione generali diei VI mensis maii anno MDCCCCIX, et relatis omnibus SS^mo^ D. N. Pio divina providentia Papæ X, in audientia habita ab infrascripto ejusdem S. Congregationis a secretis die IX mensis maii anno MDCCCCIX, Sanctitas Sua, benigne excipiens votum E^morum^ Patrum, declarare dignata est ac decernere, quemlibet sacerdotem, qui ad normam art. VII decreti *Ne temere,* imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci

Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adjunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita.

Datum Romæ ex ædibus ejusdem S. Congregationis, die XIV mensis maii anno MDCCCCIX.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *a Secretis.*

Adnotationes.

Hucusque facultate dispensandi cum moribundis gaudebant, præter locorum Ordinarios, *soli parochi* ab Episcopo habitualiter subdelegati: quam subdelegationem, ad tramites Litterarum C. S. O. 20 Febr. 1888 et declarationis C. S. O., 9 Januarii 1889 (1), acceperunt parochi diœcesis Brugensis, anno 1892, hac salva conditione ut tempus desit recurrendi ad Ordinarium et periculum sit in mora.

Deinceps hujusmodi facultate fruitur *quilibet sacerdos*, quotiescumque « ad normam art. VII Decreti *Ne Temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere validè ac licitè potest ».

Nimirum ad hoc ut sacerdos habeat potestatem dispensandi, vi præsentis concessionis, oportet et sufficit ut adsint conditiones ad legitimandam ejusdem assistentiam matrimonio in extremis requisitæ. Porro prima conditio est ut urgeat necessitas matrimonium in extremis ineundi ad consulendum conscientiæ vel legitimitati prolium; altera conditio est ut parochus vel Ordinarius loci tempestive adesse nequeat, nec alterutrius delegatio

(1) Cf. *Collectan.*, n. 1471 et 1472. Cf. etiam *Collat. Brug.*, t. V, p. 423, ubi notavimus non posse alios quam parochos *habitualiter* subdelegari ab Ordinario, nisi ex speciali indulto, quale ibidem memoravimus.

impetrari possit (1). De quibus cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 105, ubi jam in votis habuimus hoc complementum afferendum providæ disciplinæ art. VII Decreti *Ne Temere*.

Quodsi *ad invicem comparantur* facultas anni 1888 et præsens dispensandi facultas:

1°/ eadem amplitudine extenditur utraque potestas ad omnia impedimenta jure ecclesiastico dirimentia, etiam publica, solis exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate licita in linea recta (2).

2°/ Quod spectat *personas* erga quas ambæ facultates possunt exerceri, duplex intercedit notanda *differentia:*

a/ facultas nempe anni 1888 non suffragatur nisi solis *concubinariis*, dum hæc nova facultas potest applicari omnibus moribundis quorum matrimonio simplex sacerdos assistere potest in defectu parochi seu Ordinarii loci ejusve delegati; illis proinde qui nubere cupiunt ad consulendum conscientiæ vel legitimitati prolium: quæ hypothesis obtinere potest extra concubinatum;

b/ facultas anni 1888 non potest exerceri nisi in gratiam *subditorum* Episcopi delegantis, dum, pro præsenti facultate, nulla distinctio est facienda inter diœcesanos et non diœcesanos.

Ex duplici igitur capite continget parochum imo et Ordinarium loci in quo matrimonium celebratur, non posse dispensare cum moribundo, cum quo dispensare posset parochus alienus necnon simplex sacerdos, in absentia parochi seu Ordinarii loci ejusve delegati. In quo non levis videtur anomalia, cui opportunè mederetur S. Sedes, extendendo facultatem anni 1888 ad omnes moribundos, etiam non diœcesanos et non concu-

---

(1) Hæc altera conditio non verificatur si delegatio potest obtineri, recurrendo ad parochum vel Ordinarium per epistolam, etiam, ut videtur, par expres, bene vero si aliter obtineri nequit nisi via telegraphica. Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 408; t. XIII, p. 405.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 219 ss., quo loco exponuntur etiam cautelæ in dispensatione observandæ.

binarios, qui, ad tramites art. VIII Decreti *Ne Temere*, matrimonium inire cupiunt ut conscientiæ consulant vel legitimationi prolium.

A. De Smet.

E S. Congregatione Rituum

I

DECRETUM

De typica editione Vaticana Officii defunctorum cum cantu gregoriano.

De mandato SSmi Dni nostri Pii Papæ X, sacra Rituum Congregatio declarat ac statuit præsentem Officii defunctorum editionem vaticanam, quæ cantum gregorianum exhibet, ab ipso SSmo Dno nostro feliciter restitutum, uti authenticam ac typicam habendam esse, atque ab omnibus Romanæ Ecclesiæ ritu utentibus in posterum observandam. Quævis ideo ejusdem Officii nova editio, typis evulganda, huic adamussim conformis esse debet. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Maii 1909.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

II

BERGOMEN.

De reliquiis S. Crucis et sanctorum, de « Credo » in Missa non expositis reliquiis insignibus, et de fundo colorato albarum.

Rmus Dnus Jacobus Maria Radini Tedeschi, Episcopus Bergomensis, quæ sequuntur dubia hujus sacræ Congregationis judicio reverenter subjecit, videlicet:

I. An reliquia sacrosanctæ Crucis D. N. J. C. et reliquiæ

Sanctorum in eadem theca includi atque exponi possint super parvo throno corona in parte superiore ornato?

II. An recitari debeat *Credo* in Missa, quando reliquiæ insignes Sanctorum, de quibus festum agitur, in ecclesia non exponuntur?

III. An toleranda sit consuetudo utendi fundis rubri vel violacei coloris in fimbriis et manicis albarum?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito suffragio Commissionis liturgicæ, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Negative,* et reliquia sanctæ Crucis includatur et exponatur in theca separata (1).

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. Detur decretum n. 4048 *Minoricen:,* 24 Novembris 1899, ad VII (2).

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

L. ✠ S. A. Card. Tripepi, *Pro-Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

(1) Ratio patet: quamvis cultus reliquiis omnibus indiscriminatim exhibendus sit *relativus,* tamen solis reliquiis Christi Domini debetur cultus *latriæ,* reliquiis vero Sanctorum (vel B. Mariæ Virginis) exhiberi tantum potest cultus *duliæ* (vel *hyperduliæ*). Cf. Dec. S. R. C. n. 2854.

(2) Illud decretum sic habet: « An toleranda consuetudo utendi fundo cærulei coloris sub velo translucenti in fimbriis et manicis albarum? » R. « Affirmative; et detur decretum sub n 3780, diei 12 julii 1892, ad V ».

Hoc ultimo decreto *Romana* n. 3780, ad quæstionem: « Num tolerari possit, ut fundus coloratus supponatur textili denticulato vel operi phrygio in manicis et fimbriis albarum, necnon in manicis rochetti? », respondetur « Quoad manicas et fimbrias albarum, affirmative; quoad manicas autem in rochettis, fundum esse posse coloris vestis talaris relativæ dignitatis ».

Consultationes

I

In dispositionibus quadragesimalibus hujus anni, sub n° VI conceditur *militibus* cujusvis gradus, uxoribus, liberis et famulis eorum, necnon aliis personis de facto servitio militari addictis, facultas edendi carnes qualibet die per annum, excepta sola feria VI in Parasceven.

Quæritur:

1°/ utrum hæc facultas extendatur etiam ad illos **duces militum qui a munere suo se abdicarunt** *(officiers retraités ou pensionnés),*

2°/ utrum etiam ad eos **milites** qui per accidens **per aliquot dies degunt in familiis** suis *(soldats en congé),* et **ad eorum familias.**

— *Ibidem,* sub n. IX conceditur parochis et confessariis facultas dispensandi in lege jejunii et abstinentiæ; additur autem: « *Les malades et les personnes faibles de santé se règleront d'après les ordonnances d'un médecin consciencieux* ». Unde quæritur:

3°/ utrum hac additione restringatur facultas parochi et confessarii, ita ut jam non possint ea uti erga ægrotos et debiliores, nisi prius exquisito medici consilio.

Respondetur.

Ad 1m: Affirmative. Etsi enim tales de facto jam non sint servitio militari addicti, tamen communi sensu et vocabulo habentur ut *milites;* solent cum pristinis suis armorum sodalibus conversari, eos invisere et vicissim recipere, cum illis non raro conviviis et solemnitatibus militaribus adesse, brevi se gerere ut qui vera quadam ratione adhuc pertinent ad classem militum (1); unde

(1) Apparet plane aliud dicendum esse de ordinariis militibus qui, post impletos annos servitii sui, domum redeunt, nec ulllo jam sensu vero *milites* dici possunt.

etiam apparet pro ipsis de facto adfuisse rationem seu causam qua ipsis sicut et cæteris a legislatore fuerit dispensatio concessa.

Ad 2m: Affirmative quoad ipsos milites; negative autem, per se, quoad familias ipsorum. *Ipsi* enim censentur et sunt revera milites, nec additur pro ipsis in textu restrictio qualis additur eodem numero pro custodibus securitatis urbanæ, aliisque, pro quibus explicite requiritur ut sint servitio actu occupati (1); quod vero spectat membra familiæ *talium* militum, ad illos non extenditur dispensatio legislatoris, nisi agatur de hujusmodi milite qui sit caput familiæ, ut patet ex verbis legislatoris: « *leurs femmes*, *leurs enfants*, *leurs domestiques* ».

Ad 3m. Negative. Hic enim sensus dictæ additionis nobis esse videtur: « Quod spectat personas ægrotantes aut debiliores, istæ sane sæpius rationem *excusantem* habebunt, a jejunio vel abstinentia, et proin dispensatione non indigebunt; hac in re possunt tuta et quieta conscientia sequi quod medico prudenti bene visum fuerit; quod si a medico consilium non capiunt (2), nil impediet quominus vel ipsi intelligant adesse causam excusantem, vel (quod practice melius et suadendum), parochus vel confessarius declaret eos a lege esse excusatos, vel, in dubio, in quantum necessarium est, dispensatione vel commutatione suppleat ».

---

(1) Utrum etiam his custodibus aliisque deneganda sit facultas utendi dispensatione tempore feriarum, resolvi debet juxta principia generalia, de usu dispensationum. Cfr. Ill. Waffelaert, *De Temperantia*.

(2) Et sane! noluerit Ill. Episcopus quosvis ægrotos aut debiliores cogere *ad adeundum prius medicum*, in omni casu quo abstinentiæ non servare cuperent! — Nec objiciatur Benedictum XIV exegisse ut dispensatio non concederetur nisi de consensu *utriusque* medici; corporalis np. et spiritualis; etenim ut in multis aliis, non parum, consuetudine contraria relaxatum est hodie a disciplina potius severiori a Benedicto XIV instaurata.

II

Titius, defuncta uxore, inventarium in gratiam filiorum minorennium conficere jubétur. Intendens autem se a nimiis tributis successionis liberare, partem tantum bonorum declarat, cætera occultat; imo interrogatus a judice, sub juramento declarat se nil occultasse ex bonis successionis. — An licite agit Titius?

Respondetur: — Ex variis titulis posset excogitari oriri illiceitas talis modi agendi (1):

1°/ *Violat legem* imponentem adæquatam declarationem, et sic peccat contra obedientiam legibus debitam. — Ast *respondetur:*

Hæc lex de qua agitur, habetur ut lex *mere pœnalis;* adeoque modo paratus sit pœnam subire si fraus detegitur, legem non violavit.

2°/ Violare potest *justitiam strictam,* qua tenetur partem justam filiis suis minorennibus tuto servare. — *Respondetur:* Talis injustitia non necessario adest. Potest enim vario modo efficaci providere ne liberi quavis parte hereditatis suæ fraudentur. Ita poterit agere præsertim, ubi filii jam ratione utentes, conscii sunt et consentientes patri; poterit etiam, ast difficilius, ubi adhuc infantuli; quare in omni casu ex stricta justitia tenetur sibi ipsi conficere inventarium eorum quæ momento mortis conjugis possidet, partem ex iis filiis congruentem statuere secundum æquum et justum, et in futurum cavere a periculo ne dicta bona in damnum filiorum pereant.

3°/ *Mendacium profert,* dum dicit se nil occultasse. — *Respondetur:* Non mentitur, sed utitur restrictione mentali licita. Etenim lex non exigit inventarium, nisi in favorem heredum, et nullatenus apud nos in favorem fisci, ut tributum solvatur; quare ad mentem legislatoris recte respondet: Nihil occultavi, *nempe cum injuria*

---

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *De Justitia,* t. 2, n. 422.

heredum; seu: Declaravi id omne quod *ad solvenda jura heredum* declarandum erat.

4°/ Violat *religionem,* proferendo perjurium: juramento enim confirmat mendacium. — *Respondetur* negando, juxta dicta sub 3°.

5°/ *Se exponit scandalo, gravi damno,* etc., casu quo fraus detegeretur. — *Respondetur* Titii esse a tali periculo cavere; quod si sufficienter facit nequit ex hoc capite peccato argui.

A. Vander Heeren.

Notæ Bibliographicæ

H. Hoornaert et A. Mervillie. *S. S. Pie X. Nouvelle étude biographique, honorée de la haute approbation de* S. G. Mgr Waffelaert. Bruges, Desclée, De Brouwer & Cie, 1909, gr. in-8°, XII-532 p., 253 grav. F. 6.

Dans la série des articles bibliographiques consacrés par la presse à l'œuvre remarquable de MM. Mervillie et Hoornaert, on a justement mis en relief bien des côtés intéressants de cette composition.

On a fait valoir la puissance du style, qui, dans la description très réelle des splendeurs de l'Italie, dans le tableau mouvementé de toute la vie d'un peuple, dans l'évocation magnifique des cérémonies religieuses, a su mettre en pleine lumière la grande figure de Pie X. On a insisté sur la documentation extraordinaire de l'œuvre, résultant tout à la fois de deux enquêtes minutieuses faites sur place et de nombreuses recherches dans les travaux d'histoire et de doctrine. On a fait remarquer la délicieuse simplicité du récit entrant par le menu dans tous les détails de cette carrière étonnante et s'alliant néanmoins à une conception très large d'une étude biographique, véritable histoire des idées poursuivies et réalisées par Pie X.

Il semble opportun toutefois d'ajouter à ces appréciations élogieuses quelques mots qui précisent la portée de cette œuvre au point de vue de la formation du clergé.

Sa Sainteté Pie X, en parcourant toutes les étapes de la vie ecclésiastique, depuis celle de vicaire jusqu'au faîte sublime du Pontificat, est un vivant modèle des vertus sacerdotales, spécialement de l'esprit de piété, de la bonté de cœur et de l'amour du devoir. Il s'est acquitté des charges les plus diverses - ministère des âmes, direction spirituelle, formation du clergé, fonctions administratives, œuvres politiques et sociales - avec une telle fidélité, une telle unité d'action, une telle compréhension des besoins de notre époque, qu'Il a été visiblement constitué par la Providence pour être un exemple à imiter dans toutes les carrières sacerdotales.

S'il importe plus que jamais que tous les fidèles demeurent indissolublement en communion d'idées et de sentiments avec la Chef visible de l'Église, aux pasteurs des âmes incombe l'obligation de connaître les enseignements du Souverain Pontife et la direction qu'Il donne au gouvernement de l'Église, en vertu de sa suprême autorité.

C'est pourquoi tous les membres du clergé tireront grandement profit de la lecture du présent ouvrage. Ils y trouveront l'histoire circonstanciée des grandes réformes accomplies par le Pape, l'exposé solide des graves questions de doctrine et de discipline qui L'occupent; ils y puiseront surtout un dévouement filial et un attachement inaltérable à la personne de Pie X, le Successeur de Pierre, glorieusement régnant.

A. De Meester.

P. Lerouge, *Les Belges et le Congrès Eucharistique de Londres*. Courtrai, Vermaut, 1909. Gr.-8° de 175 p.

Cette brochure contient ce qui, dans le Congrès Eucharistique de Londres de 1908, peut intéresser les Belges: tout d'abord les lettres envoyées par P. Lerouge au *XXe Siècle* pendant la semaine du Congrès; ensuite, les discours prononcés et les travaux présentés par les Belges.

Nous n'avons pas à faire ici l'éloge du maître écrivain qu'est P. Lerouge; il suffira de rappeler combien ses correspondances de Londres furent appréciées et goûtées.

L'éditeur a fait une édition spéciale pour distributions de prix: par 12 exempl. 1 fr., par 50 exempl. 0,95, par 100 exempl. 0,90... Nous souhaitons à cette brochure la plus large diffusion: les élèves y trouveront une lecture qui charme et édifie.

*
* *

La bienh. Marguerite-Marie Alacoque. Son amour pour Jésus-Christ. Panégyrique inédit prononcé par le **R. P. Félix**, S. J. Bruxelles, Vromant, 1909.

Nous recommandons bien volontiers ce beau panégyrique, publié par la *Petite bibliothèque chrétienne* (1) dans sa livraison de Juin dernier. Prix: l'ex. 30 c., 12 ex. 25 c., 50 ex. 20 c. S'adresser au R. P. Dutremez, Ancienne Abbaye, Tronchiennes.

H. MAHIEU.

Intonationes et Toni Communes Missæ conformes editioni Vaticanæ, quos edidit Dr P. WAGNER, Düsseldorf, Schwann, 1909, 50 p. F. 0,75.

Excellente publication à l'usage du clergé, donnant les formules et les règles d'exécution des récitatifs liturgiques, *Oraison, Épître, Évangile* etc. Bien que l'autorité du professeur de Fribourg soit grande, nous ne croyons pas devoir adopter toutes ses conclusions. Nous estimons, jusqu'à preuve du contraire, que la théorie des accents principaux et secondaires et la suppression des formules propres aux terminaisons monosyllabiques sont deux points à réaliser dans la pratique.

1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 64.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

A. Dethuyne

I

Consectarium inspirationis rite intellectæ est absoluta inerrantia S. Scripturæ: scil. in locis authenticis Scripturæ nullum invenitur judicium hagiographi erroneum in sensu ab hagiographo intento, quodvis habeat objectum, sive doctrinale, sive morale, sive historicum, sive scientificum.

Hoc consectarium explica, et paucis ostende ad quæstionem facti « quænam in Scriptura occurrant hujusmodi judicia hagiographi », multum adjuvare determinationem generis litterarii ab auctore usurpati.

II

Explica quomodo in doctrina Modernistarum auferatur penitus *ordo supernaturalis*. Cf. Encyclica « Pascendi » *Collat. Brug.*, t. XII, p. 603 ss.

III

Præmissa notione accurata *delectationis morosæ*, indica quid apud varii generis pœnitentes veniat sub accusatione « pravarum cogitationum ».

IV

Modum practicum quo cum variis his pœnitentibus procedat confessarius, assigna.

V

Expone in quo consistat perfectio christiana.

VI

Quid est sepultura gentilitia et quomodo acquiritur.

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 2me FASC. MAI 1909:

W. H. J. Weale. Peintres Brugeois. — Les Christus, p. 97. — J. Claerhout. De Bevolking van West-Vlaanderen. 121. — J. Ferrant. Actes de dotation de services religieux et de cérémonies liturgiques en l'église d'Harlebeke, par Siger de Beka. 137. — C. Callewaert. Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre. 153. — Bon M. de Maere. Aperçu relatif à l'hydrographie dans la région orientale de Courtrai. 183.

Comptes rendus. — L. Gilliodts-van Severen. Cartulaire de l'ancien Grand Tonlieu de Bruges, faisant suite au Cartulaire de l'ancienne Estaple. (L. De Wolf). 186.

Chronique. 190. — Sociétés savantes et Congrès. — Périodiques. — Notes bibliographiques. — Nos objets d'art. — Nouvelles d'histoire locale.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 187 à 376). p. 37*.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900), XI (1906) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

INSTRUCTIONES
CONTRA VITIUM ONANISMI
PAROCHIS ET CONFESSARIIS PROPOSITÆ.

Pessimum peccatum Onan, quod nunc neo-malthusianismus vocatur, in nostra regione belgica ut morbus contagiosus invaluit, atque per omnes provincias, cum ruri tum urbi, tam inter divites quam inter opifices longe lateque serpit. Hoc factum testantur unanimi consensu viri vel scientiæ œconomicæ vel praxeos medicalis vel ministerii confessionum periti. Palam aperteque lues propagatur etiam sub nomine et prætextu scientifico, tum diariis, tum foliis periodicis, tum imo conferentiis publice habitis.

Porro, vitium illud non tantum moribus christianis ac ipsi legi naturali in corde uniuscujusque hominis insculptæ summopere repugnat, sed etiam, docente experientia, tam pro individuis quam pro familiis atque humano genere, pessimas sequelas secum trahit.

Ubicumque viget, nedum ædificentur domus atque humana societas amplificetur et roboretur, validis membris vacuantur familiæ, enervatur pactum matrimoniale, et conjuges animi doloribus, remorsu conscientiæ, corporalibusque miseriis cruciari solent.

Dato hoc communi periculo, Nos qui constituti sumus ad invigilandum moribus christianis in dilectissima patria nostra vigentibus, rati sumus Nos officio nostro defuturos, si ulterius taceamus.

Itaque sequentes Instructiones Parochis et Confessariis proponimus, quibus in vitio illo strenue debellando prudenter ducantur et firmentur. Etenim, quo pugna sit efficacior, oportet eadem omnes morum principia applicent atque uniformi methodo utantur. Non autem intendimus nova docere, sed potius ad mentem probatorum theologorum indicare quomodo in nostra hodiedum regione cum onanistis sit agendum.

I

De onanismi malitia. — Prætextus allegati ad vitium excusandum; responsa quibus refelluntur.

Peccatum onanismi committitur omni actu conjugali ita exercito ut positivo quovis modo prolis generatio impediatur.

Dicitur « positivo quovis modo »: ad assignandum non tantum modum Onan qui « semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur » (Gen. XXXIX, 9), sed etiam methodum hodiedum magis pervulgatam, sive mechanicam, ope nempe instrumenti alicujus, sive chœmicam, id est lotione vel infusione liquidi occisivi, tam ex parte viri quam mulieris, quæ sive ante actum sive in actu sive post actum ad conceptionem præcavendam vel impediendam adhibetur.

Porro omnes sciant *nullum* existere vel excogitari posse positivum medium per se efficax ad illum finem obtinendum quod non induat gravissimam onanismi malitiam.

Repugnat enim ipsi generis humani propagationi, primario fini usus matrimonii. Matrimonium a divino naturæ Conditore non est hominibus datum ut in eo inveniant delectationes carnales, sine oneribus. Sane medium est ad concupiscentiam sedandam; sed hoc ea tantum lege statuitur quod principalis finis non impediatur.

Est vitium *contra naturam,* quia contrariatur impulsui ipsius naturæ, atque destruit leges gravissimas quæ usum matrimonii, spectato bono ipsius societatis, regunt.

Ideo peccatum hoc dicitur in S. Scriptura « res detestabilis » (Gen. XXXIX, 10); a S. Sede declaratur « jure naturali prohibitum » (S. Offic. 21 Maii 1851) ac « intrinsecus malum » (S. Offic. 19 Apr. 1853); et a theologis merito juxta sensum catholicum habetur ut « peccatum ad cœlum clamans », divinam nempe vindictam jam hic in terris quærens.

Sacerdotes omnes illam gravissimam onanismi malitiam perspiciant perversamque illius naturam plene videant, ut ipsam fideles, data occasione, apte et prudenter docere possint. Simul cognoscant rationes seu potius prætextus quibus onanistæ modum suum agendi excusare solent, atque in promptu habeant responsa quibus sint redarguendi.

Generatim imprimis loquendo, vitium oritur ex materialistico vitæ conceptu, qui hodiedum ubique pervadit nec etiam christianos immunes relinquit: homines deliciis frui contendunt et concupiscentiis laxas habenas dare, quin onera velint assumere quæ ipsis jam videntur importabilia.

Ille modus paganus vitam temporalem concipiendi, ubique, omnibus viribus, est repugnandus. Ipsi opponenda est ratio quam fides christiana docet, quæ vitam corporalem habet ut viam ad patriam, ut tempus probationis: « tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint: et qui flent, tanquam non flentes, et qui gaudent, tanquam non gaudentes: et qui emunt, tanquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. » (I Cor. VII, 29-31). Nisi hæc veritas firmiter hominibus inculcetur, sanctissimæ leges naturæ pessumdabuntur; nisi qui matrimonio juncti sunt onera conjugii et familiæ portare velint, aperta via erit ad onanismi peccatum.

Hæc generalis fidei doctrina sæpe atque energice proponatur instructionibus ad populum habitis.

Quodsi speciatim inquiritur quibusnam rationibus perversa praxis nitatur, multæ proferuntur specietenus diversæ, et aliæ ab aliis hominum classibus; attamen ad duplex genus apte referuntur, cum alii quidem nolint onus numerosæ prolis assumere, alii vero velint gestationis et præsertim partus periculum uxori cavere. Hos prætextus refellendos habebunt nominatim confessarii. Quonam modo? Quibusnam potissimum rationibus?

His omnibus opponatur imprimis atque præcipue responsum hoc fundamentale: onanismum seu voluntariam sterilitatem semper esse peccatum gravissimum nec ullo motivo cohonestari; repugnare fini matrimonii atque naturæ actus conjugalis; hoc modo impediri ne novus homo nascatur ad gloriam Dei; cæterum eos libere matrimonium iniisse et proinde æquitatem postulare ut non gaudia tantum sed et onera huic statui naturaliter annexa assumant. Uno verbo, præprimis conscientia appellanda est. Atque deinde argumentis allatis directe respondeatur.

Si impossibilitas numerosæ familiæ alendæ prætenditur, vivificanda est fides in divinam Providentiam, juxta pul-

cherrima Christi Domini verba: « Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.... Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?.... Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent.... Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis. » (Matth. VI, 25-34). — Provocandum insuper ad factum quotidiana experientia confirmatum: numerosas familias generatim loquendo aliis esse feliciores; in illis enim naturales energiæ membrorum splendide exseruntur; in illis regnat major unio et virilis amor.

E contrario qui, egoïsmo ducti, ad onus nascendæ prolis effugiendum legibus generationis renituntur, timeant ne duriora et graviora aliquando incurrant, cum sæpenumero in prole nata nimis dilecta, jam in terris, vindice manu Dei puniantur: juxta sensum enim fidei, experientia innixum, onanismi peccatum ad cœlum clamat.

Quod vero spectat ad illos qui ex novo partu timent vitæ uxoris, reponi potest, verbis generalibus, nonnullos medicos nimis facile periculum mortis ex partu obveniendum affirmare; insuper artem obstetricam atque chirurgicam hodiedum ita progressam esse ut vix mortis periculum aptis adhibitis mediis non caveri possit; cæteroquin ab alia parte sterilitatem voluntariam onanismi vitio procuratam non esse sine detrimento sanitatis; quodsi tandem verum adsit periculum, ipsis non superesse nisi praxim continentiæ vel periculi sustentationem. Utique, miseris illis qui in hoc casu versantur christiano robore erit utendum: sed, hoc modo, pondus gloriæ præstantissimis temperantiæ actibus sibi reservant, nedum conscientiæ remorsus sibi parent atque pœnas luendas.

Omnibus porro conjugibus christianis auctores sint confessarii, ut nonnumquam, ad tempus, mutuoque consensu, ab actu matrimoniali abstineant, atque ita libere eximiam illam virtutem sectentur quam multi necessitate coacti exercere postea debeant.

Præterea, quandoque prudenter allegari contra onanistas poterit, media quibus utuntur non esse ad ipsorum scopum

infallibiliter efficacia : unde suspiciones infidelitatis, animorum divisiones, et alia hujusmodi. Non autem ipsis proponendum est tempus ageneseos, saltem qua medium certum generationis vitandæ.

Uno verbo, arma quibus onanismus debellandus est efficaciora a christiana fide et a fidelium conscientia sunt mutuanda. Quod dein apte confirmatur motivis naturali ratione ac experientia mixis.

II

De modo agendi confessariorum cum pœnitentibus onanistis.

Quæ modo dicta sunt de responsis ad prætextus onanistarum refellendos aptis præsertim confessarios respiciunt; hi enim tenentur, pro officio suo pœnitentes interrogare, monere, redarguere. Itaque illa responsa in promptu habeant oportet : pro singulorum autem pœnitentium indole ac intelligentia, in alia vel alia ratione erit insistendum.

Hic autem quæritur an et quandonam confessarius de illo vitio *interrogare* debeat utriusque sexus pœnitentes.

Huc pertinet responsum S. Officii quod, die 21 Maii 1851, declaravit « propositionem, prout jacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam », propositionem scilicet quæ tenet: « nunquam expedire interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir, sive uxor, sive uterque abutantur matrimonio »; item responsum S. Pœnitentiariæ, die 10 Martii 1886 datum, ad quæsitum : « Quando adest fundata suspicio, pœnitentem qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod prævideat plures a bona fide exturbandos, multosque Sacramenta deserturos esse? An non potius teneatur confessarius prudenter ac discrete interrogare? » S. Pœnitentiaria respondit: « Attento vitium infandum de quo in casu late invaluisse,.... regulariter negative ad primam partem, affirmative ad secundam. »

Quibus documentis attentis, interrogandi sunt pœnitentes utriusque sexus quando « prudens timor » seu « fundata

suspicio » onanismi adest, sine respectu ad malas sequelas per accidens ex interrogatione sequendas. — Quæ « fundata suspicio » confessario patebit præcipue ex modo confitendi pœnitentis, necnon ex modo vivendi vel ex vitæ adjunctis confessione apertis. Interrogatio autem fiat « prudenter ac discrete », ne pœnitens offendatur vel scandalizetur, proinde verbis generalibus, simulque sat claris ut ab ipso intelligi possint. Quæri potest, v. g., num in matrimonio vere christiane vixerit, vel, num quoad officia matrimonii nihil conscientiam remordeat, vel etiam explicitius et generatim melius, an se conformet divinæ voluntati circa filiorum numerum, an se committat totaliter Providentiæ divinæ circa filiorum generationem.

Quod deinde spectat ad *monitionem* faciendam, eadem S. Pœnitentiaria, die 10 Martii 1886, respondit: « affirmative, juxta doctrinas probatorum auctorum », ad quæsitum « an confessarius qui, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione, cognoscit pœnitentem esse onanistam, teneatur illum de hujus peccati gravitate, æque ac de aliorum peccatorum mortalium monere, eumque (ut ait Rituale Romanum) paterna charitate reprehendere eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eumdem dolere de præterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi. »

Juxta hoc responsum, et juxta sana theologiæ moralis principia, attento vitium etiam in Belgio late invaluisse, sequenti modo procedendum esse judicamus.

Nullo in casu confessarius potest positive permittere praxim quamlibet quæ directe conceptum præcavet vel impedit.

Si pœnitens, dubius hærens, ipse confessarium interrogat, docendus est malitiæ gravitatem, ac monendus de gravi obligatione peccatum derelinquendi : et hanc assumere debet ut absolvi possit.

Si ex confessione spontanea vel ex prudenti interrogatione constat pœnitentem onanismo deditum esse, ipsumque gravitatem peccati cognoscere, eadem imponenda est obligatio sese emendandi.

Quodsi vero reperiretur pœnitens in bona fide, id est, gravis malitiæ non conscius, quid faciendum est? — Impri-

mis animadvertendum est bonam fidem in hac materia, omnibus theologis consentientibus, raro inveniri: vitium enim nimis aperte ipsi impulsui naturali, ipsi actui physiologico repugnat; eoque vel rarius apud nostrates invenietur, quod vitium jam aperte et strenue impugnatur ac impugnabitur tum diariis publicis, tum instructionibus occasione missionum habendis, et aliis mediis. Attamen concedendum videtur, *in casu rarissimo et ad breve tempus*, ignorantiam a mortali excusantem, sive in viro, sive facilius in muliere obvenire. Quodsi in aliquo pœnitente hæc ignorantia deprehenditur, et si simul prudenter timetur ne monitio facienda non succedat ad emendationem, sed potius ad peccatum formale, liceret confessario tacere: nisi tamen præsumatur ipsius silentium pervulgatum iri atque ita versurum contra bonum commune.

Quibus omnibus consideratis, patet generatim loquendo imponendam esse obligationem emendationis. De *rarissima* autem exceptione huic regulæ facienda ipsi confessario, pro individuo pœnitente, prudenter juxta principia posita dijudicandum erit.

Quæritur autem nonne monitio facilius omitti possit relate ad mulierem quam ad virum, seu nonne mulier ob gravem causam possit permissive se habere relate ad actum viri onanisticum? Quomodo ipsa docenda et monenda est?

Ad hanc quæstionem solvendam, distinctione opus est; et proinde ut confessarius rite monere possit, oportet ut vel prudenter possit præsumere vel etiam discreta interrogatione cognoscere modum qui adhibetur.

Si mulier in actum onanisticum, quovis modo exerceatur, consentit, vel illum querimoniis suis vel aliter ipsa provocat, constat ipsius cooperationem esse intrinsecus malam: ideoque principia de monitione facienda ipsi sunt applicanda.

Eandem cooperationem in se malam præstat mulier, cum ad generationem præcavendam ipsa instrumento præservativo vel infusione liquidi occisivi utitur: cumque lotione meræ aquæ frigidæ idem effectus obtineri possit, idem in hoc casu statuendum videtur.

Quodsi contra vir involucrum adhibet quo actum onanistice exerceat, nec uxori licet ullo modo huic actui, in se vitiato, cooperari: solummodo ob *gravissimam* causam, scili-

cet ob timorem mortis vel mali huic æquiparandi, ipsi liceret non resistere oppressori.

Quodsi tandem vir in actu exercendo sese retrahit, per se loquendo licet uxori ob *gravem* causam sese permissive habere relate ad viri peccatum. Attamen ipsi imponenda est obligatio ut, omni quo possit modo, præsertim precibus et blanditiis, virum a pessimo illo peccato avertat. Etiam in hoc casu, erga ipsam severitati propendendum potius quam laxitati, ne ad hoc deveniatur quod, viris a Sacramentis rejectis, subtili distinctione mulieres onanismo indulgentes passim admittantur.

Satagant proinde confessarii omnes, ut illum modum agendi cum pœnitentibus sequantur : innititur enim S. Sedis auctoritate atque probata doctrina theologorum.

III

De modo onanismum impugnandi extra confessionale.

Non tantum occasione confessionis vitium est oppugnandum, sed etiam extra confessionale, sive privatim, sive publice.

Imprimis nupturientes caute præmonendi sunt, tam a parocho quam a confessario, præsertim autem viri, verbis generalibus ipsorum indoli atque menti proportionatis.

Insuper instructionibus ad populum fidelem habitis monita huc spectantia misceri possunt, cauto tamen modo, non quidem ex professo sed occasionaliter, loquendo v. gr. de benedictionibus divinis in numerosas familias sparsis, ac quærendo num illis benedictionibus aliqua ex parte non obsistant. Ex professo autem, discretis et prudentibus verbis, de hoc vitio agendum est in sacris Missionibus, coactis viris vel matribus christianis, vel potius simul omnibus matrimonio junctis, itemque occasione recollectionis, si alicubi existat, ad matrimonium præparatoriæ.

Consulendum magnopere est ut parochi omnibus nupturientibus tradant brevem catechismum quo natura conjugii ejusque obligationes et onera exponantur. Optandum denique est ut omnes qui contagioni resistere apte possint, sive medici, sive diariorum catholicorum scriptores, sive oratores populares, collatis viribus, suo quisque modo, necessariæ

huic ac valde meritoriæ pugnæ arma commisceant. Confidimus enim omnes illos, qui Belgicam nationem volunt sanam atque in dies validiorem, nobiscum consentire.

Speciatim medici catholici graves suas in hac re obligationes perspiciant, ne pericula partus exaggerent, sed potius media quibus illa minuantur timentibus indigitent. Magnopere etiam interest ut illæ, quæ obstetricum munus in parochia exercent, officia sua doceantur, ut artis suæ sint peritæ, atque scientiæ progressus cognoscant: ideo juvabit eas ad peritum probumque medicum committere.

Permoti periculo gravissimo quod ex lue convalescente populo nostro obveniet, monita illa vobis mittenda censuimus. Miníme dubitamus quin ab omnibus, tam a clero regulari quam sæculari, benigne excipiantur, atque unanimi consensu prudenter sed fideliter, pro officii gravitate et rei momento, executioni mandentur.

Mechliniæ, 2ª Junii 1909.

† DESIDERATUS JOSEPHUS, Card. MERCIER,
Archiep. Mechlin.
† ANTONIUS, Episc. Gandaven.
† GUSTAVUS JOSEPHUS, Episc. Brugen.
† CAROLUS GUSTAVUS, Episc. Tornacen.
† THOMAS LUDOVICUS, Episc. Namurcen.
† MARTINUS HUBERTUS, Episc. Leodien.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Paucis explica quisnam requiratur influxus divinus in intellectum et in voluntatem hagiographi, ut Deus dici possit auctor libri inspirati.*

R. **Prænota.** 1/ Undecumque hagiographus rerum scribendarum notitiam accipiat, sive revelatione stricte dicta, sive fonte naturali, hæc notitia ad inspirationem tanquam necessaria conditio præsupponitur. (Cf. infra p. 483 ss.).

2/ Omnes generatim auctores catholici admittunt actionem Dei inspirantis supernaturaliter attingere ac perficere non tantum voluntatem hagiographi, sed etiam ejus intellectum: Verùm, non omnes unanimiter *modum* definiunt, quo actio Dei inspirantis in facultates hagiographi, maxime in intellectum, influat. Omissis aliis explicationibus, sequens quam proponimus (1) omnino præferenda videtur, quia ex una parte essentiale discrimen inspirationem inter et revelationem stricte dictam haud pessumdat, et ex alia parte rite explicat quomodo Deus sit auctor principalis Scripturæ.

Respondetur. *Influxus charismaticus inspirationis consistit in illuminatione, qua intellectus hagiographi dictatione mentali prædeterminatur ad judicia de rebus determinato modo in libro conscribendis; influxus divinus præterea importat motionem physicam et efficacem, etsi non necessitantem, in voluntatem hagiographi, vi cujus velit scribere*

---

(1) Cf. Billot, *De Inspiratione S. Scripturæ*, Romæ 1906; Van Noort, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina*, Amstelodami 1906; Pesch, *De Inspiratione S. Scripturæ*, Friburgi B. 1906; Lagrange, *Rev. biblique*, 1896; Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 141 ss.; Brucker, *L'Église et la critique biblique*, Paris 1908, p. 43 ss.; Zanechia, *Divina inspiratio S. S.*, Romæ 1898.

quæcumque ex divina illustratione scribenda concepit eoque modo quo ea scribenda concepit. Qui duplex influxus sufficit, cùm sua sponte derivetur in facultates quæ materialem scriptionem exequuntur.

Explicatur. I. Influxus in intellectum hagiographi. Quia compositio libri opus est intellectuale, inspiratio divina principaliter constat motione in intellectu recepta. Compositio autem libri, præter externam scriptionem consequentem in codice materiali, consistit in mentali conceptione seu formatione sententiarum seu judiciorum *scribendorum* (1), e quorum contextu opus constituitur. Auctor sc. excogitat intus in mente sua singula per ordinem judicia scribenda, simul cum verbis quibus exprimantur. — Ut igitur Deus dici possit auctor libri inspirati, requiritur ut sit auctor principalis omnium judiciorum quæ *ut scribenda* hagiographus instrumentaliter concipit, et e quorum contextu liber exoritur. Requiritur pariter ut mens hagiographi non ex seipsa moveatur ad formanda et determinanda judicia cum verbis eorum enuntiativis, sed nonnisi sub motione et ex motione a Deo recepta, cuncta in libro inserenda concipiat et in cogitatione sua describat, secundum inflexionem et determinationem et ductum Dei, utentis intellectu creaturæ suæ tanquam calamo rationali (2).

Est igitur inspiratio motio supernaturalis immediate recepta in intellectu hagiographi, vi cujus prædeterminatur intellectus ad seriem judiciorum de rebus determinato modo (iis verbis enuntiativis, ea ordinatione, ea specie

---

(1) Dicitur « scribendorum ». Etenim quæviś judicia in Scripturis occurrentia, ut sunt judicia mere *theoretica* de certis veritatibus, non formaliter pertinent ad inspirationem, cùm ad ipsam potius ut necessaria conditio præsupponantur. Cf. Dissertationem infra, p. 483 ss.

(2) Ita fere Billot, *o. c.*, p. 51 s. Hoc modo causa instrumentalis exercet actionem propriam (mentaliter scribendo) et actionem instrumentalem (tali modo scribendo, sc. juxta ductum Dei). Cf. dicta supra, *Collat. Brug.*, t. XIV, p 399 ss.

litteraria) conscribendis in libro. Unde a quibusdam auctoribus hæc prædeterminatio intellectus ad judicia scribenda vocatur *dictatio.* Non quidem intelligenda est dictatio verbalis, in qua hagiographus, neque in concipiendo neque in exprimendo concepta ullum ministerium præberet, sed ex suggestione divina acciperet verba materialiter chartæ commendanda. Verùm intelligitur dictatio mentalis, quæ consistit in interiori motione seu instinctu ad concipiendum mentaliter ea judicia, quæ principalis auctor in libro esse vult, eaque sic concepta in libro consignanda (1).

Nota. 1/ Judicia illa scribenda in mente hagiographi producta a pluribus vocantur *practica* (2), quia non sunt mere theoretica seu speculativa, sed conscribenda et ad homines dirigenda adeoque ad praxim destinata, quemadmodum scientia dicitur practica, ubi non sistit in mera cognitione speculativa veritatis. At per se patet judicium practicum sub motione divino elicitum: « hæc res hoc determinato modo est scribenda », virtualiter et in actu exercito esse simul judicium theoreticum de veritate rei enuntiandæ aliisque proponendæ. Sicut auctor profanus, scientia et veracitate instructus, judicia in libro conscribenda concipit ut vera, ita a fortiori hagiographus quæ ex suggestione Dei mentaliter concipit scripto consignanda, percipit ut vera. Ea autem vera esse et quidem infallibiliter vera, ex eo consequitur, quod sint judicia ipsius Dei supernaturali modo in mente hagiographi producta et tanquam verbum Dei hominibus proposita.

2/ Apparet liquidò quomodo (addita motione divina in voluntatem, de qua statim) *Deus sit auctor principalis Scripturæ.* Per illum instinctum seu prædeterminationem intellectus a Deo principaliter procedunt omnia judicia quorum series ipsum librum constituit. Scriptor autem humanus est auctor secundarius et causa instrumentalis eadem judicia sub motione et determinatione divina concipiens.

---

(1) Cf. Billot, *o. c.*, p. 44, coll. p. 52.

(2) Ita Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 143; Van Noort, *o. c.*, p. 49; Pesch, *o. c.*, p. 426 s.

3/ Pariter intelligitur quomodo scriptum ita ex descripta inspiratione procedens, impressum habeat individuum characterem uniuscujusque scriptoris, quantum ad modum res concipiendi, easque proprio stylo ac forma litteraria vestiendi. Etenim instrumentum actionem instrumentalem perficit, exercendo actionem propriam (1), atque Deus prædeterminando intellectum hagiographi ad scribendum idealiter id quod scribi vult, activitatem propriam calami vivi sibi optime notam inflectit ac determinat in conceptione et constructione judiciorum, sed non tollit neque supplet eam (2).

II. **Influxus in voluntatem hagiographi.** Ut Deus sit auctor principalis S. Scripturæ, requiritur insuper ut ab Ipso principaliter procedat efficax voluntas hagiographi ea, quæ mente concepit, scripto consignandi. Inspiratio charismatica igitur importat *motionem physicam et efficacem, etsi non necessitantem, in voluntatem hagiographi, quæ motio efficit ut* (3) *hagiographus velit scribere quæcumque ex divina illustratione ut scribenda concepit et eo modo quo quo ea scribenda concepit.*

1/ Requiritur influxus *physicus* immediate in ipsam facultatem volendi receptus. Etenim si Deus nonnisi mediate voluntatem moveret, e. gr. expresso mandato externo vel propositione objecti allicientis, hagiographus ipse, non Deus, causa esset principalis volitionis qua vult scribere (4).

Requiritur ut influxus ille physicus, declinabilis quidem ex interna sua natura, sit simul *infallibiliter efficax,* utpote procedens ab absoluta voluntate Dei, qui potest efficere, ut homines quin necessitentur, infallibiliter tamen et cum absoluta certitudine effectum producant (5).

---

(1) Cf. supra, p. 400 s.

(2) Cf. Billot, *l. c.*

(3) His verbis describitur *objectum* motionis: est executio judiciorum scribendorum (seu practicorum) quæ ex illustratione intellectus seu dictatione mentali formata sunt.

(4) Cf. Van Noort, *o. c.*, p. 50 s.; Pesch, *o. c.*, p. 431 s.

(5) Cf. Pesch, *o. c.*, p. 432: « Quamquam voluntas non est sicut lapis,

Non excluditur tamen influxus moralis internus qui consistit in præcedentibus judiciis scribendis (seu practicis, uti aiunt): nam intellectus faciendo hujusmodi judicia necessario moraliter influit in voluntatem. Pariter influxus moralis externus Dei vel hominum in voluntatem hagiographi nullatenus excluditur. Ita potuit præcedere expressum Dei mandatum (1), petitiones vel interrogationes hominum (2), vel aliæ circumstantiæ externæ ad scribendum impellentes ad scribendum (3). Hic autem externus influxus ad inspirationem non essentialiter pertinet, sed mere accidentaliter se habet (4), atque cum physico Dei influxu rite compossibilis apparet. Imo (5), quum Deus instrumentis suis intellectualibus ac liberis reliquerit actionem vere humanam et individualem (6), naturæ inspirationis omnino congruit, ut quilibet hagiographus seipsum ex motu physico Dei ad scribendum determinaverit secundum proprias suas conditiones internas et externas, alius quidem propria determinatione, alius rogatu aut consilio proximorum.

Nota. 1/ « Voluntas scribendi partim præcedit, partim consequitur conceptionem rerum scribendarum. Primo enim habemus propositum, ut ita dicam, generale hunc librum

---

qui passive tantum indifferens est, sed habet activam indifferentiam, qua teste conscientia potest seipsam determinare sine ulla prævia determinatione externa; seu, quamquam voluntas positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere, taliter agere vel aliter agere, Deus tamen habet tale dominium in voluntatem, ut possit hac ipsa indifferentia activa uti, quomodo vult et ad quemcumque effectum vult, cum absoluta infallibilitate ».

(1) Ità *Apoc.* **1**, 11: « Quod vides, scribe in libro ».

(2) Ita ad I^m ad Cor. scribendam S. Paulus partim saltem permotus est quæstionibus quas fideles Corinthiaci in epistola per legatos missa, ipsi posuerant. Cf. Jacquier, *Histoire des livres du N. T.*, Paris 1903, p. 116 ss.

(3) Et sic in Introductione speciali ad scripta Canonica singula, inquiritur de *scopo* seu *fine* auctoris.

(4) Ut observat Pesch, *o. c.*, p. 433.

(5) Quod rite notat Van Noort, *o. c.*, p. 51.

(6) Cf. supra, p. 400 s.

condendi; ex hoc proposito res consignandas mente concipimus et ordinamus, dehinc singula prout concepta sunt scribere decernimus. Porro in hagiographis non solum posterior actus voluntatis, qui reapse non unus sed multiplex est, sed etiam decretum prævium, ultimum scil. et definitivum, ex quo cunctæ conceptiones et volitiones procedunt, divino impulsui tribuendum est » (1).

2/ Præter illustrationem intellectus et motionem voluntatis, requiritur præterea *influxus in externam seu materialem operis scriptionem aut dictationem cum scriptione per amanuensem,* quæ proxime a facultatibus executricibus: manu, oculo, ore derivanda est, et quæ nihil aliud est quam executio judicii practici (hæc res hoc modo est scribenda) et voluntatis scribendi. Porro

a/ Ut ipsa materialis conscriptio a Deo tanquam causa principali procedat, *necesse non est ponere influxum directum Dei in facultates executrices, ab illustratione intellectus et motione voluntatis realiter distinctum.* Etenim ex eo quod potentiæ executrices agunt sub directione intellectus elevati et sub motione volúntatis elevatæ, reapse agunt ex motione et sub directione Dei causæ principalis. Quod ex sequenti animadversione confirmatur.

b/ Ut quis reipsa et hominum judicio vere sit auctor libri, *non est necesse ut ipse propria manu et physica sua operatione scriptionem materialem efficiat.* Sufficit enim ut per alium scribat et in scriptionem moraliter tantum influat, i. e. dictando et invigilando ut ea omnia eaque sola rite scribantur, quæ ipse scribi vult. Ità S. Petrus 1am suam epistolam scripsit per Silvanum (2); ep. ad Romanos est vere Pauli, sed eam materialiter scripsit Tertius (3). Ergo Petrus, Paulus aliique hagiographi qui, (juxta mores temporum) non ipsi scripserunt, sed amanuenses adhibuerunt, ostendunt auctores librorum posse esse sensu vero ac perfecto auctores, etsi materialem scriptionem ipsi non immediate et physice efficiant.

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. Van Noort, *o. c.*, p. 51.
(2) Cf. *I Pet.* **5**, 2.
(3) Cf. *Rom.* **16**, 22.

II

Q. *Expone quomodo malum, tum physicum, tum morale, non repugnet* providentiæ *divinæ.*

R. **Prænotandum.** Ex malis hac in terra inspectis moventur multæ necnon diversæ contra Dei perfectionem difficultates: quæ ut solvantur, considerandum est cui præcise divino attributo contradicere dicuntur mala: utrum sapientiæ, an beneficientiæ, an misericordiæ, an justitiæ, an potentiæ, an providentiæ. Suprà, p. 133 ss., solvimus difficultatem allatam contra benignitatem aut misericordiam; nunc specialiter de *providentia* agemus.

Providentia est ratio perductionis rerum in finem, existens in mente divina (1): actus proprius providentiæ est intellectu decernere quæ sunt agenda ut finis volitus obtineatur.

Malum, quum sit privatio boni, non potest Deus velle *per se;* malum *physicum* potest Deus velle *per accidens*, h. e. quatenus vult bonum quocum malum necessario connectitur; malum *morale,* h. e., peccatum, non potest, ne per accidens quidem, velle Deus, sed illud potest *permittere*, h. e. velle non impedire (2). — Notemus a Deo non posse permitti peccata *ut* eveniant bona et occasio habeatur alicujus boni ex peccato eliciendi, quemadmodum improbus medicus permittit morbum ingravescere, ut ex curatione plus lucretur. Hoc enim esset ipsum peccatum velle ut medium. Proinde bona quæ ex peccato eruuntur, vel cum ipso quacumque ratione connectuntur, non sunt *causa finalis* permissionis peccati. Bona autem quæ cum peccato conjunguntur sunt *conditio sine qua non* permitteretur peccatum (3).

Mala autem physica potest Deus velle per accidens,

---

(1) Cf. suprà, p. 404.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 464 ss.
(3) Cf. *Collat. Tornac.*, t. XV, 1908, p. 57 s.

sed ut medium ad bonum: v. gr. potest Deus velle hominem morbo affici *ut* exerceat patientiam, vel igni inferni cruciari ut restituatur ordo læsus per peccatum. Hisce dictis de ipsa *voluntate* Dei circa mala, inquirendum est de providentia, stricte dicta.

I. Providentiæ divinæ non repugnat decernere fieri mala physica et eo modo ordinare res quo accidant *necessario* mala physica. — Nam Deus est provisor universalis et ideo convenit ut mala physica in individuis permittat vel per accidens velit ne impediatur bonum totius universi : corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem (1) ; sed non sunt contra naturam universalem : nam defectus unius cedere potest in bonum alterius et etiam totius universi : ideo Deus, quum sit universalis provisor ita res sapienter ordinat, talesque naturas et leges condit ut de facto accidant mala (2) : inde pulchritudini universi providet Deus tali modo ordinans corpora ut v. gr. ex aquis per solem efformentur nubes quibus venit pluvia, licet etiam ex hoc sequantur tonitrua quibus quandoque occidantur plantæ, bruta et homines ; iterum pulchritudini et ordini universi confert ut plantæ natura sua aptæ sint ad brutorum et hominum vitam sustentandam et sanitatem reddendam :

---

(1) S. Thomas, I, Q. XXII, a. 2, ad 2 dicit quod aliter est judicandum de eo qui habet curam alicujus particularis et aliter de provisore universali : quia provisor *particularis* excludit defectum ab eo quod ejus curæ subditur, *quantum potest ;* non ita *universalis* provisor. Et hoc etiam verificatur, proportione servata, de hominibus inter quos habetur hierarchia. Quod exemplo illustrat P. Pègues : « Ainsi un prieur, dans un couvent, qui n'a qu'à s'occuper du bien de son couvent, fera tout son possible pour obtenir le personnel nécessaire à ce que son couvent fonctionne sans la moindre irrégularité. Mais s'il s'agit du Provincial, qui n'a pas à procurer que le bien de tel couvent, mais celui de la province, il pourra très bien laisser en souffrance tel point particulier en tel ou tel couvent, si le bien général de la province le demande ». *Commentaire français littéral de la Somme théologique,* Toulouse, 1907, t. II, p. 327.

(2) S. Thomas, *l. c.*

ex quo sequitur quod plantæ occidantur; pariter dic de brutis ipsis respectu hominum; etiam ad pulchritudinem universi confert ut homines, ratione utentes, bruta adhibeant et ubi, necesse sit, mala illis inferant, ad varias exercendas artes, necnon scientiam acquirendam. — Quando sermo est de malis, homines ante omnia cogitant de *dolore* sensibili: dolor sensibilis, stricto sensu, est perceptio alicujus læsionis corporeæ, quæ perceptio pertinet ad sensum tactus (1). Dolor, proprie loquendo, non est malum, sed ad malum consequitur. Porro dolor ipse est occasio multorum bonorum: « de periculis monet et ad ea removenda impellit. Animalium activitatem excitat, ingenium hominis stimulat, quod sæpius in otio languesceret. Dum rectus facultatum usus delectationem affert, rectissime dolor est legis violatæ naturalis sequela. Dolores sunt medium excellens quo possumus pro peccatis satisfacere. — Multis ac optimis virtutibus dant locum, patientiæ, fortitudini, misericordiæ. Virtutes nostras perficiunt dum nos supra materialia ad spiritualia elevant. Mala physica maxime prosunt homini ut intelligat solum Deum esse bonum absolute perfectum, neque quærendam esse veram beatitudinem in bonis hujus mundi » (2). Quod diximus de dolore sensibili, etiam dicendum est de tristitia tum sensibili, tum spirituali.

Igitur mala physica, quatenus ex bono, physica necessitate, consequuntur, conferunt *per accidens* ad pulchritudinem universi: ideoque a Deo, quatenus est universalis provisor, hæc mala ordinantur ad finem ultimum.

II. Providentiæ non repugnat permittere mala moralia, h. e. peccata.

---

(1) Cf. S. Thomas, in III, Dist. XV, Q. II, a. 3, q. 2, ubi clarissime exponit differentias inter *dolorem* sensibilem, stricte dictum, et *tristitiam*.

(2) *Collat. Tornac.*, t. XV (1908), p. 17. Cf. *Revue pratique d'apologétique*, t. VII, p. 845 ss.

Nam homo et angelus naturaliter fruuntur libertate, quæ est perfectio; sed quia sunt entia finita, naturaliter etiam possunt peccare: ipsa inordinatio, quæ est formale peccati (1), soli creaturæ tribuenda est, non autem Deo, qui hoc tantum permittit. Adest tamen conditio sine qua permittere non posset Deus peccatum: nempe aliquod bonum quod per accidens consequitur ex peccato: v. gr. ex injustitia Judæorum secuta est redemptio generis humani per mortem Christi; ex persecutionibus fortitudo mirabilis martyrum; quandoque ex malitia hominum excitantur alii ad pœnitentiam exercendam et satisfactionem; ex propriis peccatis homo quandoque magnam humilitatem exercet et movetur ad alias virtutes; ex peccatis consequitur in Deo exercitium misericordiæ et etiam justitiæ erga damnatos. Jamvero omnes hæ sunt actiones bonæ, quæ occasione peccatorum fiunt et etiam ad pulchritudinem universi conferunt. Igitur peccata, quæ mere permittuntur a Deo, tamen ab ipso, posito quod sint, ordinantur ad finem ultimum, quatenus *per accidens* ad pulchritudinem universi concurrunt (2).

Conclusio. Licet Deus velit per accidens mala physica, licet permittat mala moralia, tamen ex suo amore beneficentiaque oriuntur omnia bona quæ sunt et *providentia* ipsa omnia tum bona, tum mala ordinat ad finale Universi bonum quod permagnum erit et dignum infinitæ Dei perfectionis.

Nota. Quandoque specialis movetur difficultas de malis, et nominatim de cruciatibus, quibus afficiuntur bruta animalia et infantes nondum adepti rationis usum: illis enim mala nequeunt esse utilia ad exercitium virtutis. Sed illa mala, cruciatusque sunt sequelæ virium naturalium agentium secundum leges statutas: illæ

---

(1) Cf. Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ, 1894, p. 39. Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 334 ss.

(2) Cf. Janssens, *De Deo Uno*, Romæ, 1899, p. 276 ss., 379 ss.

leges bonæ sunt et bonum est non impedire cursum naturæ. Præterea illa mala sæpe sunt aliis hominibus occasio acquirendæ cognitionis et exercendæ virtutis.

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Indica in genere quænam sint peccata gravia* ex toto genere.

R. Recole peccatum dici *grave ex toto genere,* cujus materia *non potest non esse gravis,* ita ut parvitatem materiæ non admittat. Unde abstrahendo a conscientia erronea, semiplena advertentia aut imperfecto consensu est semper peccatum mortale, seu non potest esse leve nisi ex imperfectione actus (1).

Jam ad quæstionem positam respondemus cum BILLUART (2): « Non datur levitas materiæ excusans a mortali in peccatis, in quibus, non obstante levitate apparente materiæ, *reperitur integra irreverentia divinæ Majestatis, et gravis læsio charitatis Dei et proximi;* quia gravitas peccati desumitur ex gravitate irreverentiæ divinæ Majestatis, aut læsionis charitatis. Ergo ubi reperitur gravis sive irreverentia sive læsio charitatis in parva sicut in magna quantitate materiæ (3), remanet gravitas peccati. In iis autem peccatis, in quibus ex diminutione materiæ minuitur gravitas irreverentiæ in Deum, aut læsionis charitatis, datur levitas materiæ excusans a mortali, quia potest ita minui et decrescere materia, ut non sufficiat nisi ad levem irreverentiam seu levem læsionem charitatis ».

Porro in theologia morali speciali, ubi de singulis

---

(1) Cf. *supra* hoc t. XIV, p. 350 ss.

(2) *Tractatus de peccatis,* Diss. VIII, art. 3.

(3) Unde inepte datur tamquam exemplum peccati gravis ex toto genere *magnum furtum,* cum in furto gravitas peccati desumatur ex quantitate materiæ.

virtutibus vel peccatis agitur, determinatur *in specie* quænam peccata sint gravia ex toto genere seu non admittant parvitatem materiæ. Attamen uberioris explicationis gratia, possunt indicari *nonnullæ applicationes* regulæ generalis supra propositæ:

1. Non datur parvitas materiæ in peccatis quæ committuntur *directe contra Deum* seu aliquam Dei perfectionem, « ut sunt omnia peccata *contra virtutes theologicas*, quia etsi in re levissima fidem Deo deneges, vel de eo desperes, vel eum odio aut contemptui habeas, aut formaliter blasphemes, graviter ejus veritatem, potentiam, bonitatem, majestatem offendis » (1); item peccata *contra virtutem religionis*, quando immediate tendunt in contumeliam Dei, ut sunt idololatria, simonia juris divini, perjurium seu juramentum assertorium falsum, divinatio etc., non autem quando fiunt directe contra cultum debitum Deo, ut in violatione voti, juramenti promissorii, in sacrilegio, in oratione etc.

Unde regula generali dici potest non dari parvitatem materiæ in peccatis *contra præcepta primæ tabulæ* (id est: tria priora), nisi in illis quæ contrariantur præcepto religionis, ut dictum est.

2. Datur *generatim* parvitas materiæ in peccatis admissis *contra præcepta secundæ tabulæ* (id est: quæ attingunt proximum et nosmetipsos) *et præcepta ecclesiastica*, « quia in his quo minor est materia, eo minor est injuria sibi aut proximo facta » (2).

Excipe peccata quæ sunt *circa rem absolute gravem*, vel quia important *gravissimum præjudicium convictus humani*, ut homicidium, delectatio venerea directe voluntaria extra matrimonium, fractio saltem directa sigilli sacramentalis; vel quia *in omni casu notabiliter repugnant fini gravi legis*, ut est violatio jejunii naturalis (3);

---

(1) Billuart, *l. cit.*

(2) Billuart, *l. cit.*

(3) Per minimam materiam tollitur significatio jejunii naturalis, Christum scilicet esse primum cibum.

vel denique quia *materia est gravis et indivisibilis,* ut sunt omissio Communionis Paschalis, omissio mixtionis aquæ cum vino in Missa (1).

H. MAHIEU.

IV

Q. *Quonam sensu fides theologica dicitur* lumen?

R. Fides theologica merito dicitur *lumen*, quatenus, sicut lumen in ordine materiali facit apparere objecta materialia sensui visus, ita fides vario modo confert ut veritas appareat intellectui.

Hoc præstat fides si spectatur

I. **ex parte objecti crediti.**

Etsi enim fides divina non faciat apparere veritates secundum rationem sui intrinsecam, seu non manifestet intellectui *quales* sint, multas tamen facit apparere extrinsece, seu manifestat *quod* sint.

Revera

a/ fide cognoscuntur et creduntur multæ veritates quæ, seclusa revelatione, *vel* nunquam cognoscerentur, — utpote quæ natura sua excedunt captum rationis humanæ (mysteria), — *vel* spectata communi ignorantia hominum, nonnisi a paucis et post diuturnum tempus, et variis admixtæ erroribus cognosci possent.

b/ ex iisdem veritatibus revelatis, in se inspectis et ad invicem collatis, potest mens humana ulterius varias propositiones ut falsas agnoscere et a se rejicere, alias autem ut veras agnoscere et jam applicare etiam scientiis mere naturalibus, in specie philosophicis. Cujus luminis utilitas apparet instituta comparatione philosophiæ christianæ cum lucubrationibus tum antiquorum

---

(1) Cf. BILLUART, *l. cit.; Theol. Mechlin., Tract. de peccatis,* n. 135. Ut nobis videtur, non debet hic afferri tamquam exemplum essentialis mutatio formæ aut materiæ sacramentorum *(Theol. Mechlin., l. cit.);* nam dicendo: *essentialis,* jam indicatur possibilem esse parvitatem materiæ.

tum recentiorum qui revelationem aut ignorarunt aut neglexerunt (1). Cfr. Encycl. Leonis XIII, *Æterni Patris*.

II. **ex parte subjecti credentis.**

Prout enim in toto suo ambitu spectatur, fides divina complectitur varia elementa quibus jure merito lumen dicitur. — Revera:

a/ sic complectitur varia *auxilia præparatoria* ad fidem, quibus Deus mentem humanam illuminat: gratiam np. tum externam (puta revelationem, prædicationem, miracula), tum internam (varios np. actus indeliberatos, entitative supernaturales, quos Deus in intellectu humano excitat, ipsi injiciens suspicionem de religione revelata, efficaciorem et intimiorem perspectionem motivorum credibilitatis, honestatis et obligationis credendi, etc.); imo posset Deus aliquem ad fidem perducere quin utatur via ordinaria externæ prædicationis, np. interne et immediate ipsi manifestando ea quæ ipsi ad credendum requiruntur: auctoritatem suam divinam et factum revelationis (2).

His adjutus potest homo judicia credibilitatis et credenditatis eaque certa sibi efformare, quæ voluntati tanquam lumen præluceant, ita ut ipsa rationabiliter valeat imperare assensum fidei.

b/ Ipsum hunc *assensum formalem fidei* (sicut et judicium illud utrumque prævium et ipsum imperium voluntatis), supernaturali sua gratia Deus adjuvat (3). Jamvero sicut intellectus quo veritates ordinis naturalis cognoscimus, *lumen naturale* dicitur, ita idem intellectus, gratia transeunte vel habitu fidei permanente elevatus, quo veritates revelatas amplectimur, *lumen supernaturale* merito vocatur. Imo longe majori titulo: dum enim intellectus naturalis potest a via veritatis

(1) Van Noort, *De fontibus*... n. 336.
(2) Cfr. dicta supra, pp. 355 s.
(3) Qua ratione, vide supra pp. 354 s.

aberrare et errorem amplecti, repugnat intellectum gratia vel virtute fidei elevatum credere aliud quam quod verum et a Deo revelatum est.

c/ Iis tandem *qui fidem jam habent,* Deus gratia sua actuali fideliter adstat, varias ipsis concedendo illustrationes intellectus, quibus legitimitatem, honestatem, præstantiam fidei suæ agnoscant magisque veritates fidei penetrent. Imo ad hoc ultimum datur in homine justo donum Spiritus Sancti permanens, quod *donum intellectus* vocatur. Cfr. 2-2, q. 8, a 1 ss.

Quam *pretiosum* hoc lumen fidei quo olim ipsum Lumen increatum, Verbum scil. Dei, veniens in hunc mundum, commune genus humanum illuminavit; quam pretiosa lumina quibus singulum etiam hominem, non ponentem obicem actioni suæ divinæ, docet et ducit in via fidei. Sic enim Deus manifestavit et manifestat quotidie homini metam splendidissimam quam vitæ humanæ præstituit; et simul, in ordine theoretico et practico indicat et illustrat, tanquam stella rectrix, viam et media quibus homo ad lumen indeficiens visionis intuitivæ et beatificæ deveniat.

V

Q. *Quonam sensu fides theologica dicitur* obscura?

R. Nihilominus, etiam adjuti lumine fidei, videmus per speculum in ænigmate, et ex parte tantum cognoscimus (1); manet enim et est essentialiter fides argumentum non apparentium (2); lucerna quidem lucens in caliginoso loco, sed ordinem dicens ad plenam diem elucescentem visionis patriæ (3).

Revera fides *obscura* est:

I. ratione **objecti seu motivi sui formalis.** Non enim

(1) 1 Cor. XIII, 12.
(2) Hebr., XI, 1
(3) II Petr., I, 19.

admittimus veritates creditas, propter internam rei evidentiam, sed propter auctoritatem Dei revelantis; hæc autem manifestat quidem *quod* res ita sit, non autem *qualis* sit.

II. ratione **objecti sui materialis.** Objectum enim fidei, tum primarium (Deus in quantum finis noster supernaturalis), tum, magna ex parte etiam secundarium, mysteriis stricte dictis constat, proindeque non valemus ullo modo in hac terra internam ejus veritatem perspicere.

Quæ duæ rationes certæ sunt et ab omnibus admittuntur. — Ast *inquirunt ulterius* annon, ad servandam libertatem fidei, requiratur adhuc major obscuritas. Nimirum duas ponunt has quæstiones:

1. utrum possibile sit *libere credere* ea quorum haberes perfectam (1) **evidentiam in attestante,** ita np. ut perfecte perspecta haberes tum auctoritatem Dei revelantis, tum factum revelationis.

2. utrum possibile sit *credere* ea quorum, eodem moraliter tempore, habes perfectam (2) **evidentiam intrinsecam.**

Prior quæstio suscitata fuit a Lugone et ab eo in sensum negativum soluta. — Immerito tamen. Data enim perfecta evidentia auctoritatis divinæ et facti revelationis, jam non possum quidem in dubium revocare vel negare veritatem a Deo revelatam, sed semper libere possum tum mentem avertere a veritate consideranda, tum nolle eam admittere formaliter propter auctoritatem Dei, et sic eam non credere fide stricte dicta et meritoria.

De facto etsi quidam de quibusdam veritatibus evidentiam hanc perfectam habuerint, puta B. M. V.,

---

(1) Intellige: quæ ne *imprudenti* quidem dubio relinquat possibilitatem. Quoties enim relinquitur possibilitas dubii imprudentis, jam datur locus et possibilitas assensui formalis fidei.

(2) Vide *notam* præcedentem.

Apostoli, aliive; communi tamen generi hominum multus relinquitur locus dubio imprudenti, signanter circa factum revelationis (1).

Posterior quæstio in varias partes solvitur ab AA.; arguunt singuli pro sententia propria, iisdem ex fontibus: S. Scriptura, Patribus, experientia et ratione; mutuas item sæpe sibi concessiones faciunt, et non raro verbis potius quam re ab invicem discrepant. *Censemus absolute* loquendo, solam *visionem* Dei fidem evacuare, adeoque evidentiam intrinsecam, etiam perfectam, non reddere impossibilem actum fidei theologicæ, utpote qui fundatur in motivo sibi proprio, a motivo cujusvis alius actus, scientiæ vel intelligentiæ, distincto (2). Dicimus: absolute loquendo; non enim negamus, *psychologice* (inspecta np. natura intellectus humani quærentis semper *visionem* rerum et in hac quiescentis), incongruum saltem reperiri in eo quod mens humana, clare intuens veritatem intrinsece adeoque in ea perfecte quiescens, adhibeat media quibus tantum obscure eamdem veritatem assequeretur.

De facto, iterum etsi quidam homines relate ad unam alteramve veritatem, puta existentiam Dei, intrinsecam et perfectam evidentiam habere possint, communi tamen hominum generi relinquitur sufficiens possibilitas dubii imprudentis circa veritatem intrinsecam: revera ut diximus supra, objectum materiale fidei, tum primarium, tum magna ex parte secundarium mysteriis stricte dictis constat, adeoque mentem cujusvis absolute exsuperat; cætera vero, etsi per se rationi humanæ impervia non sunt, de facto tamen plerisque ita sunt obscura, ut,

---

(1) Hinc Pascal: « Il y a [communiter loquendo] assez de lumière pour ceux, qui ne désirent que de voir, et assez d'obscurité pour ceux, qui ont une disposition contraire ». — *Pensées... de B. Pascal,* Ed. P. Taugère, Paris 1844, II, p. 151.

(2) Hanc qu. vide tractatam apud AA., ubi de obscuritate vel de libertate fidei. — Cfr. Ill. Waffelaert, *Meditationes theol.*, apud *Collat. Brug.*, t. III, pp. 7 ss., et *Annot. in tract. de virt. theol.*, nn. 83 ss.

seclusa revelatione, nonnisi difficulter et variis admixta erroribus cognosci valerent.

A. VANDER HEEREN.

VI

Q. *Répondez à l'objection suivante du libéralisme absolu: aujourd'hui vous nous demandez la liberté de conscience au nom de nos principes, si vous étiez au pouvoir vous nous la refuseriez au nom des vôtres* (1).

R. Cette phrase, que les adversaires de l'Église attribuent injustement aux catholiques (2), contient une double proposition dont la première est fausse et dont la seconde est sujette à des distinctions fondamentales.

I. Il est faux que les catholiques exigent la liberté de conscience et de culte au nom des principes du libéralisme absolu. En appeler à l'indépendance complète de la raison humaine, à l'indifférentisme et au laïcisme de l'État, serait tomber dans des erreurs condamnées par l'Église. Sans aucun doute, pour revendiquer le droit de professer leur culte et de s'organiser en société religieuse conformément à leurs dogmes et à leurs lois, les catholiques se prévalent à juste titre des prérogatives divines de l'Église d'être la seule religion révélée, véritable et nécessaire. Mais, sachant que cette preuve est sans portée vis-à-vis des gouvernements et des individus qui n'ont pas la foi, force leur est de recourir à

---

(1) Voir: LABIS, *Le libéralisme, la franc-maçonnerie et l'Église catholique*, p. 295 ss., Bruxelles, 1869; VAN DEN BERGHE, *L'Église et l'État*, p. 114 ss., Bruges, 1895; G. SORTAIS, *La crise du libéralisme et la liberté d'enseignement*, p. 76 ss., 191 ss., Paris, 1904; B. GAUDEAU, *L'Église et l'État laïque*, p. 60 ss., 123 ss., Paris, 1905; PLANEIX, *L'Église et l'État*, p. 271 ss., Paris, 1906.

(2) Malgré des démentis formels, les libre-penseurs persistent de mauvaise foi à attribuer à Louis Veuillot cette parole: « Je vous demande la liberté au nom de vos principes; mais je vous la refuse au nom des miens ». V. SORTAIS, *o. c.*, p. 76 et 194.

un argument, qui, en réservant les droits imprescriptibles de la société fondée par le Christ, peut être admis et compris par leurs adversaires incroyants. Si, dans nos sociétés divisées au point de vue des croyances, nous demandons la liberté, ce n'est pas en invoquant un point de doctrine révélée, c'est au nom du *droit naturel*. Celui-ci constitue la base commune des relations essentielles qui rattachent l'homme et la société à Dieu leur auteur, comme de celles qui unissent le citoyen à la société dont il est membre ; il est en plus un terrain d'entente, où peuvent se rencontrer avec les catholiques tous ceux qui ne sont pas sectaires, destructeurs acharnés de tout ordre moral et religieux. Or, les principes de la saine raison et du droit social établissent que l'État a le devoir de reconnaître et de professer les vérités fondamentales de la religion naturelle ; qu'il doit respecter le droit du citoyen à la pratique privée et publique de sa religion ; qu'il a, en toute hypothèse, l'obligation de traiter les diverses confessions qui précisent et déterminent la religion naturelle, en raison de leur valeur sociale respective. Conséquemment, le Catholicisme est pleinement fondé pour exiger la liberté dans l'exercice de son culte et la prédication de sa doctrine, au nom du droit naturel et eu égard à l'utilité incontestable qu'il procure à la société civile, en travaillant à son maintien et à sa prospérité (1).

II. Mais est-il vrai que les Catholiques, devenus les maîtres, invoqueraient leur principe d'intolérance pour refuser aux dissidents la liberté du culte ? Des considérations de diverse nature ramèneront cette proposition à sa juste portée.

1° Les faits tout d'abord contredisent cette affirmation et prouvent péremptoirement que les oppresseurs ne furent point du coté de l'Église (2). L'histoire du

(1) Ces arguments sont solidement développés par M. GAUDEAU, *o. c.*, p. 59 ss., 86 ss., 124. Voir aussi VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 118 s.

(2) Voir PLANEIX, *o. c.*, p. 275 ss.

Catholicisme au siècle dernier et de nos jours, en Prusse, en Italie, en France, en Russie, en Belgique, établit avec évidence que la contrainte, le vol et les représailles furent les armes préférées des hétérodoxes et des sectaires et que les catholiques usèrent vis-à-vis de leurs adversaires d'une modération, dont eux-mêmes furent étonnés. Et, pour n'en donner qu'un seul exemple, la législation scolaire en Belgique n'étend-elle pas la pratique de la tolérance, jusqu'à léser les droits des confessions religieuses?

2° Si les catholiques ne peuvent sans faillir à leur foi abandonner le principe de l'intolérance dogmatique et s'ils doivent reconnaître en thèse que l'Église, en sa qualité de seule dépositaire de la vraie religion, a droit à la protection exclusive des pouvoirs publics; ils admettent en hypothèse (1), dans l'état actuel de nos sociétés la légitimité, voire même la nécessité d'une tolérance politique largement conçue. Ils veulent, sans arrière-pensée, la liberté pour tous, contenue toutefois dans les limites du droit naturel, pour qu'elle ne dégénère point en licence et en désordre. S'appuyant sur les règles de la prudence chrétienne, fidèles à l'enseignement des docteurs et des Pontifes de l'Église (2), ils réclament, en considération des faits et de l'état de l'opinion publique, la liberté de conscience pour eux et pour leurs adversaires, n'exceptant que certaines libertés, ou plutôt licences, destructrices de tout ordre moral, social et religieux (3).

3° Si, dans un avenir que nous devons appeler de nos vœux et de nos prières, mais qui n'en paraît pas moins comme fort éloigné, l'universalité d'une nation reconnaissait la loi du Christ et de l'Église, l'union des

---

(1) V. *Collat. Brug.*, 1909, t. XIV, p. 359-362.

(2) Voir sur l'action féconde de Léon XIII réconciliant les sociétés modernes avec la Papauté Et. Lamy. *La politique du dernier Pontificat*, dans le *Correspondant*, 1903, t. 212, p. 805 s.

(3) Labis, *o. c.*, p. 295 ss.; Sortais, *o. c.*, p. 76 s., 170, 212.

deux pouvoirs civil et religieux s'établirait aussi normalement, qu'actuellement leur séparation est nécessaire. Mais il importe dans cette hypothèse, de ne point perdre de vue que la conduite de l'Église et de l'État quant à la tolérance ne serait pas la même à l'égard des hérétiques, qu'à l'égard des infidèles (1), et que la répression de l'hérésie ne porterait que sur la profession formelle et extérieure de doctrines condamnées par l'Église et sur les attentats contre la religion. La société religieuse comme la société civile a le droit de se défendre et d'être appuyée dans l'exercice de ce droit par les pouvoirs publics, vu surtout que, dans l'hypothèse dont il s'agit, l'unité de religion constituerait la plus sûre garantie de la conservation et de la prospérité sociale.

A. De Meester.

(1) *Collat. Brug., l. c.*, p. 209 ss.

De Natura Inspirationis.

Quod neque revelatio stricte dicta neque acceptio notitiæ rerum scribendarum sit de formali conceptu inspirationis.

I. Gratia charismatica inspirationis quandoque vocatur *revelatio*. Verùm, ne confusioni inspirationem inter et revelationem ansa præbeatur, neve formalis ratio inspirationis charismaticæ male intelligatur, rite distinguenda est revelatio late dicta (ad quam inspiratio revocari potest) et revelatio stricte dicta. Hæc ultima revelatio divina supernaturalis semper causat cognitionem rei (1) homini naturaliter incognitæ, quatenus Deus supernaturali modo intellectui humano novas species imprimit, simul lumen infundens ad his speciebus recte utendum seu ad formanda recta judicia (2). Revelatio autem late dicta ea est qua Deus solummodo lumen communicat ad speciebus jam præhabitis recte utendum, seu recta formanda judicia, uti e. g. in Scripturæ inspiratione. Utroque modo revelatio divina fit publica, quando Deus doctrinam, alterutro modo auctoritate divina munitam, hominibus proponit et obligationem fidei divinæ imponit. Et ità, quamvis inspiratio, ut existit in mente hagiographi, de se non sit revelatio stricte dicta, omnia tamen inspirata (supposita revelatione inspirationis S. Scripturæ, de qua cf. supra p. 341 ss.) sunt revelata i. e. supernaturalis locutio Dei ad homines seu verbum Dei.

Hoc prænotato, cum unanimi theologorum senten-

(1) Sive rei naturalis, sive supernaturalis.

(2) Cf. Pesch, *De Inspirationè S. Scripturæ,* Friburgi B. 1905, p. 414. Hujus clar. auctoris doctrinæ in præsenti materia, penitus adstipulamur. Cf. etiam Ills ac Revs Waffelaert, *Collat. Brug.*, t. II, p. 298 ss.

tia (1) asserimus *revelationem stricte dictam non esse de formali conceptu, seu de essentia inspirationis secundum se consideratæ.*

Per accidens revelatio stricte dicta *ante inspirationem* prærequirebatur, ubi scribendæ erant veritates hagiographo naturaliter imperviæ (2). Pariter (3) si Deus voluit ut ea scriberet hagiographus, quorum hic tempore scriptionis actualem memoriam non habebat, debuit ei res in memoriam revocare ; debuit species sopitas resuscitare et quandoque, ut error præcaveretur, recte ordinare, clariores reddere, imo forsan novas species infundere. Sed hoc luminis intellectualis adjutorium inspirationem ipsam aut tempore simul et naturà, aut saltem prioritate naturæ seu rationis præcessit.

Aliunde tamen certum est hagiographos non omnium rerum, de quibus scripserunt, notitiam accepisse supernaturalem. Sæpe enim ipsi implicite vel expresse attestantur alium informationis modum, communem et ordinarium, sive intimam conscientiam (ubi proprios affectus vel cogitationes pandunt), sive memoriam (ubi narrant eventus quibus interfuerunt), sive testificationem oralem vel scriptam aliorum. Ita S. Lucas in proœmio Ev. 1, 1-4 methodum suam aperit, testaturque se omnia a principio diligenter assecutum esse ab iis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt Sermonis. Cf. *II Reg.* 1, 19; *III Reg.* 14, 19, 29; *I Par.* 27, 24; 24, 29; *II Par.* 19, 29 etc.

Hoc præstituto, sic ratiocinamur: Juxta doctrinam Ecclesiæ integra Scriptura est inspirata et quidem

---

(1) Testimonia videsis apud Pesch, *o. c.*, p. 413. Ipsis addatur testimonium S. Thomæ 2ª 2ᵃᵉ, q. 174, a. 2, ad 3. Cf. etiam J. Brucker, *l'Église et la critique biblique*, Paris 1908, p. 43 s.

(2) Quamquam hagiographus non necessario ipse hanc revelationem accipiebat: poterat enim scribere impervia aliis jam revelata, uti e. g. evangelistæ Marcus et Lucas. Observat Pesch, *o. c.*, p. 415: « Num umquam quis inter ipsum actum scribendi revelationes acceperit, incertum est ».

(3) Ut notat Pesch, *o. c.*, p. 425 s.

ubique æqualiter et eodem modo; quippe inspiratio unius rationis est, et non dividitur sicut genus in species subalternas. « Unde (1) libri prophetici non sunt magis inspirati quam libri historici; non minus inspirati quam libri historici; non minus inspiratæ partes quæ tractant de rebus humanæ rationi per se non imperviis, quam partes ubi proponuntur mysteria illa in Deo abscondita, quæ nisi revelata divinitus, innotescere omnino non poterant ». Jamvero si supernaturalis acceptio seu revelatio stricte dicta essentiam inspirationis ingrederetur, inspiratæ (saltem eodem modo seu gradu) non essent illæ partes ubi hagiographi ea, quæ per media noverant naturalia, conscripserunt. — Quod assertum ex statim dicendis sub II egregie confirmatur.

Juvat paucis notare *differentias quæ vigent revelationem stricte dictam inter et inspirationem.*

a/ In vera revelatione divina lumen supernaturale cognoscitur *ut divinum* ab eo cui revelatio fit. Etenim cum actio Dei revelantis tendat ad hoc ut mentem suam creaturæ significet, oportet ut Deus veritatem audienti seu percipienti communicet vere *ut verbum suum,* testando seu auctoritate sua muniendo dictum suum; adeoque debet propheta percipiens revelationem, veritatem divinitus percipere ut verbum Dei, clare cognoscens Deum loqui (2). « De his ergo, ait S. THOMAS (3), quæ expresse per spiritum prophetiæ cognoscit, maximam certitudinem habet, et pro certo habet, quod hæc sunt divinitus sibi revelata ».

Inspiratio contrà, licet verum suppeditet cognitionis modum divinitus causatum, lumen illud divinum *formaliter ut divinum* per se non manifestat, ita ut hagiographus non necessariò vi inspirationis se verbum Dei

---

(1) Ut ait BILLOT, *De inspiratione S. Scripturæ,* Romæ, 1906, p. 50; cf. PESCH, *o. c.,* p. 418.

(2) Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Collat. Brug.,* t. II, p. 306.

(3) *Sum. Theol.,* 2^a 2^ae, q. 171, a. 5.

scribere reflexe percipiat. Cæterum, illa apprehensio scribendorum *ut sunt formaliter verbum Dei*, non videtur necessaria ad hoc ut Deus sit vere auctor S. Scripturæ. Præterea, in illa sententia scriptor sacer necessariò inspirationis conscius esse deberet. Jamvero, certum videtur naturam influxus inspiratorii hujusmodi notitiam per se non involvere. Quum enim ipse influxus divinus secundum se sensum et intellectum superet, et hagiographus, sub motione supernaturali Dei, actionem vere humanam habuerit, inspirationem nonnisi stricte dicta revelatione cognoscere potuit. Conscius vel inconscius esse potuit integri influxus supernaturalis Dei, sicut in influxu gratiæ gratum facientis contingit (1). Utrum hagiographi de facto conscii fuerint, disputatur.

b/ Est et alia differentia. Quamvis tùm prophetia stricta dicta, tùm charismatica inspiratio præstet cognitionem divinam supernaturalem, et importet judicium, *prophetia sola acceptionem cognitorum suppeditat.* « Inspiratio cum judicio, sed sine acceptione, ait Card. ZIGLIARIA (2) est proprie et vere inspiratio divina, sed est quid imperfectum in genere revelationis ». Inspiratio, ut jam monuimus et statim ostendemus, acceptionem, sive naturalem sive (ubi necesse sit) supernaturalem *præsupponit.* Quam alteram distinctionem pariter docet S. THOMAS (3): « Si vero lumen intellectuale alicui divinitus infunditur, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad judicandum secundum certitudinem veritatis divinæ ea, quæ humana ratione cognosci possunt, sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quæ est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem: cujus-

---

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, T. VIII, p. 142; BILLOT, *o. c.*, p. 59 s.

(2) *Propædeutica*, p. 147.

(3) *Sum. Theol.*, 2^a 2^æ, q. CLXXIV, a. 2, ad 3^m.

modi prophetiam habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine Prophetarum; qui etiam ex hoc specialiter dicuntur Prophetæ, quia prophetico officio fungebantur; unde ex persona Domini loquebantur, docentes ad populum: *Hæc dicit Dominus;* quod non faciebant illi, qui hagiographa conscripserunt; quorum plures loquebantur frequentius de his quæ humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adjutorio tamen divini luminis » (1).

II. *Acceptio notitiæ rerum scribendarum non est de formali ratione seu essentia inspirationis, sed est necessaria conditio ad inspirationem prærequisita.*

« Nihil impedit (2) *antecedenter ad influxum supernaturalem Dei*, auctorem humanum... intellectu cognoscere, quavis via, sive propria experientia, sive ex fontibus quibusvis scriptis aut testimonio humano, sive et fide divina ex revelatione jam antea facta, quæ Scripturus est ». Judicia historica vel doctrinalia vel alia quæcumque, quæ in Scriptura leguntur, sive ex objecto supernaturalia sive ex objecto naturalia, in quantum sunt judicia *theoretica* de certis veritatibus, non immediate pertinent ad inspirationem. Ad inspirationem se habent materialiter et præsuppositive: gratia charismatica inspirationis efficit ut intellectus hagiographi *in ultimo judicio practico* (3) percipiat id quod Deus scribi vult, idque percipiat ut scribendum.

Probatur assertum duplici argumento. Prius sequitur ex ipsa natura inspirationis, qualis supra (p. 462 ss.) descripta fuit; alterum desumitur potius ex natura causæ instrumentalis, attento sc. quod hagiographus eatenus fuit causa instrumentalis Dei in Scriptura exaranda, quatenus sub inspiratione revera *scripsit*. Utrumque argumentum dilucide exponit P. Billot (4).

---

(1) Cf. etiam Lagrange, *Rev. bibl.*, 1896, p. 208 ss.
(2) Ait Ill^s ac Rev^s Waffelaert, apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 143.
(3) Cf. Ill^m ac Rev^m Waffelaert, *l. c.*; Pesch, *o. c.*, p. 425.
(4) *In opere pluries laudato*, p. 50.

1° « Ibi incipit inspiratio ubi incipit dictatio (mentalis, supra p. 3 descripta); imo vero inspiratio et dictatio in præsenti sunt secundum rem unum plane atque idem. Atqui informationes de rebus scribendis, materia quidem dictationis esse possunt, ad dictationem vero ipsam pertinere non possunt. Dictatio enim initium et progressum et finem habet cum initio et progressu et fine compositionis libri; ad quam compositionem informationes se habent velut congeries materiarum ad constructionem ædificii. Sicut ergo aliud est adductio lapidum et cæmenti et ligni, aliud vero ipsa constructio: sic etiam aliud est acceptio notitiæ scribendarum rerum, aliud vero instrumentalis motio qua ad componendum et scribendum librum movetur hagiographus.

2° Denique, inspiratus in quantum hujusmodi comparatur ad inspirantem tanquam instrumentum ad causam principalem. Sed in simplici notitiæ acceptione nemo censetur instrumentum (scribens) ejus a quo accipit. Ergo rursus, eadem notitiæ acceptio, etiamsi sit a Deo revelante, adhuc est extra propriam intrinsecamque inspirationis rationem ».

A. Camerlynck.

E S. Congr. De Sacramentis

ROMANA ET ALIARUM.

Dubia circa Decretum de Sponsalibus et Matrimonio.

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis, die 18 mensis Junii anno 1909, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia, nimirum:

I. Num responsum S. Congregationis Concilii diei 28 Martii 1908 ad II: « Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibique « matrimonium contrahentibus », ita sit intelligendum, ut in quovis casu ambo conjuges debeant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariæ.

II. An post extensionem Constitutionis *Provida* ad regnum Hungariæ, Germaniam inter et Hungariam, quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum, reciproca relatio habeatur, ita ut duo conjuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineant etiam in regno Hungariæ, et, viceversa, nati ambo in regno Hungariæ valide contrahant clandestino quoque modo in Germania.

III. Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariæ mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariæ.

Et E^mi^ Patres ad hujusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative.*
Ad II. *Negative.*
Ad III. *Negative.*

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

Adnotationes.

De regula generali matrimonia *mixta* sunt obnoxia Decreto Ne Temere, ac clandestine inita sunt invalida. *Exceptio* autem notissima est facta, die 1 Febr. 1908 (1),

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 298 ss.

in gratiam Imperii Germaniæ, et extensa est ad regnum Hungariæ, ob speciales difficultates ibidem existentes (1), hucusque denegata privilegii extensione ad alias regiones (2).

Porro in præsenti decreto interpretatio proponitur laudati privilegii, in favorem Germaniæ et Hungariæ concessi, et quidem in partem omninò strictiorem ac severiorem. Nimirum non tantùm confirmatur solutio data a S. C. Concilii, die 28 Martii 1908, ad 3m, quatenus exceptio non valeat nisi pro natis in Germania (et respective in Hungaria) ibidem contrahentibus; sed ulterius

1° restringitur privilegii usus ad solum casum quo

---

(1) Cf. *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1908, p. 763 s., ubi refertur prius, per modum dispositionis provisoriæ, concessam fuisse Episcopis Hungariæ facultatem in radice sanandi matrimonia mixta ex capite clandestinitatis irrita.

(2) Ita quod spectat *Imperium Russiacum*, Decretum S. C. C. 8 Julii 1908, cujus tenorum exhibent *Acta Ap. Sed.*, I, p. 505 s.:

Ad S. Congregationem Concilii proposita fuerunt sequentia dubia:

I. Utrum sub art. IX, § 2, decreti *Ne temere*, in exceptione: « *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede statutum sit* », comprehendantur instructio S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anno 1844 pro imperio Russiaco et regno Poloniæ: « Respondendum oretenus, matrimonia mixta, quæ in Russiaco imperio » et in regno Poloniæ inita sint præter formam a Tridentino Concilio » præscriptam, esse prudenter dissimulanda, et, quamvis illicita, pro » validis habenda, nisi tamen aliud obstet dirimens canonicum impedi- » mentum », et extensio declarationis Benedictinæ ad Poloniam in imperio Russiaco, a Pio VI, 2 Martii 1780 facta.

II. Utrum, attenta præfata instructione S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anni 1844, et extensione declarationis Benedictinæ, a Pio VI, anno 1780 facta, matrimonia mixta, post decretum *Ne temere*, incipiendo a Paschate anni 1908, contracta coram ministro acatholica in imperio Russiaco pro validis habenda sint.

Die 8 Julii 1908.

Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, ad supra relata dubia respondendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. Provisum in primo.

Facta postmodum relatione SSmo D. N. Pio PP. X, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbare dignata est.

ambo conjuges sunt nati in Germania, seu respective in Hungaria, omni denegata exemptionis communicatione (1);

2° statuitur exceptionem factam pro Germania esse intelligendam et applicandam *independenter* a derogatione facta pro regno Hungariæ et vicissim, absque ulla reciproca relatione: unde nupturientes, qui ambo nati sunt in Germania non possunt matrimonium mixtum clandestinum validè inire in regno Hungariæ, et, vice-versa, nati ambo in Hungaria, extra formam Decreti *Ne Temere,* nulliter contrahunt quoquo modo in Germania; imo una pars nata in Germania cum altera parte nata in Hungaria mixtum matrimonium invalidè init clandestine, sive in Germania sive in regno Hungariæ.

A. De Smet.

E S. Congregatione Rituum

I

Dubia varia.

BUSCODUCEN.

R^ev^ D^nus^ A. Hermus, professor in Instituto Surdomutorum loci Gestel S. Michælis, et Kalendarista Diœcesis Buscoducensis in Hollandia, de consensu R^mi^ sui Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum (2).

(1) In hunc sensum interpretati sumus responsum 28 Martii 1908, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 468 s. Aliter illud intellexerant Wouters, apud *Ned. Kath. Stemmen,* 1908, p. 410; Van de Burgt-Schaepman, *Tractatus de Matrimonio,* Ultrajecti, 1908, n. 245; *Theol.-Prakt. Quartalschr.*, 1909, p. 610, quasi sufficeret unam partem esse in Germania natam. Nobiscum sentiebant R. P. Vermeersch, *De Forma Sponsalium et Matrimonii,* 4^a^ ed., n. 90; Standaert, apud *Collat. Gandav.*, I, p. 69.

(2) Omittimus quinque priora dubia quia ex responsis vix aliquid erui potest. Ad duo priora respondetur « dilata »; ad tria sequentia quod spectat, responsum remittit tantum ad textum decretorum quorum explicatio petitur!

VI. In tota Diœcesi Buscoducensi ex Indulto Apostolico et de præscripto Ordinarii jam ab anno 1853 Officia votiva SS. Sacramenti pro feria V et Immaculatæ Conceptionis B. M. V. pro Sabbato, non impeditis festo novem lectionum, extra tamen Adventum, Quatuor Tempora et Vigilias, ritu duplici recitantur. Quæritur, utrum supradictis diebus liceat Clero ad libitum dicere Missas de Requie, an legere teneatur Missas conformes Officio votivo?

VII. Sacerdos die, in qua juxta Tit. V, num. 1, vel 2 Rubricarum Missalis in Missa de feria vel simplici commemoratio pro defunctis est facienda, legit Missam votivam privatam S. Antonii. Num in ejusmodi Missa votiva commemoratio pro defunctis est facienda?

VIII. Diœcesi Buscoducensi concessum est pro die 28 Januarii Officium proprium cum Missa propria S. Juliani Episcopi et Confessoris, approbatum et concessum Diœcesi Conchensi. Hæc vero Missa non reperitur in novis editionibus Missalis Romani et Gradualis. Quæritur, an in posterum pro gratia dici possit Missa « Statuit » approbata pro Diœcesibus, quibus non extenditur prædictum Officium proprium?

IX. Dominica Quinquagesimæ et biduo sequenti in pluribus locis Diœcesis Buscoducensis habetur exercitium Quadraginta Horarum, quin tamen forma Bullæ Clementinæ stricte observetur, quum nocte SS^{mum} Sacramentum in tabernaculo recondatur. Quæritur:

1. Num, durante pio hoc exercitio, cantica in lingua vernacula, coram SS^{mo} in Ostensorio exposito, canere liceat?

2. Num, durante tali expositione in Altari majori, in Altaribus lateralibus atque in sacellis ejusdem ecclesiæ liceat celebrare Missas de Requie, diebus quibus tales Missæ per Rubricas permittuntur?

X. Utrum preces et hymni liturgici, v. g. Introitus, Communio, hymnus « Lauda Sion » a choro musicorum in lingua vernacula cantari possint infra Missam privatam; an vero ejusmodi Cantica tantum prohibita sint coram Sanctissimo exposito, ad normam Decreti S. R. C. num. 3537. Leavenworthien. 27 Februarii 1882 ad III?

XI. In quibusdam locis Diœcesis festo S. Thomæ a Villanova, proprio die impedito, ab Ordinario juxta Ru-

bricas assignata est, tamquam fixa, dies 3 Octobris. Quum vero hodie festum SS. Angelorum Custodum non amplius celebretur die 2 Octobris, sed prima Dominica mensis Septembris, dies 2 Octobris jam nunc libera evasit pro asssignatione alicujus festi perpetuo impediti. Quæritur: An nunc mutari debeat dies fixa S. Thomæ et ei assignanda sit tamqam fixa dies 2 Octobris?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, atque omnibus accurato examine perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad VI. Affirmative ad primam partem. Negative ad secundam in casu, juxta Decreta No. 1858 Bergomen. 24 Novembris 1691, et No. 3792 Strigonien. 30 Augusti 1892 ad VI.

Ad VII. Affirmative, juxta Rubricas et Decretum No. 2077 Ordinis Eremitarum S. Augustini 13 Augusti 1701; et quidem penultimo loco inter Orationes omnes, quæ eadem die tam ex Rubricarum præcepto, quam ex Ordinarii mandato aut ad Celebrantis placitum adjungantur, juxta Rubricas Generales Missalis Romani tit. VII N° 6.

Ad VIII. Non expedire; et Missa retineatur, quæ respondet Officio jam concesso.

Ad IX. Quoad primam quæstionem, Affirmative, nisi agatur de textibus proprie liturgicis et de functionibus insuper stricto sensu liturgicis.

Quoad alteram quæstionem, Negative in omnibus, quia expositio in casu, uti pro causa publica censetur effecta.

Ad X. Negative ad primam partem, juxta Decretum relatum No. 3537 Leavenworthien. 27 Februarii 1882 ad 3.; ad secundam jam provisum in prima.

Ad XI. Negative, sed posse, si dies 2 Octobris juxta Rubricas et Decreta festo reponendo S. Thomæ, etiam in reformatione perpetui Kalendarii diœcesani competeret; secus non posse, sed expectandum esse tempus reformationis præfatæ.

Atque ita rescripsit, die 31 Martii 1909.

Fr. S. Card. Martinelli, *Præf.*
D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotanda. *Ad* **sextum.** Eodem privilegio apostolico quo fruitur diœcesis Buscodunensis gaudet quoque diœcesis Brugensis, in quo pariter officia votiva SS. Sacramenti et Immaculatæ Conceptionis B. M. V. feriis V et sabbatis non impeditis sub ritu duplici, « de præscripto Ordinarii » juxta ordinem calendarii a clero recitanda sunt.

Unde, quamvis *Collationes* nostræ olim (t. VI, p. 533 ss.) (1) contrarium « salvo meliori judicio » censuerint, hodie certum est in diœcesi quoque Brugensi licere missam quotidianam de *Requiem* celebrare iis feriis V et sabbatis quibus in calendario liturgico notatur officium votivum seu Commemoratio SS. Sacramenti aut Immaculatæ Conceptionis.

Ratio hujus responsi est quia hæc officia, licet duplicia et præscripta, sunt tamen votiva quatenus sunt extra anni liturgici ordinem de tempore aut de sanctis, et juxta votum præscribentis recitanda sunt loco officii ferialis vel festi simplicis.

Ceterum præfata officia non conceduntur in festis semiduplicibus, imo cedere debent officiis de diebus infra octavam etiam non privilegiatam (v. g. patroni loci), et tamen hi dies qui prævalent officiis votivis admittunt missas quotidianas de *Requiem:* non est igitur absonum ut missæ de *Requiem* semper celebrari possint quando occurrunt hæc officia votiva, sive sub ritu semiduplici, sive etiam sub ritu duplici (2).

Ad **septimum.** Juxta Rubricas generales Missalis (tit. V, nn. 1 et 2) in missa quæ celebratur de festo simplici, vel de feria quæ habeat propriam missam, vel si resumenda sit missa dominicæ præcedentis, facienda est commemoratio pro defunctis *Fidelium,* quoties hanc missam celebrari contingit prima die mensis non im-

---

(1) Ibi, inter alia, invenies duo decreta n. 1858 *Bergomen.* et n. 3792 *Strigonien.* in præsenti responso citata.

(2) Cf. *Nederlandsche Katholieke Stemmen,* 1907, p. 188.

pedita duplici vel semiduplici extra Adventum, Quadragesimam aut Tempus paschale vel feria II cujusvis hebdomadæ, extra tempus quadragesimale aut paschale.

Verum disputabatur utrum præfata oratio *Fidèlium* esset dicenda dumtaxat in missis de die an etiam in votivis privatis (1).

Jam responderat S. R. C. n. 2077 eam dicendam esse « tam in missa conventuali quam in ceteris privatis ». Nunc autem ex responso ad VII liquet eam faciendam esse non minus in *votivis* privatis quam in missis de die.

Ulterius disputabatur de loco quo ponenda esset prædicta oratio *Fidelium*. Cum pluribus auctoribus (2) olim *Collationes* (t. II, 1897, p. 357 ss.) ex duobus decretis in *Namurcen.* 23 martii 1835 et in *Valentinen.* 12 decembris 1879 deduxerunt orationem *Fidelium* dicendam esse penultimo loco inter orationes a rubrica præscriptas, nulla habita ratione orationum ab ordinario præscriptarum. Verum postea duo præfata decreta non fuerunt assumpta in nova collectione authentica, et præsenti decreto S. Congregatio, licet non expresse rogata, sponte dirimit quæstionem in contrarium sensum, ita ut oratio *Fidelium* « semper ponenda sit penultimo loco » (Rubr. Gen. Miss. tit. VII, n. 6) « inter orationes omnes quæ eadem die tam ex rubricarum præcepto, quam ex Ordinarii mandato aut ad celebrantis placitum adjungantur ».

Responsis *ad* **nonum** *et* **decimum** confirmantur quæ præcedentibus decretis statuta fuerunt de usu linguæ vernaculæ coram SS. Sacramento publice exposito. Licet nempe lingua vulgari :

1° *recitare* preces, actus reparationis, laudes *God zij gebenedijd,* aliasve hujusmodi formulas, quibus populus respondere valeat (nn. 2791[2]; 3156[4]; 3237[1]; 3530[2];

---

(1) Cf. De Herdt, *S. Liturgiæ praxis*, t. I, n. 51.

(2) Cf. Van der Stappen *de rubricis Missalis*, 3ª edit., q. 130; *Ephem. liturg.* 1891, p. 138.

3537[2]). Nunquam tamen possunt hujuscemodi preces, excepta formula laudum *God zij gebenedijd* (n. 3237[1]), recitari immediate ante benedictionem, h. e. inter orationem SS. Sacramenti et actum benedicendi populum cum SS. Sacramento. Debent preces esse « approbatæ » (n. 3156[8]) ab Ordinario.

2° Etiam licet aliquid *canere* lingua vernacula, modo duplex hæc servetur restrictio:

a/ ut non agatur « de textibus proprie liturgicis », « de hymnis *Te Deum* aliisque quibuscumque liturgicis precibus quæ nonnisi latina lingua decantari debent » ut ait decretum S. C. R. n. 3537[3], *Leavenworthien.* quod confirmatur præsenti responso decreto ad IX et ad X. Item de litaniis lauretanis (1) aut aliis ad cultum publicum approbatis. Imo non licet canere lingua vernacula « in solemni processione SS. Sacramenti alternatim cum hymnis liturgicis » juxta decret. *Parisien.* 14 jan. 1898 (2).

b/ ut non agatur « de functionibus stricto sensu liturgicis » (3) v. g. de solemni SS. Sacramenti processione (4) aut benedictione (5), aut de Vesperis aliisve horis officii canonici, aut de missa solemni (6), vel cantata (7), ne quidem « dum sacra communio distribuitur per notabile tempus » (8).

Sed « hæc prohibitio ad missas lectas non est extendenda » ait Pighi-Ferrais cum aliis (9). Et revera nullibi

---

(1) Decr. S. R. C. *Utinen.*, 1 julii 1904, ad II.

(2) Ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 242.

(3) Cf etiam decret. S. R. C. *Angelopolitana*, 17 jan. 1908, ad II, ap. *Coll. Brug.*, t. XIII, p. 342.

(4) Cf. citatum decret. *Parisien. Collat. Brug.*, t. III, p. 242.

(5) Motu proprio 22 nov. 1903.

(6) Decr. S. R. C. *Plocensis.*, 29 jan. 1904, ap. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 466.

(7) Decr. S. R. C. *Parisien.*, 14 jan. 1898, ad V[1], ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 242.

(8) Decr. S. R. C. n. 31247, *Nicaragua*, 1 oct. 1864.

(9) *Liturgia sacerdotalis*, 1907, p. 267, nota. Cf. A. Boudinhon, dans *Revue du clergé Fançais*, t. LVIII, 1909, p. 608.

exstat hujusmodi prohibitio; imo usus contrarius non tantum, « attenta consuetudine » positive toleratur decreto n. 3124[7], sed in quamplurimis diœcesibus expresse aut tacite approbante auctoritate episcopali obtinet.

In diœcesi Brugensi oportet servare in Laudibus Vespertinis ordinem ac ritum a Statutis diœcesanis p. 159 s. præscriptos « ut servetur per totam diœcesim una agendi ratio », adeoque inter utramque benedictionem in lingua vulgari nihil potest cani, recitari autem tantum possunt quæ speciatim ab Ordinario injunguntur.

C. Callewaert.

II

ATREBATEN.

De Missa in honorem B. M. V. de « Lourdes », de oratione concurrentibus duobus festis doctorum ecclesiæ in Vesperis, de responsoriis primi nocturni Dominicæ impeditis, deque protonotario apostolico ad instar in Pontificalibus celebrante.

Onesimus Machez, ordinator kalendarii diœcesani, et magister cæremoniarum ecclesiæ cathedralis Atrebatensis, a sacra Rituum Congregatione, de licentia sui Episcopi, insequentium dubiorum elucidationem humillime postulavit, nimirum:

I. Sacerdos, qui, voto fidelium aut propriæ devotioni satisfacturus, celebrat Missam in honorem B. M. V. Immaculatæ de *Lourdes,* potestne, diebus non impeditis, secluso indulto apostolico, dicere more votivo Missam propriam Apparitionis (11 Februarii)? — Et quatenus *negative,* debetne sumere Missam festi Conceptionis Immaculatæ (8 Decembris)?

II. Quando, propter translationem, concurrunt in Vesperis duo festa Doctorum Ecclesiæ, quorum eadem est Oratio *Deus, qui populo tuo,* numquid, si fiat commemoratio sancti Doctoris Episcopi, potius eligenda est Oratio *Exaudi* de Communi confessorum Pontificum, quæ recitatur in festis SS. Leonis, Athanasii ac Basilii magni?

III. Juxta rubricas generales Breviarii, tit. XXVII, n. 7, responsoria primi nocturni Dominicæ, in qua primo ponuntur, si in Dominica propter festum impediantur, alia die, in Officio feriali, ante alia responsoria recitanda sunt. Cum autem nonnulla initia habeant eadem responsoria, quod evenit exempli gratia pro quatuor libris Regum et duobus Machabæorum, debetne rubrica sic intelligi, ut quoties reponitur initium uniuscujusque libri, toties etiam iteranda sint responsoria primi nocturni, non obstante in casu verborum uniformitate?

IV. Protonotarius apostolicus *ad instar* celebrans in Pontificalibus, et Cæremonialis Episcoporum præscriptionibus inhærere cupiens, 1° debetne in Vesperis albam induere, more Episcoporum, quamvis associatus a presbyteris, non dalmaticas, sed pluvialia gerentibus? 2° debetne post psalmos ejusdem Officii capitulum ipse cantare; 3° similiter in Vesperis, post thurificationem altaris, debetne in cornu epistolæ mitram assumens *per breviorem* ad sedem accedere; vel, nudo capite, in medium altaris reversus, descendere, et post reverentiam in plano mitram accipiens, repetere viam per quam eo venerat?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis liturgicæ suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem, *affirmative;* et quoad secundam, provisum in prima.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative,* et sufficit, ut impedita semel reponantur infra eam hebdomadam, in qua primum de feria fieri contigerit, juxta rubricas Breviarii, tit. XXVII, n. 7.

Ad IV. Quoad 1um induat rochetum, amictum, crucem pectoralem et pluviale. Quoad 2um *affirmative.* Quoad 3um ad primam partem *negative,* et ad secundam *affirmative,* juxta Motu-proprio SSmi Dni nostri Pii Papæ X *Inter multiplices,* 21 Februarii 1905, III, 48.

Atque ita rescripsit, die 25 Junii 1909.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Commissio Pontificia de Re Biblica

De charactere historico trium priorum capitum Geneseos.

I. Utrum varia systemata exegetica, quæ ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos excogitata et scientiæ fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur?

Resp. *Negative.*

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum veteris tum novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israëlitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, prædicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quæ scilicet objectivæ realitati et historicæ veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinæ monotheisticæ accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento objectivæ realitatis destituta, sub historiæ specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et ædificationem libere compositas?

Resp. *Negative* ad utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quæ christianæ religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cætera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primæ mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu justitiæ, integritatis et immortalitatis; præceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam; divini præcepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum dejectio ab illo primævo innocentiæ statu; nec non Reparatoris futuri promissio?

Resp. *Negative.*

IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique tradiderint, liceat, salvo Ecclesiæ judicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam?

Resp. *Affirmative.*

V. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quæ in prædictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsæ manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice, usurpatæ, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere?

Resp. *Negative.*

VI. Utrum, præsupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica, præfulgente sanctorum Patrum et Ecclesiæ ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit?

Resp. *Affirmative.*

VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere; sed potius suæ genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas?

Resp. *Negative.*

VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *Yôm* (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque hujusmodi quæstione libere inter exegetas disceptare liceat?

Resp. *Affirmative.*

Die autem 30 Junii anni 1909, in audientia ambobus R^mis^ Consultoribus ab actis benigne concessa, Sanctissimus prædicta responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

Romæ, die 30 Junii 1909.

L. ✠ S.

Fulcranus Vigouroux, P. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B.

Constitutio

de civili Veto seu exclusiva uti vocant in electione Summi Pontificis.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Commissum Nobis, Deo sic disponente, universæ Ecclesiæ regendæ munus serio admonet ut pro viribus caveamus, ne ex alienæ potestatis incursu ea libertas quidquam detrimenti capiat, qua Christus in commune bonum ipsam donavit quamque tot evangelii præcones, tot sanctissimi antistites, tot illustres Decessores Nostri verbo, scriptis, effuso etiam sanguine propugnarunt. Quorum exemplis et auctoritate permoti, ubi primum hanc Petri Cathedram, licet impares, ascendimus, Apostolici officii Nostri esse duximus in id maxime incumbere, ut vita Ecclesiæ libere omnino explicetur, omni externo interventu remoto, prout ipsam evolvi divinus Institutor voluit, atque excelsa ejus missio omnino requirit.

Jam, si qua est in Ecclesiæ vita functio quæ hujusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quæ in Romani Pontificis electione versatur; siquidem *salus, non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur* (1).

Huic plenæ libertati in Summo Pastore eligendo opponitur in primis civile illud *Veto,* a supremis nonnullarum civitatum rectoribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad Supremum Pontificatum alicui præcludere. Id si aliquoties accidit, apostolicæ tamen Sedi probatum est nunquam. Quin etiam Romani Pontifices, in iis quæ de habendo Conclavi constituerunt, nihil pæne majore contentione studiove conati sunt, quam ut externæ cujusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Rem plane declarant Constitutiones « *In eligendis,* » Pii IV; — « *Æterni Patris,* »

(1) Gregor. XV, *Constit.* « Æterni Patris » in procem.

Gregorii XV; — « *Apostolatus officium,* » Clementis XII; — in primisque Pii IX: « *In hac sublimi* ». — « *Licet per Apostolicas* » et « *Consulturi* ».

Verum, quandoquidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile *Veto*, seu *Exclusivam*, non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adjuncta hujusmodi civilis potestatis immixtio nostra ætate multo videatur magis omni rationis et æquitatis fundamento destituta; idcirco Nos, pro Apostolico Nobis commisso munere, et Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu, civile *Veto,* sive *Exclusivam,* quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessiones quaslibet omnino reprobamus, edicentes licere nemini, ne supremis quidem civitatum moderatoribus, quovis prætextu se interponere aut ingerere in gravi negotio electionis Romani Pontificis.

Quamobrem in virtute sanctæ obedientiæ, sub interminatione divini judicii et pœna excommunicationis latæ sententiæ speciali modo reservatæ futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam præsentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in conclavi partem habentes, prohibemus, ne, quovis prætextu, a quavis civili potestate munus recipiant, *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios. Quam prohibitionem extendi volumus ad memoratos omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicæ potestates cujuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur, ut in eligendo Pontifice, *Principum sæcularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis* (1), sed unice Dei gloriam et

(1) Pii IV, « *Constit.* In eligendis » § 26; Clem. XII, *Constit.* « Apostolatus officium », § 5.

Ecclesiæ bonum præ oculis habentes, in eum sua vota conferant quem universali Ecclesiæ fructuose utiliterque gubernandæ præ ceteris idoneum in Domino judicaverint. Volumus etiam Nostras has Litteras una cum aliis id genus Constitutionibus legi coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis haberi solita; rursus post ingressum in Conclave; item cum quis ad purpuræ honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quæ in præsenti Constitutione decreta sunt.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ inhibitionis, mandati, declarationis, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis præcepti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo nongentesimo quarto, die XX Januarii, Pontificatus Nostri anno primo.

Pius P. P. X.

S. Congregatio Indicis

Decretum quo prohibentur quidam libri.

5 Julii 1905.

In Indicem librorum prohibitorum quæ sequuntur relata sunt opera:

Joseph Turmel, *Histoire du dogme de la papauté; des origines à la fin du IVe siècle. Paris, Alphonse Picard et Fils, 1908.*

— *Histoire du dogme du péché originel. Macon, Protat Frères, 1900.*

— *L'Eschatologie à la fin du IVe siècle. Ibid., 1900.*

Guillaume Herzog, *La sainte Vierge dans l'histoire. Paris, Emile Nourry, 1908.*

Romolo Murri, *Battaglie d'oggi. 4 vol. Roma, Società I. C. di cultura, 1903-4.*

— *Democrazia e cristianesimo: i principii communi (Programma della Società nazionale di cultura). Roma, Società nazionale di cultura, 1906.*

— *La vita religiosa nel cristianesimo; discorsi. Ibid., 1907.*

— *La filosofia nuova e l'enciclica contro il modernismo. Ibid., 1908.*

Sostene Gelli, *Psicologia della relligione; note ed appunti. Roma, Società nazionale di cultura, 1905.*

Filosofia della fede; Appunti. Stampato in Roma, tip. dell'Unione cooperativa editrice, s. a.

Fortunato Russo, *La Curia romana nella sua organizzazione e nel suo completo funzionamento; diritto e psicologia. 2a ediz. Palermo, tip. Gazzetta commerciale, 1908.*

Telesphorus Smyth-Vaudry decreto S. Congregationis, edito die 4 Januarii 1909 (1), quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subjecit. Etiam auctores librorum sub pseudonymis Lefranc et Jéhan de Bonnefoy evulgatorum, et ab hac S. Congregatione decretis dierum 11 Decembris 1906 (2) et 4 Januarii 1909 prohibitorum, his decretis laudabiliter se subjecerunt.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 171.
(2) *Ibid.*, t. XII, p. 232.

Consultatio.

Quæritur utrum servanda sit praxis quæ invaluit in nostra ecclesia, et existit in pluribus aliis ut in missis quæ celebrantur cum expositione SS. Sacramenti, non detur benedictio in initio sed SS. Sacramentum simpliciter exponatur et incensetur?

Respondetur affirmative et amplius.

Hæc enim benedictio jure diœcesano non præscribitur et regulis liturgicis contraria est.

Si enim perlustraveris textus juris diœcesani in quibus agitur de expositione SS. Sacramenti etiam in die Adorationis perpetuæ, nullibi — si Laudes Vespertinas excipias — invenies benedictionem præscriptam esse in initio expositionis. Vide v. g. *Statuta diœcesana* tit. II, art. v, § 2, n. 8 (p. 56) tit. IV, art. IV, n. 2 (p. 158); *Collectio epistol. pastor.* t. II, p. 53, 1, 2; 130, n. 2; 212, n. IV; t. V, p. 115; t. VIII, p. 48, art. XI, p. 112.

Si autem inspexeris jus liturgicum commune, non erit dubium quin omittenda sit præfata benedictio. Hanc enim ignorant tum Rituale et Cæremoniale Episcoporum ante processionem SS. Sacramenti; tum Instructio Clementina de Adoratione XL Horarum, ad cujus normam concessa est in diœcesi nostra Adoratio perpetua (1). Hanc explicite prohibet decretum Innocentii XI, 20 maii 1682, et decreta S. R. C. n. 3058[1], *Ultrajecten.*, 11 julii 1857, et n. 3308. *Ratisbonen.*, 1 julii 1873. Hanc doctrinam etiam omnes auctores docent.

Ergo sub initio expositionis fiat tantum incensatio SS. Sacramenti et in fine detur benedictio eo ritu qui præscribitur in Rituali pro fine processionis Corporis Domini.

C. Callewaert.

---

(1) *Collect. epistol. pastor.* t. V, p. 115.

Notæ Bibliographicæ

Commentarius in Epistolas Catholicas, a J.-A. Van Steenkiste, Can. hon. eccl. cath. Brug., S. T. L., primum editus. Editio quinta denuo emendata et notabiliter adaucta opera A. Camerlynck, Can. hon. eccl. cath. Brug., S. T. D. et S. Script. prof. in Semin. Brugensi. Pag. 300 in-8°, Brugis 1909, Beyaert, Pret. 3 fr. 50; rel. 4 fr. 30.

Juvat hujus novæ editionis Præfationem et Approbationem proponere.

Præfatio. Iis quæ de ratione operis atque methodi adhibitæ in Præfatione ad 4am editionem (1907) diximus (1), nihil addendum videtur, nisi quod hæc nova editio in pluribus emendata et adaucta fuerit.

Introductiones ad singulas epistolas sedulo retractare conati sumus, adhibitis hunc in finem præcipuis operibus quæ, abhinc tribus annis, viri eruditi de Catholicis Epistolis, sive in genere spectatis sive seorsum sumptis, edenda curaverunt. Ne autem eruditionis investigationumque copia concinnitati doctrinæ methodoque didacticæ noceat, præcipua rerum puncta litteris majoribus compendiose excudenda decrevimus.

Inter quæstiones quas novo subjecimus examini, præprimis recenseri merentur: quæstio de fratribus Domini (2); de apostolicitate S. Jacobi et S. Judæ (3), necnon quæstio de authentia humana II Petri (4).

In ipso commentario, textus Vulgatæ (5) litteris majusculis impressus exhibetur, quoties verba absque immutatione, paraphrasi inserta reperiuntur; typos autem « italicos » dictos elegimus ad textum sacrum, ubi plus minusve immutatus fuit vel iteratur, excudendum. Analysim logicam singulis epistolis præpositam, in Commentarii decursu, claritatis et facilitatis gratia, crassioribus typis excusam, iterùm proponere, opportunum visum est.

Epistolam II Petri ab epistola Judæ pendere autumamus, ità ut, nostro quidem judicio, interpretatio Judæ aptius ante utramque Petri

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 728.

(2) Non tantum *theologice*, sed etiam *critice* certum est « fratres Domini » non esse fratres Jesu uterinos. At verò quoad positivam explicationem cognationis horum « fratrum » cum Jesu Christo, non tam certa solutio dari posse videtur: varias explicationes cum suis respective argumentis proposuimus.

(3) Nulla obviam habuimus decretoria argumenta quæ apostolicitati Jacobi et Judæ obstare videantur. Cum iis quæ p. 18 s. de sententia a Mader proposita scripsimus, notam p. 256 traditam benevolus lector conferre velit: inde dictam sententiam infirmari potius quam confirmari, liquet.

(4) Hanc authentiam non certò demonstrari, at solide probabilem esse arbitramur.

(5) In imprimendo Vulgatæ textu fidelissime in omnibus secuti sumus editionem P. M. Hetzenauer, o. c., *Biblia sacra Vulgatæ editionis* (in-4°), Œniponte 1906.

epistolam, vel saltem ante II Petri tradatur. Ordinem tamen canonicum Epistolarum in Commentario invertere, haud oportunum duximus.

Atque hæc de quintæ hujus editionis indole et ratione prænotasse sufficiat.

Approbatio. Commentarii in *Epistolas Catholicas* editionem 5am, a. R. adm. D. Camerlynck, S. T. D. et S. Scripturæ in Seminario nostro professore denuo recognitam et adauctam, libenter clero commendamus, utpote solida doctrina refertam atque prælucentibus monitis ac consiliis S. Sedis elucubratam.

Brugis, 10 Juli 1909.

† G. J. Episc. Brugen.

La confession fréquente des petits enfants. (Articles extraits des Annales des Prêtres-Adorateurs).

Malgré l'apparente simplicité du fond et de la forme, cette petite brochure contient une série d'articles très suggestifs. L'auteur ou plutôt les auteurs de ces pages voudraient voir se généraliser l'usage de la confession fréquente des enfants avant la première communion. Le résultat immédiat de cette salutaire pratique serait de conserver d'une manière plus efficace l'état de grâce chez les enfants ; elle préparerait aussi avec succès une application plus générale du décret sur la communion fréquente et quotidienne. A lire surtout le *récit d'un Vicaire :* comme il est avisé, comme il est surnaturel, ce bon curé de campagne, interviewé par le vicaire !

Nous avons nous-même, dans le dernier article, insisté sur la pratique de la contrition parfaite et sur la nécessité de travailler à l'éducation eucharistique des enfants.

Puissent tous les prêtres se faire, *verbo et exemplo,* les apôtres convaincus de ces idées !

S'adresser au Bureau central de l'Œuvre des Prêtres-Adorateurs, 205, Chaussée de Wavre, Bruxelles. Prix : fr. 0,25 l'exemplaire.

H. Mahieu.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Anizan F. *Vers Lui.* (Elévations au Sacré-Cœur). Paris, Librairie Saint-Paul. In-12°, 388 p. F. 3,50.

Barbey d'Aurevilly J. *L'Internelle Consolacion. — Sainte Thérèse. — Pascal. — Bossuet. — S. Benoît Labre. — Le Curé d'Ars.* (Collect. « Science et Religion » n. 532). Paris, Bloud et Cie, 64 p. F. 0,60.

Autant d'études sur les sujets indiqués, extraites des œuvres de Barbey d'Aurevilly.

Bataille. F. *Le mois du Précieux Sang,* d'après le R. P. Faber. Tournai, Casterman, In-24, 274 p.

Br. Destrée, O. S. B. *L'office de Complies* précédé d'une notice indiquant l'excellence de cet office comme prière du soir. Louvain, Abbaye du Mont-César. In-18°, 52 p. F. 0,20.

Brettes. *Les sciences naturelles devant la critique.* Bruxelles, Schepens, 1909. In-8°, 654 p. Fr. 7,50.

Card. Newman. *La Mission de Saint Benoit.* (Collect. « Science et Religion » n. 534, Section : Vie des Saints). In-12°, 64 p. Paris, Bloud et Cie. Fr. 0,60.

Aperçus profonds, d'une lecture agréable, sur le rôle des moines au moyen âge et spécialement sur « la sainteté méritoire, la joyeuse énergie et la calme vaillance de la vie bénédictine ».

De la Paquerie J. *Jésus et l'Église.* Paris, Bloud et Cie, 1909. In-12°, 478 p. Fr. 4,00.

Dom **Jér. Picart,** O. S. B. *Maux et remèdes.* Philosophie, théologie, ascèse. Abbaye de Maredsous [s. d.]. Gr. in-8, 197 p.

Fillion, L. *L'existence historique de Jésus et le rationalisme contemporain.* [Collect. « *Science et Religion* », n. 529. Série : Questions historiques]. Paris, Bloud et Cie, 1909. In-12°, 64 p., Fr. 0,60.

Naguère un pasteur protestant essayait de mettre en doute la réalité de Jésus ; d'autres écrits ont suivi dans le même sens. M. Fillion nous donne une démonstration claire et péremptoire du fait de l'existence de Jésus.

---

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Explica quomodo, *salva inerrantia S. Scripturæ*, hagiographi in iis quæ spectant disciplinas physicas seu scientias naturales, sequi potuerint externam apparentiam et communem loquendi modum in ea fundatum (1).

II

An et cur in humana natura sit *tendentia* ad ordinem supernaturalem.

III

Titius et Titia, die 1ª Januarii 1908, Caius vero et Caia, die 1ª Januarii 1909, sibi mutuò oralem fidem dederunt de ineundo matrimonio. Quamnam obligationem inde contraxit 1º Titius, respectu Titiæ; 2º Caius, respectu Caiæ?

IV

Indica varias dispositiones *juris diœcesani Brugensis* circa proclamationes antenuptiales.

V

Résumez l'hérésie arienne, telle qu'elle apparait dans sa période originaire, (avant le Concile de Nicée), et indiquez brièvement ses attaches avec les tendances doctrinales antérieures.

VI

Quot et quales candelæ in altari accendi debent aut possunt pro diversis missis.

---

(1) Videsis *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 311 s.; ibid. p. 236 ss.; S. Thom., *Sum. theol.*, I, q. LXVIII a. 1 et LXX a. 1.

Monitum. Voluntas Reverendissimi D. Episcopi Brugensis est ut orationi imperatæ *De Spiritu Sancto* addatur oratio *Ad postulandam serenitatem* quamdiu ob tempestatis inclementiam id utile judicaverint ecclesiarum rectores.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

A. De Meester. *De reformatione curiæ Romanæ Pii PP. X Constitutione « Sapienti » denuo ordinatæ.* (Extrait de *Collationes Brugenses*, t. XIV), Brugis, Ad. Maertens-Matthys, 1909.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900), XI (1906) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Explica sequens consectarium inspirationis rite intellecta :* « Inspiratio se extendit ad omnia judicia quæ in genuinis S. Scripturæ textibus primigeniis continentur, et quæ vere sunt judicia ipsius auctoris inspirati, vel quæ in S. Scriptura explicite vel implicite citantur et ab hagiographo sive formaliter sive æquivalenter approbantur ».

R. Præsens corollarium logice et manifeste sequitur ex iis quæ suprà diximus a/ de habitudine causæ principalis Dei, et causæ instrumentalis hagiographi tùm ad invicem, tùm ad communem effectum, qui est liber inspiratus (p. 399 ss.) : totus enim effectus, quamvis sub diversa formalitate, tribuendus est utrique causæ ; b/ de natura influxus divini in intellectum et voluntatem hagiographi : vi illius influxus hagiographus vult scribere et de facto scribit omnia judicia quæ ex suggestione divina seu mentali dictatione concepit (p. 462 ss.).

Etenim, ex iis principiis sequitur quod omnia et singula judicia quæ in genuinis S. Scripturæ textibus primigeniis continentur, et quæ vere sunt judicia auctoris, *vere a Deo sunt ut directum ad nos scriptum verbum Dei.* — Ratio est quia quidquid in libro ex dictatione alicujus positum invenitur, id profectò verbum ejus est. Sed omnia et singula quæ in genuinis S. Scripturæ textibus primigeniis habentur, fuerunt a Deo mentaliter

dictata. Ergo omnia et singula sunt scriptum verbum Dei, seu inspirata (1).

Explicatio. 1/ Assertum consectarium valet solummodo de *genuinis S. Scripturæ textibus primigeniis.* Etenim, ut ex dictis satis liquet, inspiratio (et inde consequens infallibilitas) ad solos textus primigenios seu authenticos pertinet, non necessariò ad omnes et singulos textus qui nunc leguntur, quia « fieri potest, ut quædam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint » (2). Unde textum ope studiorum criticorum a mendis (3) purgatum supponimus. Idem dicendum est de omnibus versionibus, etiam de versione Septuaginta Veteris Testamenti et de utriusque Testamenti versione Vulgata (4). Insuper animadvertendum neutram versionem, ut formaliter est versio seu translatio, esse inspiratam (5), quamvis versio fidelis sit Scriptura inspirata.

2/ In S. Scriptura non tantùm judicia ipsius auctoris inspirati occurrere possunt et de facto occurrunt. Etenim, ut auctor profanus in libro suo dicta aliorum

---

(1) Ita fere BILLOT, *De Inspiratione S. Scripturæ,* Romæ 1906, p. 36.

(2) Encycl. Leonis XIII, *Providentissimus;* cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 293 ss.

(3) Quamvis variantes lectiones valde numerosæ reperiantur, nunquam tamen substantiam textus inspirati adulterarunt amanuenses.

(4) Patres Tridentini, ubi Vulgatam « *authenticam* » declararunt, eam a mendis immunem minime declararunt, neque eam textibus primigeniis vel aliis versionibus prætulerunt. Sed, ex versionibus *latinis* quæ eo tempore multæ circumferebantur, unam declararunt textum officialem seu publicum pro Ecclesia latina in omni publica perfunctione magisterii ecclesiastici. At verò ex hoc decreto mere disciplinari, sequitur authentia dogmatica substantialis Vulgatæ, vi cujus Vulgata a textu primigenio ità non discrepet ut errorem in materia religionis doceat. Cf. VAN NOORT, *De fontibus revelationis divinæ,* Amstelodami 1906, p 91 ss.; Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 227 ss.

(5) Aliqui Patres versionem septuagintaviralem immeritò ut inspiratam habuerunt. In errorem inducti sunt maxime narratiuncula quæ reperitur in epistola adulterina et supposita Aristeæ, præfecti militum Ptolemæi Philadelphi (285-247 a. C.). Versio enim illa non modo miraculoso, sed a variis auctoribus variis temporibus confecta fuerit.

referre, epistolas transcribere, aliave documenta a sé vel ab alio scripta inserere potest,ità etiam profecto scriptor inspiratus facere potuit et de facto fecit.

Quæritur autem quousque in hujusmodi citationibus se extendat inspiratio, seu quid in ipsis sit inspiratum?

Sufficiat autem compendiose doctrinam proponere, quæ supra in hoc periodico (1) demonstrata fuit quæque huc redit:

Cùm sacer scriptor alicujus verba, sermonem, epistolam aliudve documentum refert, semper quidem inspiratus est ad citandum seu referendum,ità ut citatio semper ex suggestione divina fuerit inserta, non autem proprio marte hagiographi. Verùm non eo ipso et solo quod *citatio* sit inspirata, etiam inspirata sunt *ea quæ citantur,*ità ut necessariò sint verbum Dei ab intrinseco, in seipsis seu ratione judiciorum quæ in citatione occurrunt. Tunc enim solùm inspirata sunt *citata* quando, inspectis omnibus, exhibent sensa seu judicia ipsius auctoris sive principalis seu Dei, sive instrumentalis seu hagiographi, qui eadem *approbat* seu sua facit.

Ad cujus doctrinæ pleniorem intelligentiam duo observanda sunt.

a/ Citatio in Scriptura potest esse vel explicita vel implicita. *Explicita* est, ubi ipse hagiographus propriis verbis se citare seu referre indicat; *implicita* (2) verò ubi documentum hagiographus scripto suo inserit, tacito nomine auctoris atque documenti. Uti liquet ex responsione Commissionis Pontificiæ de re biblica (3), per se et regula generali præsumi non potest auctorem sacrum alterius dicta vel scripta tacito modo adducere; verùm citationes implicitæ non absolute damnantur,

---

(1) Cf. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, t. VIII, p. 114 ss., necnon decretum Commissionis Pontificiæ circa citationes implicitas cum adnotationibus, t. X, p. 446 ss.

(2) Billot, *De inspiratione S. Scripturæ,* Romæ 1906, p. 148 s observat hanc appellationem esse impropriam.

(3) 13^æ febr. a. 1905. Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 446 ss.

cùm tamen in casu particulari factum hujusmodi citationis *solidis argumentis* demonstrari debeat, antequam ex eo quis argumentum desumere possit. Hujusmodi argumenta solida decretum non indicat: varia interpres catholicus in dato casu suppeditare potest, qualia sunt e. g. comparatio textus biblici cum documentis profanis (1) et critices sacra.

b/ Approbatio citationis sive explicitæ sive implicitæ (quæ approbatio efficit ut judicia citata sint verbum Dei adeoque inspirata) potest esse *formaliter* sive *æquivalenter* proposita. Ita exemplum (2) citationis explicitæ formaliter approbatæ occurrit in ep. ad *Tit.* **I**, 12 s.: « Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses quidem mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. *Testimonium hoc verum est* ». Approbantur æquivalenter, adeoque sunt verbum Dei, quæ in Scripturis referuntur tanquam dicta a Deo, a Christo, ab angelis hominibusque, legatione Dei actu (3) fungentibus (prophetis et apostolis in executione sui muneris) aut ex instinctu divino loquentibus (4). Attamen approbatio generica sermonum longiorum complectitur sane id quod integra illa oratione intenditur et affirmatur; at verò inspiratio se non necessario extendit ad omnia et singula asserta in dicto sermone occurrentia, quæ ad principale intentum indifferenter se habent. Exemplum plures auctores catholici (5) afferunt orationem S. Ste-

---

(1) Vel etiam sacris.

(2) Aliud ex *Jo.*, **11**, 49 52, Coll. **18**, 13-14 vide apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 146.

(3) Quod non verificatur in propheta Nathan *II Reg.*, **7**, 3. — *Jer.*, **28**, 2 ss. habetur exemplum rei citatæ cum explicita *improbatione:* « Audi Hanania, non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio ».

(4) Cf Van Noort, *o. c.*, p. 57. Hæc evoluta videre est apud Pesch, *De inspiratione S. Scripturæ*, Romæ 1905, p. 444 ss.

(5) Ita Pesch, *o. c.*, p. 445 s.; Van Noort, *o. c.*, p. 57; Fonck, Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis 1909, ad c. **7**.

phani (*Act.*, 7, 1-53), quæ ex divino instinctu habita asseritur (*Act.*, 6, 10; 7, 55), et in qua nihilominus, uti opinantur, occurrit lapsus memoriæ (*Act.*, 7, 16), ab auctore minime approbatus.

Ea autem quæ in Scriptura citantur explicite vel implicite ut ab aliis dicta vel scripta sine approbatione aut improbatione (uti *I Esd.*, c. 4 et 5 epistolæ scriptæ ad reges Persarum earumque responsa), eam habent dignitatem quam independenter ab inspiratione obtinent. Unde in iis quæ citantur et ab hagiographo improbantur, vel ab eo neque approbantur neque improbantur, errores occurrere possunt, cum inspiratio (adeoque inerrantia) ad hujusmodi citata se non extendat. Verùm denuo notandum, neminem ad citationem non approbatam recurrere posse (ut difficultatem in Scriptura occurrentem enodet), « nisi solidis argumentis probetur 1° hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec probare, nec sua facere, ita ut censeatur non proprio nomine loqui » (1).

A. Camerlynck.

II

Q. *Explica hoc assertum: « Creatio, passive accepta, est relatio creatorum ad Deum cum novitate essendi ».*

R. *Creatio* definitur: productio seu effectio rei ex nihilo (2). Potest porro creatio sumi dupliciter, active scilicet et passive.

1. Creatio, *active* accepta, est ipsa Dei actio efficientis rem ex nihilo. Jamvero hæc *actio*, in Deo, est realiter idem cum ipsa divina essentia, nec potest esse aliqua entitas physica, quasi emanans a Deo, quæ esset quasi

(1) Cf. Resp. Commissionis Pontificiæ apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 446 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 528; S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. II, c. 16.

media inter ipsum Deum et creaturam: omne enim ens est realiter vel ipse Deus vel productum a Deo, h. e. creatura (1). Si ulterius quæratur de *formali ratione actionis* creativæ, quatenus hæc in Deo est, dicendum est hanc esse formaliter *volitionem* Dei, volitionem ex sese *efficacem,* qua res sunt *quia* et *modo quo* ipse Deus vult: non enim alia perfectio in Deo poni potest qua esse formaliter operans ad extra (2). Inde creatio, active accepta, recte dicitur actio *formaliter immanens,* quatenus est ipsa Dei volitio, et *virtualiter transiens,* quatenus ejus effectus est extra Deum et aliquid realiter a Deo distinctum (3).

---

(1) Cf. S. Thomas, *De potentia,* Q. III, a. 3.

(2) Cf. quæ exposuimus suprà, p. 346 ss.

(3) Licet S. Thomas non adhibeat de actione Dei creativa hanc denominationem: *formaliter immanens* et *virtualiter transiens,* dubitari tamen nequit quominus doceat creationem active spectatam esse in *ipso Deo* et esse *ipsam* Dei *volitionem:* « Creatio active sumpta significat *essentiam divinam* cum quadam relatione cointellecta: et sic est quid *increatum. De potentia,* Q. III, a. 3, ad 2 ». Cf. I, Q. XLV, a. 3, ad 1. — « Non oportet quod si *actio* primi agentis sit *æterna,* quod ejus effectus sit æternus. Ostensum est enim supra quod Deus agit *voluntarie* in rerum productione, *non* autem ita quod sit actio *media* ipsius, sicut in nobis actio virtutis motivæ est media inter actum voluntatis et effectum; sed oportet quod suum *intelligere* et *velle sit* suum *facere.* Effectus autem ab intellectu et voluntate sequitur secundum determinationem intellectus et imperium voluntatis ». *Summa contra Gentiles,* L. II, c. 35; cf. c. 23. Cf. Capreolus, in II, Dist. I, Q. II, a. 3. (Edit. Turonibus, 1902, t. III, p. 48 ss.). — Hanc esse S. Thomæ sententiam fatetur Molina, qui scribit: « Sententia D. Thomæ, Cajetani.... est eam actionem quam *creationem* vocamus esse ipsummet Deum, seu *velle divinum,* quo Deus, tamquam principio efficiente, res immediate producit, cum respectu tamen rationis ad creaturas productas ». *Commentaria in I Partem,* Q. XLV, a. 3. Hanc sententiam deinde impugnat Molina et censet *creationem non* esse *in Deo,* sed in creatura, et consequenter creationem esse actionem *formaliter transeuntem,* quia « actio qua res produxit (Deus)... non est scientia, aut volitio, qua eas produxit, *nec aliquid,* quod *in Deo* sit formaliter, sed aliquid in creaturis existens, una cum eis ipsis comproductum ». *O. c.,* Q. XXV, a. 1. Idem tenet Suarez, *Disputationes Metaphysicæ,* Disp. XX, sect. IV, n. 20 et 25. Amplectens eamdem sententiam fuse de hac re disputat de Dorlodot, *Quæstionum quodlibetalium duæ priores,* Lovanii, 1903, p. 15 ss. Illa sententia sufficienter refutatur, ut videtur, ex illis quæ exposuimus; nisi vera rerum vocabula amiscri-

2. Creatio, *passive* accepta, secundum S. Thomam, non est ipsa substantia creata, seu ipsa res quæ a Deo ex nihilo producitur, sed est *aliquid in creatura,* nempe est *accidens*, realiter ab ipsa substantia creata distinctum et est *relatio realis*. « Creatio... si sumatur passive, sic est quoddam *accidens* in creatura, et sic significat quamdam rem, non quæ sit in prædicamento passionis, proprie loquendo, sed quæ est in genere *relationis,* et est quædam *habitudo habentis esse ab alio* consequens operationem divinam » (1). Igitur terminus immediatus actionis divinæ creantis est substantia creata, quæ totaliter est a Deo dependens : inde exsurgit realis *relatio dependentiæ* creaturæ ad creatorem. Hæc relatio, quatenus simul connotat *novitatem essendi* est creatio passive accepta ; dico : quatenus connotat *novitatem essendi :* nam ipsa relatio dependentiæ tamdiu remanet quamdiu existit ipsa res creata et dependens : sed res tunc *creatur* quando incipit ex nihilo esse, et ipsa relatio tunc exsurgens, *quando incipit esse res creata*, est creatio passive accepta. Ratio cur creatio passive accepta nihil aliud sit quam *relatio* est quia creatio excludit præjacentem materiam vel subjectum quod mutatur (2). — Huic relationi reali dependentiæ

---

mus, confiteri oportebit Deum esse vere et realiter *causam efficientem* rerum quas creat, et consequenter *in ipso Deo* esse *formaliter* id quo est *efficiens* res ex nihilo ; porro id quo Deus est formaliter efficiens res ex nihilo est *actio creativa* seu *creatio active* sumpta. (Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 338 ss., t. IX, p. 81 ss.) ; posito quod actio in Deo sit, hæc erit ipsa Dei volitio, consequenter actio *formaliter immanens :* secus ponenda foret in Deo processio operationis : quod repugnat. V. suprà, p. 346.

(1) S. Thomas, in II, Dist. I, Q. I, a. 2, ad 4. Idem docet S. Thomas, I. Q. XLV, a. 3, ad 3, dicendo creationis, passive acceptæ, quatenus est relatio, creaturam esse *subjectum* et prius eâ in esse sicut subjectum accidente.

(2) « Dans la création, nous n'avons ni sujet, ni point de départ ; il ne nous reste que le résultat ; savoir tout l'être produit. Ici donc, nous n'avons pas à nous demander d'où vient l'effet, ni *comment* il a été produit ; mais, seulement, *parce qu'il est,* alors qu'il n'était pas, nous avons à nous demander *de qui* ou *par qui* il est. Pas de cause matérielle, pas de *processus*

creaturæ ad Creatorem correspondet in Creatore relatio ad creaturam : sed hæc relatio est *rationis* tantum.

Ut prædictam responsionem rite intelligamus, juvat illam conferre cum responsione quadam, data a S. Thoma, de incarnatione : quæritur : « utrum *unio* naturæ divinæ et humanæ sit *aliquid creatum*... Respondeo dicendum quod unio, de qua loquimur, est *relatio* quædam, quæ consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei. Sicut autem in prima parte (Q. XIII, a. 7) dictum est, omnis relatio quæ consideratur inter Deum et creaturam, *realiter* quidem est in creatura, per cujus mutationem talis relatio enascitur ; non autem est realiter in Deo, sed secundum rationem tantum ; quia non innascitur secundum mutationem Dei. Sic ergo dicendum est quod hæc unio, de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum ; in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est. Et ideo oportet dicere quod sit quiddam creatum » (1). Igitur ex hoc quod humana natura assumitur in unitate Personæ divinæ, exsurgit in humana natura *relatio realis* et hæc est formaliter unio hypostatica (2) : sicut ipsa substantia producta ex nihilo non est formaliter creatio, passive accepta, ita, proportione servata, ipsum existere humanæ naturæ assumptæ per ipsum esse personali Verbi Dei non est formaliter unio hypostatica, passive accepta ; sed sicut creatio, passive accepta, est *relatio* creatæ substantiæ ad Creatorem,

---

conduisant cette matière d'un état à un autre état, d'une forme à une autre forme, ou de la privation de toute forme à telle forme substantielle ; mais, simplement cause efficiente. Et voilà pourquoi une telle action n'entraîne, pour ce qui lui correspond du coté de la passion, qu'une simple *relation* ». Pègues, *Commentaire français littéral de la Somme théologique*, t. III, Toulouse, 1908, p. 48. Cf. Pignataro, *De Deo creatore*, Romæ, 1905, p. 53 s.

(1) III, Q. II, a. 7.

(2) Cf. Billot, *De Verbo Incarnato*, Romæ, 1900 (3u edit.) p. 146 ; Van Noort, *De Deo Redemptore*, Amstelodami, 1904, p. 32.

ita unio hypostatica, passive accepta, est *relatio* humanæ naturæ assumptæ ad Verbum.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Applicando quæ exponuntur apud* Collat. Brug., *t. VI, pp. 305 ss., expone quonam sensu virtus temperantiæ dicatur virtus cardinalis, tum sensu generico, tum sensu specifico; et ostende quænam et quanam ratione ad ipsam hoc altero sensu intellectam referantur variæ virtutes, aliæ ut partes subjectivæ, aliæ ut partes integrantes, aliæ ut partes potentiales.*

IV

Q. *Expone quænam et quanam ratione varia vitia et peccata variis his virtutibus opponantur.*

R. Circa finem recte disponitur homo per virtutes theologicas; circa media autem ad finem, per virtutes morales (1). In usu autem mediorum ad finem, non tantum humana *ratio* et *operatio* sunt bene disponendæ, (quod fit per virtutes *prudentiæ* et *justitiæ*); sed etiam passiones moderandæ sunt ne homo ob *delectabilia* (2) aut *difficilia* a prosecutione finis sui impediatur: quare ipsi necessaria fuit tum *temperantia* tum *fortitudo* (3).

I. Porro **temperantia** prout est **virtus cardinalis sensu generico** est hæc series, illud genus variarum virtutum quæ hoc commune habent quod moderantur

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, pp. 244 ss.

(2) Intellige: delectibilia, *præcipue* in ordine sensibili, non autem exclusive. Revera variis virtutibus annexis temperantiæ attribuitur objectum materiale tale quod, partim saltem, complectatur delectabilia ordinis rationabilis. Unde et istæ virtutes dicuntur subjectari, partim saltem, in appetitu superiori, np. in voluntate. Ita: humilitas, mansuetudo, studiositas.

(3) Cfr. S. Th., 2-2, q. 123, art. 1.

appetitum concupiscibilem (1), et servant ordinem a ratione vel etiam a fide indicatum, in variis passionibus (2) quæ ob delectabilia impellunt ad malum.

Dicitur: *servant ordinem.* Non enim istæ delectationes, sicut et passiones motusve animi ad eas, de se malæ sunt, sed potius honestæ et bonæ, utpote quas Creator voluit existere qua attrahentes et impellentes hominem ad operationes necessarias; virtutis prudentiæ est, ratione et fide illustrantibus, assignare medium virtutis, seu modum quo delectationes istæ appeti possint vel debeant; virtutum autem quæ temperantia vocantur hunc modum servare, ne homo excedat vel deficiat in illis appetendis (3), seu ut illas appetat et unice appetat quantum, qualiter, ubi, quando et quomodo oportet (4).

Temperantiæ hoc sensu generico intellectæ, opponuntur duo vitia generalia, seu potius duo genera vitiorum, quorum alia uno nomine vocantur *insensibilitas,* — quæ opponuntur per excessum, — alia vero *intemperantia,* — quæ opponuntur per defectum; quæ in sequentibus speciatim explicabuntur (5).

---

(1) Intellige, juxta dicta *nota* (2): tum appetitum inferiorem, tum appetitum superiorem. — Imo apte notat S. Thomas, 2-2, q. 161, art. 4, ad 2, varias virtutes, nomine *temperantiæ* vocandas. eo quod cum temperantia sensu specifico conveniunt in modo formali temperandi, subjectari in appetitu inferiori vel superiori *irascibili.* Ita humilitas, mansuetudo. Cfr. q. 137, art. 2, ad 1, et q. 157, art. 3 ad 2.

(2) Intellige juxta dicta; passiones appetitus inferioris, vel eos motus voluntatis qui dictis passionibus correspondent.

(3) Temperantia consistit circa concupiscentiam erga delectabilia, et inde ex consequenti circa tristitiam quæ oritur ex absentia talium delectabilium. 2-2, q. 141, art. 3.

(4) Notum est etiam alio sensu, minus recte tamen, temperantiam dici virtutem cardinalem, quatenus np. est conditio generalis omnis virtutis. Omnis enim virtus debet servare modum a ratione præscriptum, et sic esse moderata seu temperata.

(5) AA. interdum idem vitium, puta gulam, dicunt alicui virtuti opponi, alii *per excessum,* alii *per defectum.* Quæ est mera lis de verbis. Qui enim *non satis* temperatus est, puta in appetendis delectationibus cibi et potus, — et sic peccat *defectu,* simul potest dici peccare *excessu,*

II. Temperantia prout est virtus cardinalis sensu specifico est inter varias virtutes seriei de qua sub I, hæc virtus quæ perfectissime verificat rationem communem toti generi, ea nempe quæ ordinem servat in passionibus illis vehementibus appetitus inferioris, quæ sunt circa delectationes præcipuas, id est maximas et adnexas operationibus maxime necessariis, nutritionis et generationis : moderatur nim. delectationes tactus (1) quæ sunt circa usum cibi et potus, et circa usum venereorum.

Ad virtutem temperantiæ hoc sensu stricto intellectam, referuntur quasi ad virtutem præcipuam seu caput, et quasi ad cardinem omnes virtutes totius seriei, varia tamen ratione :

A. Aliæ ut partes subjectivæ, in quibus nempe ratio virtutis illius specialis perfecte verificatur, sicut ratio generis solet verificari in speciebus suis. Sunt nempe :

Abstinentia, quæ versatur circa delectationes cibi et potus communiter sumpti. *Sobrietas,* quæ circa delectationes potus inebriantis. *Castitas*, quæ circa delectationes venereas. Ad hanc ultimam refertur *pudicitia* quæ est eadem virtus castitatis in quantum speciatim dicit abstinentiam ab actibus castitati oppositis etiam imperfectis seu non consummatis ; — et *virginitas* quæ est virtus a castitate distincta (2).

Quæ tres virtutes tenent medium inter vitia utrinque

---

quatenus *nimis* utitur delectationibus. Rectius tamen dicitur gulam, opponi abstinentiæ *per defectum* : si enim virtus dicitur mediare inter duo vitia, rectius hæc vitia definiuntur ratione oppositionis quam habent ad virtutem, ita ut gula v. g. dicatur vitium illius qui *deficit in abstinendo,* seu non satis abstinet.

(1) Attamen, etiam reliquæ delectationes sensibiles, puta visus, auditus, reliquæ tactus, sunt objectum virtutis temperantiæ stricte dictæ, sed secundarium tantum et de consequenti, in quantum nim. conferre possunt ad augendum delectationes proprias adnexas actibus essentialibus nutritionis et generationis. Cfr. Ill. Waffelaert, *De Prud., Fort. et Temp.*, p. 114 ss.; *Collat. Brug.*, t. III, pp. 366 s.

(2) De hac distinctione, cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, pp. 373 ss.

opposita, rite disponentes hominem ne *nimis* vel *minus* quam recta ratio fert, temperet delectationes respectivas earumque appetitum. Ex ordine enim a Deo statuto, delectationes additæ sunt variis actibus ut quibus homo impellatur ad dictos actus ponendos. — Ita

a/ Abstinentiæ **opponitur**, per excessum, vitium *insensibilitatis* circa cibum, quo nempe aliquis a cibo sumendo abstineret, eo motivo quod delectationem ipsius haberet tanquam malam in se. Vitium sane rarum (1); — per defectum vero vitium *gulæ* seu *crapulæ* qua quis ita immoderate concupiscit delectationes cibi, vel iis fruitur, ut sive affective, sive affective et effective simul, agat propter *solam* delectationem, seu, quod idem est, ita ut sive inefficaciter (sola np. intentione) sive efficaciter (intentione et opere), excludat finem operis quem Deus voluit his actibus delectabilibus attingi (2).

Ab utroque vitio cavet abstinentia, ab excessu et a defectu, et a defectu quidem tum actu inferiori, vitando excessum peccaminosum, in cibo et potu, tum actu perfectiori quod vocatur jejunium, impellendo, ut in quantum recta ratio patitur etiam cibos non excessivos a nobis subtrahamus ex motivo virtutis, nim. ut reprimatur concupiscentia, mens elevetur, satisfiat pro peccatis, et facilius illicitus excessus vitari possit.

b/ Sobrietati **opponuntur** iterum : per excessum vitium aliquod de genere *insensibilitatis,* quo quis refugeret a delectationibus hujus potus tanquam a malis in se (3); per defectum vero vitium *ebrietatis,*

---

(1) Hinc qui a cibo sumendo *nimis* abstineret ob aliud motivum, puta ut sanitati noceat, ut se occidat, ut se reddat ineptum officiis suis, non quidem committit peccatum insensibilitatis, oppositum abstinentiæ; — etsi sane peccet contra alias varias virtutes, puta justitiam, caritatem sui, pietatem, etc.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. III, 368 ss.; Ill. Waffelaert, *o. c.*, pp. 118 ss.

(3) Iterum qui ex alio motivo *nimis* abstineret ab hujusmodi potus, non peccat vitio insensibilitatis, sed contra alias virtutes, ut si quis sineret se siti interire.

quo quis ita immoderate has delectationes appetit ut turbetur vel etiam impediatur directe usus rationis.

Ob utroque vitio cavet sobrietas, ab excessu et à defectu; et a defectu quidem tum actu inferiori, vitando excessum peccaminosum in potu, tum actu perfectiori, abstinendo ex motivo virtutis, puta pœnitentiæ vel caritatis fraternæ, etiam a potu non excessivo.

c/ Castitati item **opponuntur**: per excessum vitium *insensibilitatis*, de qua valent statim dicta (1); per defectum vero duo vitia, np.: *luxuria*, quæ est circa actus consummatos, et *impudicitia*, quæ est circa actus non consummatos. His enim vitiis indulgens sive affective sive etiam effective, excludit finem operis a Creatore actibus venereis præstitutum. Finis autem completus actuum venereorum est propagatio speciei humanæ, ad quam spectat tum generatio tum debita corporis et animæ educatio prolis in legitimo matrimonio obtinenda (2). Unde ad *luxuriam* spectant peccata duplicis generis: alia np. excludunt ipsum finem generationis et recte dicuntur consummata *peccata contra naturàm*, id est non tantum contra naturam rationalem, sed etiam contra naturam animalem, utpote quæ frustrant ipsas vires physicas fine suo intrinseco: quæ sunt specifice distincta: pollutio, onanismus, sodomia imperfecta, sodomia perfecta et bestialitas; alia, servata physica destinatione virium genitalium, per se tamen pessumdant debitam educationem prolis forte nascituræ, et dici possunt *peccata juxta naturam* animalem, sed contra naturam rationalem, quum in iis non servetur ordo a ratione naturali indicatus: est autem una species simplex: fornicatio; præter quam dantur et alia peccata complexa, in quibus peccato luxuriæ adduntur aliæ

---

(1) Item valent dicta in *notis* præc. Sic conjux qui sine justa causa denegat comparti debitum conjugale, puta ex ira, non peccat contra castitatem ratione insensibilitatis, sed contra justitiam.

(2) Cfr. De Smet, *De Matrimonio*, pp. 60 s., 141 s.

species contra alias virtutes; quæ sunt: adulterium, raptus, stuprum tum stricte tum late dictum, incestus et sacrilegium. Ad impudicitiam vero spectant actus non consummati, seu inchoationes actus completi, participantes eamdem delectabilitatem veneream. Qui sunt aspectus, tactus, oscula et amplexus, in quibus quæritur vel voluntarie admittitur delectatio venerea quæque ideo libidinosa dicuntur.

Nota. Apparet contra virtutes allatas, sicut contra quamlibet aliam virtutem, posse peccari sive *actu externo*, sive *actu mere interno*, et hoc sive approbando peccatum præteritum, sive desiderando futurum, sive morose delectando seu consentiendo in ipsam delectationem peccati sibi repræsentati ut præsentis.

B. Aliæ ut **partes integrantes**, illæ np. quæ requiruntur ut actus virtutum temperantiæ stricte dictæ (enumerantur sub A) facilius et perfectius exerceantur. Sunt nimirum: *verecundia*, id est timor opprobrii et consequenter actus turpis ex quo maxime causatur exprobratio, — et *honestas* quæ est amor pulchritudinis qua specialiter relucent dictæ virtutes. Quæ duæ non sunt, stricte loquendo, duæ virtutes, sed duæ potius passiones et dispositiones. Unde nec etiam proprie dicta vitia **opponuntur**, sed potius dispositiones, quæ ubi rectæ rationi repugnant, vitiosæ dicendæ sunt. Talis esset, puta, defectus verecundiæ qua laborant homines in peccatis profundati (1).

C. Aliæ ut **partes potentiales**, seu ut virtutes adnexæ et secundariæ: sunt nempe illæ quæ cum temperantia stricte dicta conveniunt in eo quod refrænant appetitum in aliquid tendentem, sed et ab ea differunt quatenus non moderantur — aut nonnisi imperfecte (2), — illas delectationes maximas tactus quas temperantia stricte dicta moderatur.

---

(1) Cfr. 2-2, q. 144, art. 4.
(2) Incontinentia.

Tales enumerat S. Thomas quatuor, quæ sunt:

1. *Continentia,* quæ proprie virtus non est, sed bona dispositio, firmum propositum voluntatis resistendi pravis concupiscentiis circa tactum, quæ in anima existunt adhuc vehementes. Ipsi opponitur *incontinentia*, quæ iterum non est vitium, sed potius vitiosa dispositio voluntatis, qua quis dictis concupiscentiis vehementibus non resistit.

2. *Mansuetudo*, quæ est virtus moderativa passionis iræ, cui opponitur per excessum *nimia lenitudo* seu *inirascentia,* et per defectum *iracundia.*

3. *Clementia*, quæ est lenitas voluntatis moderatrix pœnarum in quantum ratio justitiæ patitur; cui opponitur per excessum *nimia lenitas* et per defectum *crudelitas.*

4. Variæ virtutes quæ uno nomine dicuntur *modestia*, eo quod moderantur ea quæ mediocrem habent difficultatem. Quæ sunt

a/ *Humilitas*, refrænans appetitum ne immoderate tendat in excelsa; cui opponitur per excessum: *nimia sui abjectio,* et per defectum *superbia.*

b/ *Studiositas*, moderans studium cognoscendi; cui opponitur per excessum *negligentia* et per defectum *curiositas.*

c/ *Modestia morum*, moderans motus externos qui serio fiunt, et *eutrapelia* seu jucunditas moderans motus externos qui fiunt per modum ludi et joci. Modestiæ morum opponitur per excessum *rusticitas* seu *cruditas morum*, et per defectum *affectatio* seu *petulantia;* eutrapeliæ vero per excessum *morositas* et per defectum *scurrilitas.*

d/ *Modestia cultus seu apparatus,* moderans apparatum rerum externarum, puta vestium, suppellectilis, conviviorum, etc., consideratis statu et conditione personarum, loci, temporis et consuetudine approbata. Cui opponitur per excessum *neglectus apparatus*, et per defectum *luxus supra statum.*

A. Vander Heeren.

V

Q. *Da notionem theologiæ asceticæ, indicando præcipue discrimen cum theologia morali.*

R. Theologia ascetica (1) definiri potest *scientia perfectionis christianæ per vias ordinarias assequendæ.* Per verba: *perfectionis christianæ* distinguitur tamquam theologia moralis perfectior a simplici theologia morali; addendo autem: *per vias ordinarias assequendæ,* distinguitur a theologia mystica proprie dicta, quæ exponit *vias extraordinarias* ejusdem perfectionis christianæ.

Porro ut notio ista fiat distinctior ac simul appareat discrimen cum theologia morali (2), hujus assumimus definitionem receptam: Theologia moralis est scientia, revelationi innixa, legum et mediorum, quibus homo, ad ordinem supernaturalem elevatus, dirigitur et adjuvatur, ut juxta Dei ordinationem vivat, et ad salutem perveniat (3).

Dicitur 1. *innixa revelationi.* Theologiæ moralis, sicut et asceticæ, *principium proprium et principale* est revelatio divina, non arbitrio cujusque explicanda, sed ab Ecclesia catholica proposita et explicata (4).

Unde duo sunt fontes theologiæ asceticæ: *fons mortuus,* ut aiunt, seu revelatio contenta in Scriptura et Traditione; *fons vivus* seu magisterium Ecclesiæ. Hujus *organum primarium et immediatum* est auctoritas eccle-

---

(1) Ascesis, ἄσκησις apud græcos designabat *exercitationem* necessariam ad ludos publicos, cursu vel pugilatu perficiendos. Apud christianos est exercitatio necessaria ad obtinendum finem ultimum (1 Cor. IX, 24 ss.; 1 Tim. IV, 7 ss.). Nunc solet illa vox adhiberi sensu strictiori de exercitatione necessaria ad perfectionem assequendam, prout distinguitur a justitia christiana. Cf. Mutz, *Christliche Aszetik,* Paderborn, Schöningh, 1907, p. 25.

(2) De theologia mystica aliquid indicavimus *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 348, et conferri potest Poulain, *Des grâces d'oraison. Traité de théologie mystique,* 5ᵉ éd., Paris, Retaux, 1906. Nuperrime prodiit sexta editio.

(3) Cf. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n 3 sq.; ed. 3ª, n. 13 ss.

(4) Ita distinguitur ascetica catholica a protestantica.

siastica, constans R. P. et Episcopis; *organum secundarium et mediatum* sunt scripta Patrum et theologorum asceticorum seu doctorum vitæ spiritualis (1).

Principium vero *secundarium* est lumen rationis, quod veritates practicas (regulas et media) demonstrat (pars *positiva*), eas exponit (*scholastica*) et ad casus particulares humanæ vitæ applicat (*casuistica*).

2. *Legum et mediorum, quibus homo, ad ordinem supernaturalem elevatus, dirigitur et adjuvatur.*

Sedulo hoc notetur oportet: spectatur homo *in ordine supernaturali*, destinatus nempe ad finem supernaturalem, ac proinde instructus mediis supernaturalibus, at *in statu naturæ lapsæ reparatæ*. Hinc diversa est ascetica christiana ab ascetica paganorum, puta philosophorum Stoicorum, ab ascetica in statu innocentiæ, in quo vix necessaria erat exercitatio, et ab ascetica Veteris Testamenti.

Legum quibus homo *dirigitur*, et *mediorum* quibus *adjuvatur*. Hic indicatur *objectum materiale*. At objectum theologiæ asceticæ sunt non tantum leges seu præcepta, sed etiam, et quidem præcipue consilia (2).

3. *Ut juxta Dei ordinationem vivat, et ad salutem perveniat.*

Hic indicatur discrimen inter theologiam moralem et asceticam: hujus nimirum *finis est altior* atque perfectior. Non tantum contendit ducere hominem ad justitiam christianam seu vitam christianam communem, sed ad perfectionem seu vitam christianam perfectam (3).

Finis igitur est *inadæquate distinctus;* ideo etiam distincta est materia: distinctæ np. *regulæ* quibus homo

---

(1) Distinguuntur ab auctoribus mysticis sensu proprio. Obiter nota verba: *theologia mystica, auctores mystici* sumi etiam sensu generico, ita ut complectantur et asceticam et mysticam. Ita *Imitatio Christi* non raro vocatur opus mysticum, quamvis opus sit præcipue asceticum.

(2) Vide distinctionem expressam ab ipso Christo Mt XIX, 16 ss.

(3) Quid sit perfectio christiana exponetur in responso mensis proximo sequentis.

dirigitur, præcepta scilicet servanda modo perfectiori ac insuper consilia evangelica; distincta etiam *media* quibus adjuvatur homo, saltem quoad modum quo offeruntur a Deo et adhibentur ab homine.

Hinc merito concludimus theologiam asceticam esse theologiam moralem perfectiorem, quæ sequenti modo describi posse videtur: Est scientia, revelationi innixa, regularum et mediorum, quibus homo, ad ordinem supernaturalem elevatus, dirigitur et adjuvatur, ut juxta Dei ordinationem vivat, non tantum præcipientem sed et consulentem, et sic securius atque perfectius assequatur finem ultimum.

H. MAHIEU.

VI

Q. *Quasnam reverentias præstare debet sacerdos celebraturus dum deferens calicem accedit ad altare?*

R. Sequentia habet *Ritus celebrandi, De ingressu sacerdotis ad altare*, I.: « *Sacerdos omnibus paramentis indutus*, imposito sibi bireto, *accipit manu sinistra calicem... præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextera* extensa *super calicem tenens, et facta* capitis congrua (1) *reverentia cruci vel imagini illi quæ in sacristia erit,* si commode fieri potest se signat (2) cum aqua benedicta et *capite cooperto accedit ad altare* (3).

Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante altare majus

---

(1) Fit in signum reverentis salutationis, adeoque juxta principia generalia (ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 160, 304) non fit corporis sed capitis inclinatio, maxima quidem, si salutanda sit crux vel imago Christi, minor vero vel minima, si reverentia sit exhibenda imagini B. M. Virginis vel Sancti alicujus.

(2) Decr. S. R. C., n. 25144.

(3) Si sacristia sit post altare, « a sacristia e parte evangelii est egrediendum, e parte epistolæ ad illam accedendum ». Dec. S. R. C. n. 3029[12].

(in quo supponitur non asservari Sanctissimum), *capite cooperto faciat ad illud* profundam capitis *inclinationem; si ante locum Sacramenti*, capite cooperto *genuflectat* dextero genu; *si ante altare ubi celebratur Missa in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectit* utroque genu, *et detecto capite illud adoret, nec ante surgat quam celebrans deposuerit calicem super corporale* ».

Ex his rubricis, collatis nonnullis decretis, attentisque principiis generalibus et doctorum sententiis, deducuntur regulæ servandæ.

A/ Procedere debet « **oculis demissis** ». Quam præscriptionem tanti faciunt Rubricæ ut eam expressis verbis repetant quoties celebrantem ad populum converti jubent (*Ritus*, V, 1; VII, 7; XII, 1). Ideo quaquaversum ne circumspiciat sacerdos quid agatur in ecclesia nec quærat quid sit salutandum; iis tantum reverentiam exhibere debet quæ majori reverentia sunt digna et quæ vix aut ne vix quidem etiam oculis demissis ignorare potest, ut patebit ex statim enumerandis.

Unde transiens « ante aliud altare in quo tunc Missa celebratur et est inter consecrationem et communionem » nullam præstare debet reverentiam (1). Idem nobis dicendum videtur de reliquia S. Crucis aut alia non speciali modo exposita sed recondita in custodia (2).

B/ Juxta rei naturam et principia generalia, **reverentia externa proportionata** sit oportet non tantum dignitati personæ quæ veneranda est sed etiam modo diverso quo eadem persona adorationi aut venerationi nostræ sese exhibet. Unde:

---

(1) Decr. S. R. C. *Rhemen.* 20 maii 1904. Cf. adnotationes ap. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 671 ss. Juxta hoc decretum antiquior communis opinio contraria corrigenda est.

(2) Aliter sentiunt multi auctores, sed decretum n. 23907, ad quod provocant, non videtur agere de celebrante calicem deferente; et scribebant ipsi ante citatum decretum 20 maii 1904, quod plures reverentias ab iisdem auctoribus olim præscriptas suppressit.

1/ *Genuflexio duplex* est facienda si celebraturus transeat ante vel prope SS. Sacramentum quod patenter exhibetur populo, nempe a/ in expositione publica aut privata (1); b/ in benedictione cum ostensorio aut pyxide; c/ in delatione processionali vel simplici; d/ in elevatione hostiæ aut calicis; e/ in communione clericorum aut fidelium. Quibus casibus sacerdos flectat utrumque genu et apertum caput profunde inclinet; quodsi cæremonia brevi sit absolvenda, ut in benedictione, delatione et elevatione, remaneat genuflexus usque dum celebrans Sacramentum deposuerit vel e conspectu amittatur; sin autem longior sit ritus, puta in expositione aut populi communione (2), statim assurgat et procedat.

2/ *Genuflexio simplex*, unico genu, cooperto capite est facienda, si sacerdos calicem deferens transeat a/ ante SS. Sacramentum tabernaculo inclusum (3), b/ ante reliquiam S. Crucis aut passionis quæ sit solemniter exposita (4).

3/ Tandem mera *capitis inclinatio* facienda, a/ si transeat sacerdos ante altare majus (non ante alia altaria) (5) b/ si proxime obvium habeat episcopum aut prælatum.

C/ Quod spectat **capitis detectionem**, sedulo notandum est calicis delationem sacerdoti in casu esse impedimento quominus facile biretum auferat aut sibi imponat. Quare, nonobstante **regula generali** qua quicumque non impeditus ad omnem reverentiam (genuflexionem vel capitis inclinationem) debet caput detegere, merito tamen Rubricæ speciale quid statuunt pro sacerdote calicis delatione impedito: ut nempe ad *summam*

---

(1) Decr. S. R. C. 7 maii 1746, *Varsavien.* n. 23904.
(2) Decr. S. R. C. 5 jul. 1698, *Collen.* n. 20021 4.
(3) *Ritus celebrandi* II, 1.
(4) Cf. S. R. C. 7 maii 1746, *Varsavien.* n. 23907.
(5) *Rit. celebr.* II, 1.

reverentiam tantum (1), ratione SS. Sacramenti expositi, debeat caput detegere.

Quare nec ad capitis inclinationem (2) (suprà B, 3) nec ad simplicem genuflexionem (B, 2) sed tantum in duplici genuflexione, quamdiu manet genuflexus, caput apertum habere debet.

Exinde facilius solvi potest quæstio inter Auctores agitata: utrum debeat sacerdos calicem gerens caput detegere statim ac in conspectu Sanctissimi expositi venit et manere nudo capite quamdiu Sanctissimum e conspectu non amisit, an vero debeat tantum biretum auferre post genua flexa illudque rursus assumere antequam surgat?

Prima agendi ratio a multis auctoribus inculcatur, eaque certe servanda est ab iis qui non sunt impediti (etiam a sacerdote celebraturo missam solemnem), imo et servari potest a celebrante calicem deferente. Nihilominus facilior et spiritui rubricarum magis conformis videtur nobis altera quæ proponitur praxis, ut nempe pergat « cooperto capite », ante Sanctissimum genua flectat, caput detegat et inclinet et biretum assumat antequam surgat.

C. Callewaert.

---

(1) *Rit. celebr.* II, 1. De solo hoc casu ait Rubrica « detecto capite illud adoret »; contrà de simplici genuflexione ante « altare majus » expresse addit « capite cooperto ».

(2) Quod valet etiam de reverentia seu capitis inclinatione facienda in sacristia: nam et hæc facienda est, juxta rubricam, postquam jam « accepit calicem », in ipso nempe discessu.

De intrinseca malitia fornicationis

Notum est tritum argumentum quo probant moralistæ malitiam intrinsecam fornicationis: Fornicatio est concubitus qui per se caret ordine naturali ad suum finem, scilicet educationem prolis. Nota est etiam trita distinctio inter *per se* et *per accidens* qua solet responderi variis objectionibus contra hanc malitiam intrinsecam ejusque probationem afferri solitis. — Non semper tamen hæc distinctio rite intelligitur vel et exponitur. Sic etiam clar. Noldin, in opere suo *De sexto præcepto et usu matrimonii* (ed. 10ª, n. 17) hoc modo solitæ objectioni occurrit: « Adversatur (fornicatio) bono prolis atque ideo propagationi generis humani... vagus concubitus vergit in perniciem societatis humanæ: proli enim cujus apta educatio non solum curam matris, sed etiam curam patris exigit, non satis providetur... Et licet *per accidens* a fornicario proles bene educaretur, semper tamen fornicatio grave peccatum est, quia considerandum est, quod *communiter et ordinarie,* non quod *per accidens* evenit. » Unde ratio malitiæ intrinsecæ fornicationis videtur hic desumi ex *facto* quod fornicatio *ordinarie* nocet educationi prolis, et nonnisi *raro* eam salvat. Jamvero hæc nequit esse ratio illiceitatis: Si ratio illiceitatis est in eo quod *de facto* fornicatio noceat educationi, cur in casu quo *de facto*, omnimoda certitudine, obtinetur optima educatio, cur fornicatio manet mala? Quid enim ex jure naturæ refert ad moralitatem *hujus* determinatæ copulæ, quod *in aliis* copulis similibus pessumdatur educatio? An *hic* actus est malus, quia *alii* mali sunt? Et quid si pauci tantum homines viverent in terra, et *omnes de facto* variis contractibus superadditis fornicationi suæ, providerent debitæ educationi, num tunc rueret malitia fornicationis?

Unde hic est sensus distinctionis adhibendæ: Forni-

catio est mala intrinsece, quia *per se*, id est natura sua, essentia sua, definitione sua pessumdat educationem prolis: *est* enim fornicatio et definitur: concubitus vagorum, id est solutorum a vinculo matrimoniali, adeoque concubitus inter tales inter quos deficit vinculum naturale eos obligans ad debitam educationem. Sane in casibus specialibus (non dico: raris), poterunt fornicatores, *contractu superaddito, de facto* optime providere huic educationi prolis forte nascituræ, sed sic non mutatur natura intrinseca ipsius actus quem ponunt; sicut non sanatur defectus intrinsecus pollutionis, ex eo quod de facto postea semen sic emissum adhiberetur a marito ad generationem prolis apud uxorem obtinendam: sanantur quidem pravi *effectus* actus positi, ast non mutatur natura *actus* nec sanantur defectus ipsius (1).

Distinctio inter *per se* et *per accidens* usus quidem frequentissimi, sed exinde etiam periculosioris.

Immerito, ut videtur, hi termini, ubi mutuo opponuntur, adhibentur tali sensu quo significent: *ordinarie* et *interdum;* immerito certe dicitur apud *Dictionnaire de Theologie catholique* (Vacant-Mangenot), art° *Danse,* his terminis in re morali proprie competere sensum hunc indicatum. Contra sensus ipsis proprius hic videtur ipsis retinendus, quo dicant: ex natura rei — et — vi alicujus quod naturæ rei est extrinsecum. Quo sensu præsertim usu venit frequenter in tractatibus de Castitate et de Matrimonio. Cogita quæstiones de malitia fornicationis, de malitia actuum non consummatorum, de liceitate copulæ maritalis cum uxore gravida, vel vetula vel aliunde sterili, de matrimonio ineundo vel de usu matrimonii cum uxore orbata ovariis, etc.

A. Vander Heeren.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. III, pp. 432 ss.

De Luxuria voluntaria in causa

Quæstio de luxuria in causa voluntaria non raro variis dubiis locum præbere potest, tum circa ipsa *principia* quibus hæc materia regitur, tum circa varias *applicationes* quæ ex iisdem deducuntur. Non erit proinde inutile

1°/ recolere *ipsa principia* in theologia morali fundamentali tradi solita; quæ principia, quo melius pateat eorum sensus et vis, applicabimus alii cuidam materiæ notissimæ, materiæ nim. scandali;

2°/ hæc eadem principia *applicare* materiæ de qua agitur.

Juvabit autem imprimis prænotari:

Status quæstionis.

Quæstio est quousque pollutio aliive effectus in genere venereorum, non intenti quidem, sed de facto tamen consequentes ad aliquam actionem plus minusve influentem, sint agenti imputandi in peccatum.

Hinc:

1°/ Non agitur de casu illius qui consequenter ad actionem quam nunc advertenter ponit, prævidet se inadvertenter *commissurum actum* luxuriosum: ut si quis se inebriat prævidens se in ebrietate sua procuraturum esse pollutionem in proprium corpus. Quo casu applicentur dicta de peccatis in ebrietate commissis (1).

2°/ Non agitur de casu illius qui prævidet ad actionem quam nunc ponit consecuturam esse pollutionem v. g., tanquam merum effectum; sed simul tamen prævidet majus vel minus *periculum ne consentiat* delectationi effectus venerei quando fiet. Revera consensus præstitus delectationi venereæ certe graviter peccaminosus est, et proinde qui se exponit periculo talis

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *De Prud. Fort. et Temperantia*, pp. 210 ss.; cfr. etiam supra, pp. 142 ss.

consensus, eo ipso se exponit periculo peccati formalis; adeoque eo momento quo causam ponit, jam committit peccatum ratione *affectus* ad effectum venereum; quod si postea de facto pollutio vel effectus venereus locum habet, et delectationi ipsius consentitur, additur peccatum *externum* numerice identicum cum peccato interni affectus vel numerice ab ipso distinctum, prout dictus affectus censetur moraliter perseverasse vel non (1).

3°/ Non agitur, præcipue saltem, de casu illius qui ponit causam *ex intentione* ipsius effectus venerei secuturi; ut si quis nunc habet tactus impudicos, vel indulget ebrietati, vel balneum sumit, *ut* sequatur pollutio. Hoc casu patet semper haberi peccatum contra castitatem. — Quæri ulterius potest utrum vel quandonam hoc peccatum imputandum sit tanquam peccatum externum, vel internum tantum. Quæ quæstio aptius infra solvetur.

His præmissis, sint

A. Principia generalia de voluntario in causa.

Ut effectus malus, non intentus, sed sequens ex actione vel omissione, dicendus sit voluntarius, adeoque ponenti causam sit imputabilis ad peccatum, tres requiruntur conditiones:

1°/ ut *ipsa causa libere ponatur;* effectus enim non potest esse magis voluntarius et hac ratione magis imputabilis quam ipsa causa.

Ita si quis physice necessitatur ad quamlibet actionem, ex qua proximus prævidetur in peccatum inducendus seu scandalizandus, hoc peccatum proximi etsi aliquo sensu dici possit effectus dictæ actionis, minime tamen ponenti causam est imputandus. Ut si physica vi cui resistere non valet cogitur quis ad genuflectendum coram idolis, minime ipsi imputabitur quod alii christiani, æstimantes libere eum egisse, inde ansam sumant a fide deficiendi. — Hinc apparet quo sensu dicant AA.

---

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *o. c.*, pp. 283 ss.

a peccato scandali excusare necessitatem agendi absolutam, sive ordinis physici sive ordinis spiritualis; melius diceretur tali casu *deesse scandalum*, activum np.

2°/ ut ipse effectus fuerit *aliquo modo prævisus;* nihil enim volitum vel voluntarium, nisi cognitum.

Ita si quis actione pessima quam putat solum et in occulto se patrare, de facto tamen alium ad peccatum inducit, iterum hoc peccatum, etsi aliquo sensu dici possit effectus dictæ actionis, non tamen imputatur ponenti causam. — Item si quis, præter exspectationem suam, furando aliudve malum committendo, alium quem perfectæ virtutis æstimabat, ad similiter peccandum inducit, nullum ex hoc capite reatum incurrit.

3°/ Quæ duæ conditiones si adsunt, nondum tamen necessario imputatur effectus prævisus, ad peccatum. Imprimis enim *dari potest ratio sufficiens* ponendi causam et permittendi pravum illum effectum. Casus erit si verificantur quatuor conditiones notissimæ, si np. a/ causa ipsa de se bona est vel saltem indifferens, et b/ ex ea sequatur, præter effectum malum, alius etiam effectus bonus (1), modo tamen c/ effectus malus non intendatur tanquam finis nec sit medium per quod obtinendus effectus bonus (2), et d/ simul sit, omnibus (3) inspectis, ratio sufficienter gravis ut permitti possit effectus malus.

Quodsi talis ratio sufficiens deest, ulterius, — et hic

---

(1) Quæ verba ne sic intelligas ac si necessario requireretur *effectus bonus, distinctus ab ipsa causa*. Si enim ipsa causa bona est et omnibus inspectis bonitate sua præcellit momento effectus mali prævisi, jam apparet licite poni talem causam.

(2) *Hoc sensu* intellige dictum AA.: requiri ut effectus bonus *æque saltem immediate* ex causa posita sequatur ac effectus malus. Hæc enim verba minime significant requiri ut tempore prius, vel etiam ut eadem certitudine vel probabilitate, effectus bonus obtineatur ac effectus malus, sed mere significant requiri ad liceitatem causam ponendi ne effectus bonus obtineatur *per* effectum malum. Tali enim casu effectus malus non posset non intendi, quum sit medium ab obtinendum-effectum bonum.

(3) Inspectis nim. momento effectus utriusque, boni et mali, majori vel minori certitudine qua uterque obtinebitur, ipsa bonitate causæ in se spectatæ, etc.

jacet punctum præcipuum infra attendendum in dijudicanda luxuria voluntaria in causa, — investigandum manet utrum effectus sequatur *per se* an vero *per accidens* tantum.

Dicitur sequi *per se* si ipsa causa, *natura sua,* dictum effectum secum ferre nata est, etsi per accidens, id est ob adjuncta specialia ipsi causæ extrinseca, effectus possit *de facto* non obtineri; contra dicitur sequi *per accidens*, si actio posita potest quidem *de facto* secum ferre talem effectum, quamvis non *natura sua* nata sit illum habere; unde in casu vera causa dicti effectus aliquid aliud est, ita ut actio posita mere se habeat per modum occasionis aut conditionis.

Quæ utraque notio optime intelligetur exemplis e materia scandali desumpti: Si Titio *suadeo* vel *jubeo* ut furtum committat, hoc furtum a Titio commissum recte dicitur *per se* sequi ex actione mea: ipsa enim actio mea, quam ego totam pono, suadendi vel jubendi, *natura sua* nata est inducere Titium ad furtum; sane Titius *de facto* poterit non furari, seu poterit suasio mea *de facto* suum effectum non operari, sed hoc minime est ob aliquem defectum *causæ* quam posui, suasionis np. meæ, sed ob aliquid huic suasioni extrinsecum, nempe ob justam et honestam Titii indolem. — Contra, si nil suadendo vel jubendo, ex agro vicini mei aufero partem frumenti, prævidens Caium, meo exemplo attractum, et ipsum furtum commissurum, — hoc furtum utique aliquo sensu dici potest effectus actionis meæ; ast non possum dici *stricto sensu causa* peccati Caii, sed potius dicendus sum præstitisse *occasionem* qua posita, prava indoles Caii, ad injustitiam prona, exardescens ad furtum ipsum induxit. Dum in primo casu recte diceres *suasionem meam* esse causam furti Titii, in altero casu aptius diceres *peculiarem indolem Caii* furti sui esse causam (1).

(1) Scandalum primo casu vocari potest *stricte inductivum,* seu per

Jamvero

a/ si effectus sequitur *per se* ex causa posita, ipse pleno jure imputatur ponenti causam; (nisi tamen ut dictum est supra, adsit ratio sufficiens causam ponendi, et effectum malum permittendi). Qui enim talem causam ponit in qua stricto sensu effectus continetur, eo ipso censendus est ipsum effectum admittere. Eadem lex quæ prohibet quominus immediate efficiam aliquem effectum, prohibet quominus ponam causam unde ex ipsa natura causæ positæ sequatur. Et ideo si Titio suadeo ut furtum committat, hoc peccatum furti si de facto committitur, pleno jure mihi imputatur, et quidem ut peccatum externum: vero sensu dices quod *ego feci furtum committi*. Hinc in scandalo stricte inductivo (suadendo, jubendo, petendo), non tantum habetur peccatum contra *caritatem*, sed etiam peccatum externum contra virtutem lædendam, in casu contra *justitiam* (1).

---

modum stricte dictæ causæ (moralis) ad peccandum inducens; in altero casu dicetur *late inductivum*, seu per modum causæ moralis minus stricte dictæ. — (Vocatur apud Ill. WAFFELAERT, *Annot. in Bouquillon*, scandalum *directum* et *indirectum*. Similiter apud *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 99 ss.). Primo casu actio mea est causa *per se* furti a Titio committendi: altero casu est causa *per accidens:* Scilicet subjiciantur analysi hæ duæ actiones « suadere Titio furtum » et « committere furtum coram Caio », apparebit in prima actione contineri quod sit *natura sua inductivum ad peccatum;* in altera vero hoc non ita continetur.

(1) Additur: *nisi tamen aliunde adsit ratio sufficiens causam ponendi et permittendi pravum effectum.* In casu scandali stricte inductivi hæc restrictio applicationem non habet: etenim hic ipsa causa posita: inducere aliquem ad peccatum, est intrinsece mala; item ipse effectus malus a suadente vel jubente necessario intenditur. — In aliis tamen materiis casus optime dari potest, (ut patebit etiam ex dicendis, ubi de luxuria voluntaria in causa). Ita si mulier gravida ad sanandum morbum quemdam mortalem, indigeret præcise tali pharmaco quod natura sua physica erit occisivum fœtus et abortum procurabit, licite tamen poneret hanc causam, ex intuitu effectus boni obtinendi. Hoc autem et similibus casibus causa posita relate ad effectum secututum equidem est et manet causa per se *in ordine physico;* attamen, cum nihilominus licite ponatur, hac ratione, aliquatenus saltem, *æquiparatur* causis per accidens, seu censetur causa per accidens *in ordine morali* seu imputabilitatis. Quod sic *Collat. Brug.*, t. I, pp. 285, *nota* 1°, juxta tract. ILL. WAFFELAERT, *de Temperantia*,

b/ si vero effectus sequitur *per accidens* tantum, apparet non eodem jure ipsum imputari ponenti causam: ponens enim *talem* causam non potest *vero sensu* dici, in ordine physico, *causasse* effectum; et ideo ut talis effectus agenti imputetur moraliter, probanda est *specialis* obligatio vitandi causam ideo ut vitetur effectus. Talis obligatio sane interdum probari potest, minime tamen semper.

Optimam applicationem habes in materia scandali.

a/ Si minime suadendo vel jubendo, si nulla causalitate *stricte dicta* influendo in Titium, de facto tamen ipso teste furtum committo, et sic *de facto* occasio sum cur et ipse furetur, actio mea est causa per accidens relate ad actum Titii. Jamvero hoc casu incurro quidem reatum contra *caritatem*, sed, secus ac in casu præcedente, non pecco contra *justitiam*. Ratio autem hæc est: peccatum furti a Titio commissum, duo habet: et quod sit *peccatum* et sic malum spirituale Titio; — et quod sit peccatum *injustitiæ*. Unde ex duplici virtute possem prohiberi a tali causa ponenda: ex caritate et ex justitia. Revera autem: etsi effectus, malum scil. spirituale Titii, per accidens tantum sequatur ex actu meo, nihilominus positive probatur me ex virtute *caritatis* teneri ad impediendum malum illum effectum et ideo ad vitandam causam: si enim ex caritate obligamur ad *avertendum* proximum a peccato (vide tract. de carit., ubi de correptione fraterna), a fortiori ex caritate vetamur ne ipsi occasionem præbeamus peccandi. Hinc in omni peccato scandali habetur species contra caritatem. — Contra talis obligatio specialis ex virtute *justitiæ* probari nequit, et ideo donec positive probetur, jure negatur.

---

nn. 169 ss.: « Notandum est causam non tantum sub respectu physico, sed etiam sub respectu morali, in ordine ad causandum voluntarium esse respiciendam:... sic... quæ esset causa per se in ordine mere physico, potest fieri causa per accidens respectu influxus moralis. »

b/ Si similiter, legendo pravum librum, de facto meo exemplo alicui occasio sum cur et ipse pravos libros legat, et ruinam in fide patiatur, — hoc casu iterum adest peccatum contra *caritatem,* quum ex caritate prohibeor ne præbeam alii occasionem peccandi; sed insuper hoc casu adest peccatum contra virtutem *fidei:* etenim etiam ipsa virtus fidei, pro natura sua speciali, nos positive obligat ad avertendos alios ne lædant auctoritatem divinam; et ideo intelligitur a fortiori prohibere ne proximo occasionem præbeam hanc auctoritatem lædendi.

Nota. In præcedentibus examinavimus *solam naturam causæ* positæ, ejusque nexum cum effectu; abstrahentes a positiva intentione operantis: apparet autem hanc *intentionem,* etiam si nullatenus mutaret ipsam naturam causalitatis actionis positæ, tamen posse modificare ipsam imputabilitatem moralem effectus: revera ab intentione operantis primaria et principalis desumitur species moralis actuum.

Hinc

1°/ qui alteri præbet *scandalum stricte inductivum,* puta suadendo vel jubendo furtum, peccabit primario contra justitiam, et secundario contra caritatem, si simpliciter intendit peccatum proximi *qua furtum* utile ipsi vel delectabile; contra primario peccabit contra caritatem, et secundario contra justitiam, si intendit furtum proximi *qua peccatum* ipsius, seu *qua malum* ipsi vel malum Deo (1).

2°/ qui alteri præbet *scandalum late inductivum,* puta furando coram alio qui et ipse prævidetur ad furtum incitandus, committit peccatum contra caritatem tantum, si non intendit hoc furtum; si autem illud intendit, seu si *ideo* pravum exemplum dat *ut* alius et ipse furetur, contrahit insuper speciem contra justitiam; et hæc quidem species primaria erit, contra caritatem autem

(1) Quo casu scandalum diceretur diabolicum.

secundaria (1). Sed probe nota ex tali intentione mere interna non mutari in ordine physico influxum causalem actionis positæ: manet actio mea, furtum meum, eadem mera causa per accidens (2); adeoque peccatum furti Titii imputatur quidem mihi tanquam *volitum*, sed non tanquam *voluntarium in causa*, adeoque imputatur mihi ut peccatum internum, ratione affectus, non vero ut actus externus (3).

Ex dictis intelligitur doctrina auctorum de qualitate seu speciebus moralibus scandali:

1°/ In *omni* peccato scandali habetur species contra caritatem; quæ species principalis erit si scandalum est diabolicum (4).

2°/ In scandalo *intento* habetur insuper species contra virtutem lædendam a proximo. Eritque hæc læsio imputanda ut peccatum externum, si scandalum est stricte inductivum; ut peccatum vero internum, si est late inductivum.

3°/ In scandalo *non intento* regulariter non adest species contra virtutem lædendam a proximo. Dicitur

---

(1) Nisi iterum intendat peccatum proximi qua malum Dei vel qua malum proximi: quo casu species principalis esset contra caritatem, et scandalum iterum diceretur diabolicum.

(2) Hinc habes quo sensu intelligenda sint quæ leguntur apud *Collat. Brug.*, t. I, p. 285, *nota* 1°: « Causa per accidens sub respectu physico, potest ex intentione agentis fieri causa per se in ordine voluntarii ». Revera sola intentio interna qua talis non mutat causalitatem seu efficaciam alicujus causæ in ordine physico, causam per accidens non reddit causam per se; sed hæc intentio aliquid addit in ordine imputabilitatis; et sic aliquatenus *æquiparatur* causæ per se: facit np. aliquatenus imputari effectum pravum. — Dicitur: *aliquatenus:* revera dum illi qui ponit causam per se in ordine physico, effectus secuturus imputatur ad peccatum externum, contra, illi qui ponit causam per accidens in ordine physico, sed ex intentione effectus secuturi, hic effectus imputatur quidem, sed ad peccatum internum tantum.

(3) Hinc si committo furtum coram Titio, ex intentione ut me imitetur, et optime scio Titium de facto ad furtum esse lapsurum, — ex furto a Titio commisso, nulla mihi oritur obligatio restituendi; quemadmodum ex mero *desiderio* furandi, non oritur ulla obligatio restituendi.

(4) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 177 ss.

regulariter, quia pro speciali natura alicujus virtutis, puta fidei, vel ob specialia adjuncta talis species adesse potest (1).

(Sequetur).

A. VANDER HEEREN.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 269 ss. — Quoad totam hanc rem de voluntario in causa, applicatam materiæ præsenti scandali, cfr. opus Ill^mi ac Rev^mi WAFFELAERT, *Étude de théologie morale sur la Coopération, suivie d'une Dissertation sur l'Espèce Morale du Scandale.* Bruges, 1883.

Bulletin liturgique

I. Ouvrages généraux.

1. **Th. Deimel.** *Illustriertes liturgisches Lehr- und Lesebuch* für den Unterricht in der Katholischen Liturgik. Wien, Pichlers, 1907. Gr. in-8, 110 p.; relié: 1 kr. 60 h.

2. **J. Schumacher.** *Hilfsbuch für den Katholischen Religionsunterricht.* Dritter Teil: *Der Kirchliche Gottesdienst.* Freiburg i. B., Herder, 1988. In-12, 68 p. M. 0,70.

Les manuels pour l'enseignement de la liturgie dans les classes moyennes ne manquent pas. Mais on est loin d'avoir atteint la perfection du genre. En voici deux nouveaux qui nous semblent accuser un réel progrès. L'un et l'autre traite de l'année liturgique, des cérémonies de la messe, et des sacrements et sacrementaux. Le premier ouvrage, de M. **Deimel** contient en outre un assez long chapitre sur l'église et son mobilier et sur le cimetière.

Le « Lehrbuch » (p. 1-60) indique d'une manière très concise une foule de notions et de choses, qui demandent à être expliquées par le maître. La disposition typographique est d'ailleurs très favorable à l'enseignement.

Le « Lesebuch » (p. 61-110) fournit une série de lectures et de textes qui servent à compléter de façon attrayante les notions données dans le « livre d'enseignement ».

Le manuel de M. **Schumacher** donne plus d'explications, se lit plus facilement, et fait mieux saisir le sens des cérémonies et le caractère instructif et éducateur de la liturgie. Les 25 pages consacrées à l'année liturgique nous semblent surtout bien réussies. Nous regrettons sa division arbitraire de la messe des catéchumènes en deux parties: « les prières préparatoires » (depuis l'*Introibo* jusqu'après la collecte!) et « les lectures et le symbole de la foi ». D'autres détails encore seront à corriger dans une nouvelle édition.

L'enseignement intuitif vient compléter de la manière la

plus heureuse l'enseignement théorique, grâce à l'illustration, qui est surtout abondante et bien réussie dans le manuel de M. Deimel.

— Nous aimons a signaler à nos lecteurs les articles liturgiques, d'une vulgarisation de très bon aloi, que publie depuis quelque temps le *Nieuwe Zondagbode van 't Bisdom*. Prêtres et fidèles les liront avec plaisir et grand fruit. Citons, au hasard, quelques-unes de ces études: Vasten-liturgie; Asschenwoensdag, Witte Donderdag, Paaschkeers, Gebed over 't volk, Conopæum, Lof, *Dies iræ, Dominus vobiscum*, Kerkgebeden en kerkplechtigheden, etc.

II. Missel.

1. **Ch. Caeymaex.** *Voordracht over het H. Misoffer.* Mechelen, W^e^ Ryckmans, 1909. In-8, 22 bl.

2. **Id.** *Liturgische Opleiding. Mis en Kerk*, In-8, 12 bl.

3. **Id.** *Les oraisons et les préfaces liturgiques.* (La Vie diocésaine, 1909, t. III, p. 79-87).

4. **C. Blume, S. J.** *Der Engelhymnus « Gloria in excelsis Deo ». Sein Ursprung und Entwicklung.* (Stimmen aus Maria-Laach, 1907, t. LXXIII, p. 43-62).

5. **St. Beissel,** S. J. *Entstehung der Perikopen des Römischen Messbuches.* Zur Geschichte der Evangelienbücher in der ersten Hälfte des Mittelalters. Freiburg i. B., Herder, 1907. In-8, 220 p., M. 4.

6. **A. Gastoué.** *Sur les origines du Dies iræ.* (Etudes Franciscaines, 1908, t. XX, p. 399-405.

7. **Dom Eug. Van Deur,** O. S. B. *La Sainte Messe entendue pour communier souvent et même tous les jours.* Abbaye de Maredsous, 1909. In-18, 42 p., F. 0,15.

— La conférence de M. le Prof. **Caeymaex** est une bonne œuvre de vulgarisation liturgique. Sans entrer dans le détail des cérémonies — ample matière que le fécond auteur réserve sans doute pour une seconde conférence — M. Caeymaex donne dans un exposé simple, substantiel et clair, les notions usuelles les plus utiles aux fidèles, concernant la Messe, sa valeur et ses parties, les endroits et les jours où on peut la

célébrer, l'autel et ses ornements, les vêtements et les couleurs liturgiques. Tout en intéressant son auditoire il l'instruit et lui montre pratiquement comment il convient d'entendre la Sainte Messe en s'unissant à la prière du célébrant.

— La seconde brochure de M. **Caeymaex**, insiste sur la nécessité et la manière de donner aux enfants des écoles une formation liturgique, surtout en ce qui concerne la messe et l'église, au sujet desquelles l'auteur donne quelques notions connues.

— Quel prêtre n'a pas été frappé de temps à autre de l'impressionnante beauté de certaines oraisons de notre missel? Cela tient non seulement à la puissante richesse de l'idée, mais aussi à l'emploi d'un *cursus* régulier et d'une technique spéciale: M. le Chan. **Caeymaex** consacre quelque pages à examiner ce *cursus* et cette technique dans *les Oraisons et les Préfaces*. Il avoue d'ailleurs qu'il ne fait qu' « effleurer » la question.

— L'article très fouillé du savant hymnologue, Cl. **Blume**, S. J. expose, d'après les sources, l'origine et le développement du texte de la Grande doxologie. Les paroles des anges furent usitées; dès le second siècle, dans la liturgie grecque. Avant le milieu du IVe siècle on y ajouta des acclamations scripturistiques en l'honneur de Dieu le Père. Les controverses doctrinales au sujet de la divinité du Fils et du Saint-Esprit provoquèrent de nouvelles ajoutes et quelques changements qui firent du *Gloria* un *hymne de louange en l'honneur des trois Personnes de la Ste Trinité*.

Sous cette forme — qui ne subit plus que de légères retouches — le *Gloria* se rapproche beaucoup, comme conception du *Te Deum*, qui n'est au fond qu'une grande doxologie, tout comme *le Gloria* (1). Aussi s'explique-t-on beaucoup plus clairement, après avoir lu le savant article du P. Blume, les accointances entre les deux hymnes qui s'avoisinent souvent dans les anciens livres liturgiques; le *Gloria* chanté primitivement à la fin des Laudes, et suivi par une série de versets comme ceux que nous trouvons à la fin du *Te Deum* fut remplacé par le *Te Deum*, qui passa bientôt à l'office des matines, tandis que le *Gloria* était transporté dans

(1) Voir A. Gastoué, *Les vigiles nocturnes*, ch. VI.

la messe; de nos jours encore, l'omission du *Te Deum* à l'office entraîne celle du *Gloria* à la messe correspondante.

— L'évangile est une de ces parties du Propre de la messe qui, dans la liturgie romaine, caractérisent le mieux la fête du jour. La savante étude du R. P. **Beissel,** basée sur l'examen détaillé et comparatif d'une foule de documents antérieurs au milieu du XIe siècle, cherche à déterminer d'où nous vient et sur quelles bases s'est fait le choix des péricopes évangéliques que nous lisons actuellement dans le missel romain. Tandis que dans les églises orientales on s'attachait à prendre les extraits dans un même évangile pendant un certain laps de temps, les liturgies occidentales cherchaient à choisir, dans n'importe lequel des quatre evangiles, le passage qui s'adaptait le mieux à la fête du jour. La fête de Pâques est le premier noyau et le plus important centre de l'année liturgique. Aussi, dès avant le IVe siècle, on trouve déjà fixés, les évangiles de l'entrée à Jérusalem pour le dimanche du rameaux, du lavement des pieds et de l'institution de la Ste Eucharistie pour le Jeudi Saint, de la passion pour le Vendredi, de la résurrection d'après le premier évangéliste pour la fête de Pâques, d'après les autres évangélistes pour les jours suivants. Puis on remonta le temps du carême en fixant des péricopes évangéliques pour les samedis et dimanches d'abord, pour le jeudi en dernier lieu. L'Epiphanie, une des plus anciennes fêtes, eut de très bonne heure son évangile fixé, ou parfois ses évangiles, car en Gaule par exemple on récitait la veille, l'évangile de l'adoration des mages, et le jour même de la fête, ceux du baptême du Christ, de sa généalogie et des noces de Cana (1). Bientôt suivirent les évangiles de la fête de la Nativité et des fêtes adjacentes, puis au Ve-VIe siècle, ceux des dimanches de l'Avent.

Le choix dans ces cas était déterminé par le caractère de la fête. Mais on ne voit pas clairement la raison qui a guidé les églises dans le choix des évangiles des dimanches après la Pentecôte. Le R. P. Beissel soupçonne qu'on aura cherché à opposer à la série des péricopes du carême, une autre série qui aurait complétée la première en prenant les princi-

(1) Voir *Collat. Brug.*, t. XII, p. 42 ss.

paux extraits qui n'avaient pas encore été choisis pour les lectures liturgiques.

Quoiqu'il en soit, l'ordre des péricopes évangéliques du missel romain semble être le même pour le fond, que celui qui était déjà en usage du temps de Grégoire le Grand. Telles sont les conclusions générales qui se dégagent de la magistrale étude du savant Jésuite, où le lecteur attentif rencontrera à chaque pas d'intéressantes particularités que nous regrettons ne pas pouvoir signaler ici.

— Le *Dies iræ* (1) est généralement attribué à Thomas Celano. M. **A. Gastoué** apporte des arguments nouveaux pour établir que l'œuvre du compagnon de S. François d'Assise s'arrête au vers *Gere curam mei finis* qui constitue une bonne finale. Les deux dernières strophes ne sont plus rédigées à la 1e personne: « *huic* ergo », « dona *eis* requiem » ; la mélodie musicale a un tout autre caractère ; l'agencement des rimes et la disposition des strophes sont autres que dans le corps de la prose. Cette finale comprend le *Lacrymosa* et le *Pie Jesu*. On avait déjà signalé d'anciens textes du *Dies iræ* sans le *Pie Jesu;* on vient de trouver le *Lacrymosa* en dehors et antérieurement au *Dies iræ*. On sait que celui-ci n'était pas usité primitivement comme séquence à la messe. C'est dans une série de versets chantés au moyen âge à la suite du répons *Libera me* que se trouve la strophe *Lacrymosa*. Le *Dies iræ* aura sans doute été composé d'abord comme prose du répons *Libera me*, avec lequel il a beaucoup de rapports ; on aura ajouté bientôt et tout naturellement le *Lacrymosa* d'abord et plus tard le *Pie Jesu*. C'est sous cette forme allongée qu'il passa à la messe comme séquence.

— La communion des fidèles n'est que la participation à la communion du célébrant, qui fait partie intégrante de la messe et constitue la consommation du Saint Sacrifice. Toutes les cérémonies de la messe sont donc un acheminement vers la communion et une préparation devient qui immédiate à partir du Pater noster ; toutes les prières liturgiques qui suivent la communion du prêtre servent d'actions de grâces. La meilleure méthode de se préparer à la Sainte

(1) Voir *Collat. Brug.*, t. XI, p. 332 ss.

Communion, celle que l'Église elle-même nous enseigne, est donc tout indiquée : elle consiste à suivre attentivement la messe en s'associant aux prières du célébrant, afin de s'approcher de la Sainte Table à la communion même de la messe (1). Ce sera le moyen d'enrayer la routine; et on trouvera dans ces prières tous les actes qu'on a coutume de recommander comme exercices avant et après la Sainte Communion. Mais il faut évidemment pour cela apprendre à connaître la messe théoriquement et pratiquement, à pénétrer le sens des cérémonies et à se servir d'un missel avec intelligence. Telles sont les idées fondamentales de la brochure du R. P. **Eug. Van Deur.** Nous souhaitons à cet opuscule de faire autant de bien que l'ouvrage du même auteur, *La Sainte Messe, notes sur sa liturgie* (2), dont une quatrième édition est en voie de préparation.

Puisque le sujet amenait l'auteur à traiter de la préparation *liturgique* à la Sainte Communion, nous regrettons qu'il n'ait pas saisi avec empressement cette occasion pour mettre en relief une chose hélas! si peu connue malgré sa simplicité : la persuasive beauté et l'admirable à-propos des prières et des cérémonies qui accompagnent la distribution de la communion aux fidèles. Pourquoi ces prières sont-elles si souvent récitées sans attention par le prêtre et si rarement expliquées au peuple ?

III. Bréviaire.

1. **Am. Gastoué.** *Les vigiles nocturnes.* (Coll. Science et Religion, n. 495). Paris, Bloud et Cie, 1908. In-12, 72 p. F. 0,60.

2. **Dr Nik. Gihr.** *Prim und Komplet des römischen Breviers* liturgisch und aszetisch erklärt. Fribourg e. B., Herder, 1907. Gr. in-8, 344 p. M. 4,40.

3. **Dom Bruno Destrée, O. S. B.** *L'office de Complies* précédé d'une notice indiquant l'excellence de cet office comme prière du soir. Louvain, Abbaye du Mont César, 1909. In-18, 51 p. F. 0,20.

---

(1) Voir *Collat. Brug.*, t. XI, p. 709 ss.
(2) Ibid., t. XI, p. 548 ss.; t. XIV, p. 192.

4. **J. D. Folghera.** *Les fetes de l'Eglise.* Elévations sur les hymnes. Paris, Téqui, 1909. In-12, 154 p.

5. **F. Dryvers.** *Brevierhymnen.* (Vie diocésaine, 1908, t. II, p. 231-244).

6. **Dr G. Dreves.** *Die Kirche der Lateiner in ihren Liedern.* (Collection Kösel à 1 M.). Kempten, Kösel, 1909. In-12, relié, 204 p.

7. **Carol. Marbach,** Episc. titularis Paphiensis. *Carmina scripturarum* scilicet antiphonæ et responsoria ex sacro Scripturæ fonte in libros liturgicos sanctæ Ecclesiæ Romanæ derivata. Strasbourg, Le Roux, 1907. In-8°, 166* — 595 p.

— En vue de nous expliquer les Matines du Bréviaire, M. **A. Gastoué** nous fait assister, au temps des apôtres et des persécutions, à ces veillées que les premiers chrétiens sanctifiaient, à exemple des Juifs, par la prière et la psalmodie, la lecture et l'explication de l'Ecriture Sainte. L'auteur retrouve dans l'office anticipé de la nuit du Samedi Saint le type primitif de la vigile nocturne. Mais voici que les solitaires ajoutent aux heures canoniales déjà existantes, l'usage de la récitation quotidienne et intégrale du psautier durant la nuit: les Ariens d'abord, par esprit de secte, puis les catholiques, par opposition aux premiers, cherchent à associer le peuple à cette prière: mais bientôt le psautier est écourté, et même divisé en plusieurs parties (nocturnes); on y intercale des lectures plus ou moins longues, dont la dernière sera tirée de l'évangile; psalmodie et lectures sont entrecoupées et variées par le chant d'antiennes, de versets et de répons: et ainsi se forme lentement l'office nocturne romain et se constituent définitivement nos Matines actuelles. M. Gastoué donne quelques notions sur ces diverses parties, en s'attachant spécialement au *Te Deum* et aux particularités de certaines vigiles. Opuscule intéressant, mais où il y a trop peu de précision et trop d'inégalité entre les diverses parties.

— Pour plus d'un prêtre le Bréviaire semble être dans sa pleine signification l' « *onus* dici » dont parlent les théologiens. Et cependant ne devrait-il pas être bien plus un

soutien et une consolation, l'aliment quotidien de notre piété et de notre vie spirituelle, en devenant fréquemment le sujet de nos méditations et de nos pieuses réflexions. La première condition pour atteindre ce but, c'est que nous nous rendions compte de la composition des heures canoniales et que nous cherchions à bien comprendre au moins les textes qui reviennent le plus souvent. Telles sont avant tout les prières des Primes et des Complies, qui ne varient guère et qui ont été composées et introduites dans l'office quotidien, comme prières du matin et du soir, et qui comme telles sont de véritables perles liturgiques.

Les courtes pages consacrées à ces deux heures par le savant abbé de Farnborough, Dom Cabrol, dans son excellent *Livre de la prière antique* (ch. XVI, n. 3 et 5) peuvent à la rigueur suffire pour faire comprendre leur nature et leur structure générale. Mgr **Gihr**, déjà si avantageusement connu par son Explication dogmatique, liturgique et ascétique du *Saint Sacrifice de la Messe* (qui est arrivée à sa 10e édition allemande), n'en a pas moins rendu un service signalé aux liturgistes et aux prêtres qui veulent « méditer » et « vivre » leur bréviaire : son commentaire ouvre à une connaissance plus approfondie le riche trésor d'idées renfermées dans nos Primes et nos Complies. Après avoir donné quelques notions, qui pourraient être un peu moins succinctes et plus approfondies, sur l'origine (1) et l'évolution de ces heures, il explique chaque partie, chaque mot, depuis le *Pater* initial, jusqu'à la bénédiction finale, et toujours avec une richesse d'érudition, de citations et de réflexions pieuses et pratiques, de tout point remarquable. Nous n'avons qu'un regret à exprimer : c'est que l'insuffisance des références ne permette pas de retrouver les nombreux textes cités, véritables pierres précieuses enchâssées dans le commentaire.

— C'est comme prière officielle du soir que l'heure de Complies est entrée dans l'office liturgique. Elle a pour but « de préparer au repos de la nuit et de faire penser en même temps à se préparer à la mort, dont le sommeil est l'image » : « *Noctem* quietam et *finem* perfectum concedat... » Dès lors,

(1) Voir p. ex. *Revue d'hist., et de littérat. religieuses*, 1898, p. 281 ss.

se demande le R. Père **Destrée**, ne pourrait-elle pas servir de prière du soir même aux fidèles? Courte, liturgique, facile à comprendre et à réciter avec recueillement, et correspondant aux exercices du matin, la messe et la communion, elle servirait à alimenter une dévotion véritablement éclairée, s'appuyant sur le Christ et sur la prière toujours écoutée par Lui, de son Église. Dans une brochure d'une exécution typographique très soignée, il donne en regard du texte latin une traduction française. Mais afin de faire accepter plus facilement l'usage qu'il prône, l'auteur explique la marche générale et les éléments principaux qui entrent dans la composition des Complies.

Nous aurions voulu voir l'auteur mettre en relief comment peuvent entrer tout naturellement dans cette prière liturgique les pratiques ordinaires qu'on rattache de nos jours à la prière du soir. L'exercice du soir des personnes pieuses — et c'est bien à celles-là que Dom Bruno s'adresse — comprend non seulement des prières, mais encore certainement l'examen de conscience et très utilement une courte préparation à la méditation du lendemain. Ce double exercice ne semble-t-il pas tout indiqué dans les prières préparatoires des Complies. Celles-ci comprennent, dans le texte liturgique actuel, deux éléments différents : a/ la *lectio brevis* qui remplace la lecture spirituelle d'autrefois, et à laquelle les fidèles pourraient rattacher le préparation de la méditation ; b/ le *Confiteor* (avec les prières préliminaires et complémentaires) qui semble tout naturellement appeler l'examen de conscience, entre le *Pater noster,* et la formule de la confession générale.

Ajoutons qu'il nous semble peu exact de dire que l'heure de Complies, contrairement à toutes les autres, ne commence pas par l'invocation habituelle demandant le secours divin. Car l'office de Complies ne commence strictement qu'au verset « *Deus in adjutorium meum intende* ». Cette formule n'est-elle pas la demande habituelle du secours de Dieu pour nous aider à bien prier? La même supplication, mais en termes un peu différents, se retrouve avant le *Pater noster* du *Confiteor,* c'est-à-dire au commencement de la seconde partie des prières préparatoires. Même le *Jube domne benedicere* initial semble bien être une demande de bénédiction et de

secours à obtenir de Dieu, par le ministère du prêtre, afin de retirer des fruits salutaires de la lecture qu'on va faire. Au lieu de la seule invocation par laquelle débutent la plupart des autres heures, nous en avons trois ici, parce que nos Complies ont groupé trois exercices différents. Ce sont là des détails, si vous voulez, mais c'est du *rapprochement des détails particuliers* qu'on voit se dégager les *idées fondamentales* qui ont inspiré la liturgie.

— « A qui récite avec intelligence et dévotion les hymnes du bréviaire, l'idée vient tout naturellement, à certains jours surtout où elles sont plus expressives, de les prendre pour thème de méditation », dit le P. **Folghera.** Il a suivi lui-même cette impulsion et il nous donne des élévations, où la théologie, la piété et la poésie s'harmonisent parfaitement et qui feront mieux goûter les hymnes du bréviaire et saisir le caractère des *Fêtes de l'Église.*

— Moins long, mais plus substantiel est l'article de M. **F. Dryvers,** *Brevierhymnen.* Se proposant de nous faire « réciter avec plus d'attention et de dévotion les hymnes, il s'efforce d'en faire saisir la facture, la beauté et quelques idées générales. Comme spécimens il donne le texte, avec une traduction flamande et quelques explications suggestives, des huit hymnes des Matines. Ces quelques exemples peuvent déjà suffire pour éveiller l'attention et faire découvrir le sens et la beauté de la plupart de nos hymnes du bréviaire.

— Tout autres sont le but et l'envergure de l'étude du grand hymnologue **G. Dreves,** S. J., dont la science liturgique porte encore le deuil. Le célèbre savant qui a réuni dans les 50 volumes des *Analecta hymnica medii ævi* des matériaux d'une richesse incomparable et des trésors d'érudition, s'est plu à écrire, pour le public lettré, un manuel où il a résumé avec autant de clarté que de précision, l'histoire littéraire de l'hymnographie liturgique.

D'après l'opinion motivée du P. Dreves, cette histoire ne commence proprement qu'au IVe siècle, et se divise en trois grandes périodes : celle de l'antiquité chrétienne qui s'étend du IVe siècle au temps des Carolingiens, celle du moyen-âge, du Xe au XVe siècle, et celle de l'humanisme. L'hymnographie liturgique s'ouvre décidément et brillamment par S. Hilaire qui « hymnorum carmine floruit primus » et

S. Ambroise, le « père du chant ecclésiastique », qui exerça une influence décisive par ses hymnes, moins théologiques mais beaucoup plus populaires que celles de son devancier. A la suite de ces deux coryphées viennent se ranger, parmi plusieurs autres, S. Damase, S. Augustin et Cœlius Sedulius dont l'hymne abécédaire. *A solis ortus cardine* est connue par quelques strophes que la liturgie a adoptées pour la fête de la Nativité. Durant cette période, l'hymnodie ecclésiastique reste enchaînée aux traditions de la poésie classique tout cherchant à se dégager quelque peu de la métrique grécisante, pour suivre une impulsion propre.

La renaissance carolingienne, dont le palais de Charlemagne était le centre donna un renouveau de vie à la poésie liturgique. Citons parmi ses meilleurs représentants, Paulin d'Aquilée, Alcuin, Théodulphe, Raban Maur, Walafrid Strabon. Les poètes de l'école de Saint-Gall inaugurèrent un genre nouveau, l'art des séquences et des tropes, appelé à prendre un énorme développement dans les siècles suivants. Notger le Bègue fut le premier à composer des séquences ; on en connaît actuellement au-delà de 4000.

A partir des Xe-XIe siècles, l'hymne latine tend de plus en plus à se soustraire aux règles de la métrique antique, pour lui substituer celles du rythme et de la rime. A cette époque fleurissent Fulbert de Chartres, S. Pierre Damien, Alphan de Salerne, etc. Aux XIIe-XIIIe siècles, « les formes poétiques deviennent de plus en plus riches, la rythmique plus juste, la langue plus harmonieuse, la rime plus riche », le nombre des poètes de valeur plus considerable. Parmi eux, l'auteur s'arrête avec complaisance à Adam de Saint-Victor auquel semble revenir la palme. Depuis les XIVe-XVe siècles, la masse des productions augmente notablement, mais la valeur est en baisse. En même temps l'humanisme se lève et donne à la poésie liturgique un caractère nouveau, dû à une imitation souvent trop servile de l'antiquité païenne. L'auteur se contente de signaler la tendance générale de cette troisième période, sans entrer dans les détails.

Grâce à une connaissance approfondie du sujet, le R. P. Dreves a réussi non seulement à faire connaître brièvement mais exactement la vie des principaux poètes d'hymnes latines, leurs œuvres, leurs tendances et la caractéristique

de leurs productions; il permet encore au lecteur de goûter quelques-uns de leurs chefs-d'œuvre, en reproduisant une quarantaine des hymnes les plus remarquables et en y ajoutant une excellente traduction. Somme toute, un excellent manuel qui restera et qui fait honneur à la collection Kösel de Kempten.

— La plupart des antiennes et répons usités dans la liturgie romaine actuelle sont extraits de l'Écriture Sainte. Mais il est parfois bien difficile de reconnaître leur provenance: tantôt ils sont donnés d'après l'antique Itala ou d'autres traductions anciennes, tantôt les liturgistes les ont employés, combinés et changés avec la plus grande liberté afin de rendre l'expression plus poétique, de lier plus intimement les idées, ou de plier les textes aux exigences du rythme musical et de l'alternance du chant.

Mgr **Marbach** a réuni tous ces textes, au nombre de 4246, avec une pieuse et savante patience, et sous le titre poétique de *Carmina Scripturarum,* il nous les présente, consciencieusement alignés d'après l'ordre des livres, des chapitres et des versets de la Bible. En tête de chaque chapitre de l'Écriture, une très courte notice présente l'idée fondamentale du chapitre et permet ainsi de saisir immédiatement le sens littéral des textes auxquels la liturgie prête souvent un sens accommodatice. En regard du texte liturgique, on trouve l'indication des versets bibliques auxquels l'antienne est empruntée; plus bas, le renvoi aux endroits des livres liturgiques où le texte est employé. Une série de tables donnent toute facilité pour retrouver immédiatement n'importe quel renseignement. Aussi le corps de l'ouvrage sera souvent consulté par les érudits, les liturgistes, les prédicateurs et les plainchantistes.

Mais la savante introduction (française) de 166* pages sera lue par tout le monde avec autant de fruit que d'intérêt. De temps immémorial les versets, les antiennes et les répons ont fait partie de l'office. Un office tout à fait normal ne présente que quatre versets dont chacun se répète à trois places marquées: Voyez p. ex. les versets *Amavit eum... Os justi... Lex Dei... Justum deduxit...* dans l'office du commun d'un confesseur non Pontife.

Les antiennes et surtout les répons comptent parmi les

morceaux les plus beaux et les plus caractéristiques de la liturgie, comme mélodie et comme expression des sentiments de l'Église. L'antienne avait pour but de donner une direction déterminée à la prière de celui qui chante ou récite les psaumes : aussi était-il de règle anciennement de la tirer du psaume même auquel elle servait d'introduction ; il en était ainsi tout spécialement de l'Introït de la messe, et cette règle a été observée bien longtemps. Parfois même l'antienne peut être considérée comme la clef du psaume, en ce sens qu'elle révèle parfois le sens mystique que l'Église attache à un psaume pour telle ou telle circonstance.

L'auteur montre parfaitement l'agencement et la valeur des répons et les rapproche avec prédilection du chœur de la tragédie grecque. Les répons qui répondent le mieux à leur destination sont évidemment ceux qui suivent immédiatement les leçons qui les ont inspirés. Dans un certain nombre de répons, les deux parties principales sont tirées, l'une de l'ancien, l'autre du nouveau Testament, de façon à se répondre merveilleusement. S. Thomas d'Aquin semble avoir affectionné ce genre, et en fournit d'admirables exemples dans les matines de l'office du S. Sacrement.

Le savant auteur fait ressortir certaines différences de conception entre les anciens offices et les nouveaux. Les auteurs anciens, créant les mélodies en même temps qu'ils choisissaient les textes, cherchaient à donner aux paroles une forme qui favorisât la composition musicale, et se laissaient aller aux sentiments et aux inspirations d'un cœur qui prie et chante, tout en s'astreignant à certaines règles que nous avons déjà signalées. Les auteurs modernes songeant uniquement aux paroles, ont cherché beaucoup plus que leurs devanciers à instruire systématiquement : il y a plus de méthode, mais moins de chaleur et de spontanéité.

Quant aux chants variables de la messe, l'Introït, l'Offertoire et la Communion étaient des antiennes dont les psaumes ont été supprimés (1) ; le Graduel et l'Alleluia sont plutôt des répons. Il est difficile de préciser leur caractère propre et leurs rapports entre eux et avec la messe à laquelle ils

(1) Voir le *Dictionnaire d'Archéologie et de Liturgie* de Dom CABROL, v° *Antiphone*.

appartiennent. La Communion toutefois est presque toujours un chant d'action de grâces; l'Alleluia est essentiellement joyeux; rien n'autorise à croire que tous les Traits soient des chants de tristesse et de pénitence. En règle générale, constate l'A., la tendance à la joie prédomine dans les chants de l'Église.

Ces considérations que nous venons de glaner dans l'intéressante introduction de Mgr Marbach feront amplement comprendre la valeur de l'œuvre de l'éminent liturgiste. Même ceux qui voudraient y trouver quelques données historiques en plus et peut-être l'une ou l'autre redite en moins, trouveront dans cette lecture attachante une connaissance plus approfondie et une estime plus grande de ces *Carmina*, que le pieux auteur a certainement priés en les étudiant.

IV. Rituel.

1. **D. Jér. Picart**, O. S. B. *De la Terre au Ciel*. Les morts et les mourants dans toute l'Eglise catholique. Théologie, liturgie, ascèse, art, histoire, depuis les premiers siècles jusqu'à nos jours. Abbaye de Maredsous, 1909. Gr. in-8, XVI-840 p.

Ce gros volume est la première d'une série d'études que l'auteur se propose de consacrer au « Passage du temps à l'éternité ». La conception en est très large. Il ne connaît pas d'autres limites que celles de l'Eglise catholique. Etudiant successivement la préparation à la mort, la réception des derniers sacrements, les usages concernant le décès, les cérémonies des funérailles, le sort des âmes dans l'autre vie, l'auteur touche à tout ce qui se rapporte tant soit peu à son sujet; les usages de tous les peuples, l'histoire de tous les temps, les cérémonies du rituel romain comme de toutes les liturgies et des ordres religieux, tout est effleuré; les principaux points de la théologie catholique sur les derniers sacrements, les prières pour les morts, les fins dernières sont exposées sommairement ou développées avec ampleur. C'est un véritable arsenal de faits historiques et de données philosophiques ou théologiques, que l'auteur appelle lui-même « une Somme très variée et très large de vérités et de pratiques » et qu'il « offre aux familles chrétiennes » afin qu'elles y

trouvent les enseignements qui consolent, les pensées et les exemples qui réconfortent aux heures d'angoisse et de deuil.

Mais les lecteurs sont exigeants vis-à-vis d'une « Somme ». La variété et la richesse des matériaux d'une compilation qui effleure tout ne leur suffit pas ; ils demandent la sobriété dans le style, la précision théologique des termes, l'exactitude et la plénitude des notions, le rigoureux enchaînement des idées, le parfait agencement des parties. Nous n'oserions pas affirmer que la Somme du savant Bénédictin réponde à ce point de vue à toutes les exigences légitimes. Au lieu de la simple juxtaposition de rites romains et orientaux ou mozarabes, de cérémonies anciennes et modernes, nous eussions préféré une étude qui mette en relief le fond commun et fasse connaître les divergences accidentelles, un exposé logique qui montre par quelle évolution on est arrivé des usages primitifs aux rites actuels. A de simples allusions à certains faits peu connus ou discutés on voudrait voir substituer la narration exacte des faits ou la mise à point des controverses. Enfin et surtout il nous paraît très regrettable que l'auteur, qui a beaucoup lu et consulté, ait négligé presque complètement de donner les références bibliographiques qui permettraient de compléter ou de contrôler son exposé.

— Même après avoir parcouru le volume du P. Picart, on aura tout avantage à lire le très suggestif article que le R. P. **Thurston,** S. J. consacre dans *The Catholic Encyclopedia* (t. III, p. 71-78, v° *Burial*) aux lois et cérémonies des funérailles chrétiennes. Le lecteur y rencontrera à chaque pas des détails historiques qui expliquent beaucoup mieux que ne le font les auteurs ordinaires, l'origine et le sens de nos rites et usages actuels.

V. Pontifical.

1. **J. Baudot, O. S. B.** *La dédicace des églises.* (Collection: Science et Religion). Paris, Bloud et Cie, 1909. In-12, 64 p. F. 0,60.

2. **H. Thurston, S. J.** *The Blessed Sacrament and the consecration of Altars.* (The Month, 1908, t. CXII, p. 351-362).

La *dédicace des églises* du R. P. **Baudot** nous fait connaître

une des cérémonies les plus imposantes de la liturgie catholique. A partir du IVe siècle on rencontre des exemples d'un rite dédicatoire encore bien simple : quelques prières, des aspersions, des onctions, la célébration de la messe. Bientôt quand les autels ne sont plus érigés sur les tombeaux des martyrs et qu'il n'y a pas moyen de trouver des corps de saints pour les placer sous l'autel, on commence à enfermer des reliques plus petites dans le sépulcre de l'autel. Cet usage devient obligatoire et général au VIIIe siècle. Puis le rite se développe par l'ajoute de nouvelles prières et cérémonies qui varient d'après les diverses liturgies. Mais un mouvement de concentration amène une certaine fusion des divers rites, si bien qu'au XIIIe siècle la consécration usuelle des églises comporte à peu près tous les éléments qui se trouvent au pontifical romain. Après avoir étudié les documents et l'histoire de la dédicace, l'auteur examine le rituel actuel au triple point de vue canonique, liturgique et symbolique. Cette partie de l'étude du R. P. Baudot pourrait être plus animée et faire mieux saisir l'esprit et la signification des admirables prières d'une dédicace d'église. Notons en terminant que l'auteur attend toujours une décision de la S. Congr. des Rites pour savoir exactement si les reliques qu'il faut placer dans l'autel doivent être des reliques de martyrs. Il oublie que le décret de la S. Congrégation est venu : il est daté du 16 févr. 1906 ; on le trouvera *Collat. Brug.*, t. XI, p. 523.

— Le R. P. Baudot ne traite pas d'une pratique qu'on rencontre parfois dans l'antiquité, mais qui ne tarda pas à être proscrite : au lieu de reliques, on enfermait de temps à autre une hostie consacrée dans le « sépulcre » des autels lors de leur consécration. Le R. P. **Thurston** a recueilli plusieurs faits se rapportant à cet usage, et il étudie, avec sa sagacité habituelle, les cérémonies qui accompagnaient ce rite assez surprenant : elles lui semblent rappeler l'ancien cérémonial d'un ensevelissement.

C. Callewaert.

Consultatio.

Quær. An qui missam solemnem celebrat debet ad ablutionem digitorum e medio altaris versus cornu epistolæ discedere? An ante digitorum ablutionem genuflectere debet si Sanctissimum sit expositum?

Respondendum censemus ad utrumque: negative.

I. Quæstio utrum in medio altaris an vero a parte epistolæ facienda sit digitorum ablutio diversimode solvitur ab auctoribus. Paucis ergo quæstionis statum et nostræ opinionis motiva exponere juvabit.

A. De loco ablutionis calicis et digitorum nihil habet *Ordo Missæ,* pauca tantum *Ritus celebrandi*, qui de prima ablutione, in missa privata, ait: « *Quibus sumptis, dicit secreto:* **Quod ore sumpsimus** *et super altare porriget calicem ministro* IN CORNU EPISTOLÆ, *quo vinum fundente, se purificat...* »; de altera autem ablutione nihil amplius addit. Ex quibus ægre aliquid certi erui potest quoad celebrantem; apparet tamen ministro locum assignari « in cornu epistolæ ».

De neutra ablutione in missa feriæ V in *Cœna Domini* aliquid notat *Missale*, sed Memoriale Rituum dicit: « *Deinde dicto* **Quod ore**, *se purificat* (ablutio prima seu calicis) *et facta genuflexione abluit digitos super calicem et super altare, de more* (ablutio altera seu digitorum), *et accedens ad medium genuflectit et sumit ablutionem* ». Unde apparet missam in *Cœna Domini* sine assistentia celebranti, a/ non esse recedendum a medio ad primam purificationem; b/ ad alteram vero ablutionem, recedendum esse: nam facta ablutione debet « *accedere* ad medium », et ratio genuflexionis ante et post ablutionem faciendæ alia esse nequit quam discessus a Sanctissimo et accessus ad Idem in medio altaris.

Jamvero ipsa ablutio digitorum in hac die facienda est « *de more* ». Ergo etiam in aliis missis non solemni-

bus recedendum est e medio ad secundam, non vero ad primam ablutionem.

Quod confirmatur ex liturgia Mediolanensi, quæ valde similis est liturgiæ romanæ, quæque statuit pro missa privata: « deinde vino et aqua abluit pollices et indices super calicem extra corporale sed super altare *versus cornu epistolæ* » (Rubr. gener. n. 8).

Hactenus de missa sine assistentia celebrata.

B. Ad missam autem solemnem quod attinet, statuunt Rubricæ generales Missalis (t. X, n. 8): « *deinde subdiaconus vadit ad dextram celebrantis, et quando opus est, discooperit calicem, accipit ampullam vini et infundit quando celebrans vult purificare* ». Nullibi autem celebranti aut subdiacono præcipitur ut secedant versus cornu epistolæ. Eodem modo pro missa solemni pontificali, Cœremoniale Episcoporum (lib. II, c. VIII, n. 76) nullum recessum insinuat. Unde jam suspicari licet in missa solemni ablutionem utramque faciendam esse in medio altaris.

Hæc autem suspicio in certitudinem transit si inspiciatur Cœremoniale Episcoporum lib. II, c. XXIII, n. 7, agens de purificatione in solemni missa pontificali in *Cœna Domini:* « Finita communione, Episcopus se purificat et abluit digitos et facta reverentia cum genuflexione Sanctissimo Sacramento, retrahit se extra cornu epistolæ versa facti ad populum ubi lavat manus ». Ex quo textu liquet Episcopum tantum recedere a medio post utramque ablutionem: hoc enim momento præscribitur genuflexio quæ juxta regulam generalem facienda est quoties quis recedit a medio altaris in cujus mensa repositum est SS. Sacramentum.

Quodsi ipsa præsentia SS. Eucharistiæ in mensa altaris non est impedimentum quominus ablutio digitorum fiat in medio altaris, a fortiori non apparet ratio impedimenti in missis solemnibus consuetis. Et concludimus ad ablutionem digitorum non esse recedendum e medio in missa cum assistentia diaconi et subdiaconi.

Objici forte posset textus Pontificalis Romani, *De officio in feria V in Cœna Domini*, agens de ablutione digitorum ante consecrationem ss. Oleorum sub finem canonis: « Priusquam ergo Pontifex verba [*Per quem hæc omnia...*] dicat, facta reverentia Sacramento in altari consecrato, retrahit se ad partem epistolæ altaris, ubi super alium calicem vacuum abluit digitos, et ad purificatorium extergit et ablutio usque post communionem Pontificis reservatur. Tum facta iterum Sacramento reverentia, descendit... » In hoc casu facienda est ablutio digitorum extra medium, sed ratio specialis heic patet: quia in medio super corporale manent et calix et hostia consecrata, ita ut ad faciendam ablutionem desit locus.

Ex posita distinctione inter missam sine assistentia et missam cum ministris, intelligitur plene responsum olim a S. R. C. datum in una Tornacen. die 22 julii 1848: « An pro abluendis vino et aqua pollicibus et indicibus in secunda purificatione post Communionem debeat sacerdos e medio altaris versus cornu epistolæ recedere? » S. R. C. respondit: « Serventur Rubricæ *pro diversitate missarum* ». Hanc diversitatem intelligendam esse de missa privata et solemni confirmant non tantum textus supracitati et sat communis auctorum sententia (1) ac praxis constans ecclesiarum Urbis (2) sed plane illustrat ipsa **præcepti ratio.**

C. Ex tota enim liturgia apparet ministro inferiori missæ privatæ inservienti non esse ascendendum in suppedaneum vel certe non ad medium altaris, nisi in quantum aliter fieri nequeat (3): ita regula generali

(1) Quosdam vide citatos apud SCHOBER, *De cæremoniis missæ*, c. X, n. 13, nota 32, quibus multi addi possent.

(2) Cf. SCHOBER ibid.

(3) Hæc regula inculcari solebat in libellis olim in usum missæ ministrorum conscriptis. Nostris quoque diebus omnino suadendum ut ea commendetur iis qui missæ privatæ inserviunt: maneant ipsi extra suppedaneum, saltem usque ad momentum quo reapse vinum ministrare debent.

manet in plano vel certe in infimo gradu genuflexus; librum deferre deberet per planum; quoties est genuflectendum, semper in plano genuflexionem faciat (1); ad *Lavabo* et ad offertorium consistere debet ad cornu epistolæ vel in suppedaneo extremo vel, si fieri possit, extra suppedaneum, accedente e medio altaris ipso celebrante. Ad utramque autem ablutionem, manet in eodem præfato loco: ad calicis purificationem potest sacerdos brachio dextro sat longe calicem extendere et « porrigere ministro in cornu epistolæ » stanti, ut ait Missale; hoc autem non valet ad digitos abluendos super calicem et ideo relinquere debet ipse medium et ad ministrum accedere in cornu epistolæ.

In missa autem solemni vinum et aquam celebranti ministrat subdiaconus, qui stat ad latus dextrum sacerdotis eo præcise fine ut ipsi ministret. Nulla igitur jam est ratio ut celebrans ad cornu epistolæ accedat: et ideo exigunt rubricæ ut digitos abluat quin e medio altaris discedat.

II. Ad secundum quæsitum quod attinet, regula generalis est ut coram Sanctissimo exposito celebrans genuflectat quoties e medio discedit vel ad medium accedit. Ergo in missa privata genuflectere debet ante et post digitorum ablutionem, quia medium relinquere tenetur; ita ceterum præscribitur in Memoriale Rituum (vide supra). In missa autem solemni, quum sacerdos persistat in medio, genuflectere non debet.

C. Callewaert.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.* t. XII, p. 145, et decr. S. R. C. n. 3975[1] citatum apud *Collat. Brug.* t. III, p. 242.

E S. Congr. de Sacramentis

I

ROMANA ET ALIARUM.

Circa extensionem Constitutionis PROVIDA ad Hungariam.

Quemadmodum ex tenore decreti S. Congr. de Sacram., suprà p. 489 relati, liquet, ad Hungariam extensum existit privilegium quo Imperium Germanicum, ad tramites Constitutionis *Provida,* 18 Januarii 1906 (1), gaudebat, quoad validitatem matrimoniorum clandestinorum mixtorum: quod privilegium S. Sedes, vi decreti S. C. C. diei 1e Febr. 1908, ad 4^m^ (2), prius limitaverit ad solam Germaniam.

Decretum illud hucusque non vulgatum, quo simul sanantur in radice matrimonia mixta in Hungaria celebrata clandestinè inde a publicatione Decreti *Ne Temere,* latum est die 27 Februarii 1909, illudque exhibent *Anal. eccles.,* 1909, p. 335 ss., simul cum Litteris circularibus Episcopi Iaurinensis ad universum clerum diœcesis.

Porro decretum ipsum ita sonat:

« Sacra Congregatio De Sacramentis, Roma 27 Februarii 1909. Num. protoc. 833/08. In congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 19 Februarii 1909 proposita fuit quæstio « Romana et aliarum — Dubiorum circa Decretum de Sponsalibus et Matrimonio » relate ad petitionem Antistitum Hungariæ quoad matrimonia mixta.

EE. ac RR. PP., re mature perpensa, dubio: An et quomodo providendum sit in casu, responderunt: « attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus supplicandum SS^mo^, ut pro nunc quoad matrimonia mixta extendere dignetur regno Hungariæ Constitutionem « Provida » pro Germania latam die 18 Januarii 1906, servatis declaratio-

(1) *Collat. Brug.,* t. XI, p. 285 ss.
(2) *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 298 ss.

nibus a S. C. Concilii die 1 Februarii et die 28 Martii 1908 desuper datis » (1).

Ex audentia SS^mi diei 23 Februarii 1909: SS^mus, audita relatione facta a R. P. D. Secretario, E^morum Patrum voto in omnibus benigne annuere dignatus est; et insuper conjugia mixta post publicationem Decreti « Ne temere » in regno Hungariæ hucusque contracta, non servata ejusdem Decreti forma, dummodo nullum aliud dirimens impedimentum obstet, pro validis habenda esse voluit idque expresse declaravit ac decrevit D. Card. Ferrata Præf. m. p. Ph. Giustini Secret.

Ulterius autem notant laudatæ Litteræ circulares Episc. Iaurin., juxta expressum Secretarii Congreg. de Sacramentis responsum die 5 Martii subsequentis datum, quod « nomine Regni Hungariæ venit non modò Hungaria proprie dicta cum Transsylvania, sed etiam partes eidem adnexæ, seu omnes terræ ad coronam S. Stephani pertinentes, ac proinde etiam Croatia, Slavonia, Civitas Iluminensis (Fiume); omnia itaque loca sub regimine Regis Apostolici nunc constituta ».

II

VENETIARUM.

De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo.

In plenario cœtu a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum, habito die 13 mensis Augusti anno 1909, dirimendum propositum est dubium: « utrum facultas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis » periculo in casu art. VII decreti *Ne temere*, facta per » decretum hujus S. Congregationis diei 14 Maii 1909, » valeat dumtaxat pro concubinariis; an etiamsi non agatur » de concubinariis, sed alia adsit causa ad consulendum » conscientiæ et (si casus ferat) legitimationi prolis »? Cui dubio E^mi Patres responderunt: « *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ».

(1) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 467 ss.

Die autem 15 præfati mensis et anni SS^mus D. N. Pius Papa X, audita relatione R. P. D. Secretarii ejusdem S. Congregationis, supra relatam E^morum Patrum declarationem ratam habere et confirmare dignatus est.

Datum Romæ ex ædibus ejusdem S. Congregationis, die 16 mensis Augusti anno 1909.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Præf.*
Ph. GIUSTINI, *Secret.*

Adnotatio.

Hoc responso confirmatur interpretatio apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 444, proposita ad decretum S. Congr. de Sacramentis, diei 14 Maii hujus anni. Nimirum facultas dispensandi super impedimentis matrimonii cuilibet sacerdoti concessa, qui « ad normam articuli VII Decreti *Ne Temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio assistere validè ac licitè potest », facultas, inquam, illa non restringitur ad solos moribundos *concubinarios*, uti quidam interpretes voluerunt, sed extenditur ad *quoslibet* moribundos, etiam *non concubinarios*, qui nubere cupiunt « ad consulendum conscientiæ et, si casus ferat, legitimationi prolis » (1).

Unde præfata dispensandi facultas suffragatur sacerdoti, in defectu parochi loci ejusve delegati matrimonio assistenti moribundi, qui, extra omnem concubinatum hic et nunc degens, obligationem conscientiæ contraxit nubendi, puta quia aliter removeri nequit occasio proxima peccandi, vel quia puellam seduxit sub promissione matrimonii, vel quia aliter quam per matrimonium non potest famæ consulere complicis (2).

Idem valet quotiescumque moribundus, cujus matri-

(1) Eamdem interpretationem vindicarunt *Collationes Gandavenses*, I, p. 177 s.; *Collationes Namurcenses*, IX, p. 75.

(2) Non desunt Auctores qui, ulterius, imo forte æquo latius, procedentes, descriptæ facultatis usum permittant etiam in casu quo contingeret « ægrotum auctorem fuisse damni materialis, quod, attenta lege regionis, per jus viduæ acquisitum melius reparetur, vel posse per nuptias diuturnum exstingui odium inter familias, vel impediri quominus patrimonium in malos impendatur usus ». Ita R. P. VERMEERSCH, *De Forma Sponsalium ac Matrimonii*, ed. 4^a, n. 73.

monio assistit sacerdos vi articuli VII, ideo matrimonium contrahere exoptat ut legimationi prolis natæ vel nascendæ provideat, ut nempe per subsequens matrimonium legitimetur proles nata non spuria (1), vel legitima exinceps nascatur.

Quibus attentis stat anomalia quam diximus suprà, p. 445, quatenus nempe plus valeat ad dispensandum parochus alienus et simplex sacerdos quam parochus loci vel et ipse Ordinarius, cujus defectui supplet: hi namque, vi facultatum anni 1888, non possunt dispensare nisi cum solis moribundis *concubinariis*.

A. De Smet.

Notæ Bibliographicæ

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio, tractatus canonicus et theologicus.* Pag. XXVIII, 564, in-8°, Brugis, 1909, Beyaert. Pret. 7,50, pro clero Belgico, 6 fr.

Præfatio Auctoris.

Mens fuit in hoc tractatu concinnando doctrinam methodice proponere *canonicam* simul ac *dogmaticam* et *moralem* circa matrimonium, attentis novissimis moderationibus in jure matrimoniali a S. Sede introductis, speciatim quod formam spectat sponsalium et matrimonii, ac Curiæ Romanæ constitutionem.

Nec opportunum duximus varias prætermittere quæstiones huc spectantes *juridico-civiles* et *historicas:* brevis namque conspectus legislationis civilis utilitati esse potest etiam sacerdotibus in ministerio laborantibus, ac notitia historica circa evolutionem juris canonici in re matrimoniali non parum confert ad præsentis disciplinæ penitiorem intellectum. In gratiam autem illorum qui solis disciplinis canonico-theologicis exclusive incumbere cupiunt aut necessitate coguntur, præfatas quæstiones juridico-civiles et historicas a reliquis doctrinæ capitibus secernendas curavimus ac minoribus typis excutiendas.

Adnectitur, præter elenchum Auctorum ac præcipuorum juris fontium, index rerum tum analyticus tum alphabeticus.

Approbatio Ill^mi^ Episcopi.

Tractatum canonicum et theologicum de *Sponsalibus* et *Matrimonio*, auctore Aloysio De Smet, S. Th. L., in Seminario nostro professore, solida doctrina refertum atque ingenti labore multaque solertia compositum, libenter approbamus et Clero vehementer commendamus.

Brugis, 24 Augusti 1909.

† G.-J. Episc. Brugen.

(1) Quinimo fatetur laudatus Vermeersch, *l. c.*, se non repugnare interpretationi, quam benigniorem esse timemus, juxta quam locus foret potestatis exercitio in gratiam moribundi, cujus matrimonium non quidem legitimaret prolem natam utpote spuriam, sed motivum existeret Pontificem impellens ut rescriptum legitimationis facilius concedat.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

—

I

Juxta principia in Responsis ad Quæstiones pro Conferentiis mensis Julii et mensis Octobris posita, explica Jos. 10, 12-15.

II

Expone qua ratione Deus operetur ut causa *efficiens*, in omni *operante*. Cf. S. THOMAS, I, Q. CV, a. 5.

III

Sponsus confitetur sese fornicatum esse cum tertia persona. Quomodo dijudicanda est species peccati admissi, et quid censendùm est de valore sponsalium?

IV

Sponsa gravi laborat defectu corporali occulto. An tenetur illum manifestare sponso, et an potest eumdem propalare medicus defectùs conscius?

V

Indiquez les circonstances qui ont amené le premier concile œcuménique de Nicée et les mesures qui y furent prises contre l'arianisme.

VI

In civitatibus ubi plures sunt ecclesiæ cum cœmeterio communi, cuinam ecclesiæ de jure universali competit jus funerandi: 1° extraneos alibi defunctos qui in cœmeterio communi sepulturam elegerunt, non designata ab ipso defuncto ecclesia in qua solemnia funeris persolvantur; 2° peregrinos qui perfunctorie in civitate commorantur et ibi moriuntur, non electa sepultura, dum ad locum domicilii sui transferri nequeant?

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 3me FASC. AOUT 1909:

G. J. Juten. Slusana Sacra. Een boetekapel, p. 201. — R. Dupont. Fransche priesters te Nieupoort in 1792. 214. — C. Van den Haute. Les Tapisseries du comte Pierre-Ernest de Mansfeld (1517-1604). 221. — Gust. Lamerant. Marteldood der drie priesters van Reninghelst door de hand der Geuzen in 1568. 226.

Comptes rendus. — Album belge de Diplomatique. Recueil de fac-similés pour servir à l'étude de la diplomatique des provinces belges au moyen âge, publié sous la direction de H. Pirenne, par un comité de professeurs et d'archivistes, avec préface par H. Nelis (R. Maere). 250. — H. Watjen. Die Niederländer im Mittelmeergebiete zur Zeit ihrer höchestes Machtstellung (E. Van Cappel). 252.

Chronique. 256. — Société d'Émulation. — Expositions. — Sociétés savantes et Congrès. — Notes bibliographiques. — Nos objets d'art. — Nouvelles d'histoire locale.

Notes et Documents. — A. C. De Schrevel. Un cas intéressant du droit d'asile religieux. 269.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 377 à 471). p. 69*-92*.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

A. De Meester. *De reformatione curiæ Romanæ Pii PP. X Constitutione « Sapienti » denuo ordinatæ.* (Extrait de *Collationes Brugenses*, t. XIV), Brugis, Ad. Maertens-Matthys, 1909.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5a editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. Consectarium inspirationis rite intellectæ est absoluta inerrantia S. Scripturæ: scil. in locis authenticis Scripturæ nullum invenitur judicium hagiographi erroneum in sensu ab hagiographo intento, quodvis habeat objectum, sive doctrinale, sive morale, sive historicum, sive scientificum.

Hoc consectarium explica, et paucis ostende ad quæstionem facti « quænam in Scriptura occurrant hujusmodi judicia hagiographi », multum adjuvare determinationem generis litterarii ab auctore usurpati.

R. I. **Consectarium** hoc alterum inspirationis sc. absoluta inerrantia S. Scripturæ, manifeste fluit ex omnibus quæ de natura inspirationis proposuimus. Etenim cùm Deus sit auctor principalis Scripturæ, hagiographus vero causa instrumentalis (suprà, p. 399 ss.), i. e. cùm intellectus hagiographi dictatione mentali Dei prædeterminetur ad judicia concipienda ejusque voluntas motione Dei physica et efficaci moveatur ad dicta judicia conscribenda (suprà, p. 462 ss.), sequitur omnia judicia hagiographi esse judicia Dei, seu *directum ad nos scriptum verbum Dei* (suprà, p. 509 ss.). Absolute autem repugnat Deum omniscium atque summe veracem hominibus proponere ut vera quæ falsa sunt, vel ut falsa quæ vera sunt.

Ergo ex rite intellecta inspiratione logice et necessario fluit absoluta Scripturæ inerrantia.

II. Explicatur corollarium de S. S^æ inerrantia.

1° Error subjective spectatus est formalis vel materialis. Error *formalis* in solo judicio firmiter prolato inveniri potest, et habetur quoties de subjecto affirmatur quod ei non convenit, aut negatur quod ei convenit (1). Error *materialis* est quando mens *opinatur*, h. e. assentit uni contradictionis parti cum formidine de veritate partis oppositæ, cum motivo vere sufficienti et non tenacius quam meretur motivum, et tamen objectum opinionis est falsum (2). — Jamvero, quoties homo elicit judicium sive certum sit, sive opinativum et quodcumque sit ejus objectum, judicium est necessario verum vel falsum seu erroneum, cum necessario sit conforme cum re vel difforme a re.

2° Hoc valet de *omni judicio* proprie dicto hagiographi: verum est quia affirmatur *esse* id quod *est* vel *non esse* id quod *non est;* erroneum esset si affirmaretur *esse* id quod *non est* aut *non esse* id quod *est*. Ac parum refert quodnam sit judicii objectum, sive doctrinale, sive morale, sive scientificum, sive historicum.

Inspirationem ad omnia hagiographi judicia se extendere, præclare docet Leo XIII in Encycl. *Providentissimus Deus:* « Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Scripturæ partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Non enim toleranda est eorum ratio qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem ad res fidei morumque, nihil præterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quænam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest

(1) Cf. E. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii 1900, n. 143; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 343 ss., t. XIII, p. 658 ss.

(2) Hæc distinctio non de errore *objective* spectato seu de falsitate, uti exponitur apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 347.

ut divinæ inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat ac respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse... Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existimant, ii profecto aut catholicam divinæ inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem » (1).

3° At vero, uti supra explicavimus (p. 509 ss.), inspiratio adeoque inerrantia S. Scripturæ ad ea tantum se extendit judicia quæ in genuinis Scripturæ textibus primigeniis continentur, et quæ vere sunt judicia auctoris inspirati, vel quæ in S. Litteris explicite vel implicite citantur et ab hagiographo, sive formaliter sive æquivalenter, approbantur.

4° Hoc tamen est *sedulò notandum:* nullus auctor libri vere judicium profert, rem vere affirmat aut negat, nisi quando et quatenus eam affirmare seu *judicare intendit* (2). Verùm, cùm judicium sit actus mentis internus, cùmque Scriptura sit sermo scriptus ad homines directus, intentio judicandi in casu non intelligitur mere interna, sed eam quam verba auctoris in concreto, i. e. attento textu ac contextu, cunctisque scriptionis adjunctis, clare manifestant (3).

Interpretis igitur erit, varia adhibendo subsidia quæ hermeneutica (4) ipsi præbet, solvere quæstionem *facti,*

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 314 s.

(2) Apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 345 meritò observatur inaccurate saltem loqui auctores, qui agentes de inerrantia S. Scripturæ, statuunt ibi tantum esse errorem, ubi aliquid *docetur*. Non requiritur intentio docendi, sed sufficit intentio judicandi. Cæterùm quidam auctores, ut Van Noort (*Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina*, Amstelodami 1906, p. 59 s.) *affirmare* (seù judicare) et *docere* manifeste ut synonyma habent.

(3) Cf. Van Noort, *o. c.*, p. 59 s.

(4) Scilicet tùm rationalis, tùm christiana, tùm demum catholica. Cf. egregium opus V. Zapletal, *Hermenentica biblica*, Friburgi H. 1908.

seu determinare utrum auctor Scripturæ secundarius (1) judicare intenderit ac quodnam sit ejus judicii objectum.

5° Porro, ad dijudicandum *quænam in Scriptura occurrant judicia hagiographi* multum juvat determinatio *generis litterarii* ab eo usurpati (2).

Inspiratio divina nedum ullam speciem litterariam (genre littéraire) a priori excludat, omnia genera in litteris profanis usurpata, variasque scribendi methodos admittit (3). Cùm hagiographi sub motione Dei fuerint instrumenta viva, rationalia ac libera; cùm præterea opus Dei perfecerint exercendo actionem propriam, modo singulorum indoli, culturæ cæterisque temporis ac loci, adjunctis proportionato (v. supra, p. 401 s.), præsumendum est varia genera litteraria, *apud antiquos Hebræos* decursu temporis adhibita, in Scripturis reperiri (4).

---

(1) Etenim, ut sapienter observat Van Noort, *o. c.*, p. 59 s. « Deus est auctor Scripturæ per auctorem humanum, qui ea omnia eaque sola quæ Deus jubebat, recte mente concepit, fideliter conscribere voluit, apte infallibili veritate expressit; hinc quamdiu agitur de hagiographo qua tali, solusque sensus literalis quæritur, fidenter dicere possumus: *Deus per Scripturam* affirmare *voluit ea omnia eaque sola, quæ auctor secundarius ibi affirmare intendebat, nihil minus nihil plus.*

Dico: a. « quamdiu agitur de hagiographo *qua tali* »; ubi enim hagiographus simul prophetam agit, fieri potest, ut sensum literalem prophetiæ suæ nonnisi inadæquate, imo valde inadæquate, cognoverit... Similiter non dico, hagiographos semper plene assecutos esse sensum verborum Dei, Christi, Angeli, quæ *referebant.* — b. « Quamdiu solus sensus *literalis* quæritur »; fieri enim potest, ut Deus præter sensum literalem intenderit sensum mediatum seu mysticum... hagiographo omnino incognitum. — Præterea c. facile admitto, hagiographos non semper *distincte* cognovisse singula elementa veritatis complexæ, quam enuntiabant: sufficit ut cognoverint totam veritatem in confuso ».

(2) Ne in tam momentosa materia a recta via abducamur, duces sequemur clarissimos auctores Pesch, S. J.. *De Inspiratione S. Scripturæ,* Friburgi B. 1906, p. 501 ss.; Van Noort, *o. c.*, p. 60 s.; Brucker, S. J., *L'Eglise et la critique biblique,* Paris 1908, p. 49 ss.

(3) Iis profectò exceptis quæ per se in errorem inducerent.

(4) Uti ait Brucker, *l. c.*, post S. Aug.: « Dieu faisant écrire des livres par des hommes et pour des hommes, n'a pas voulu qu'ils fussent rédigés dans des formes de composition autres que celles en usage parmi

Huic præsumptioni respondet veritas. Ut vel illas species litterarias nominemus, de quibus omnes convenire debent, reperiuntur in Scriptura: narrationes historicæ, descriptiones poeticæ, genera scribendi metaphorica, figurata seu ficta uti fabula seu apologus (*IV Reg.*, 12, 1-4), allegoria, parabola; genus propheticum seu apocalypticum, descriptiones juxta modum loquendi vulgarem.

Jamvero evidens est propositiones, quæ in tractatu scientifico falsæ essent, veri erroris inculpari non posse, si auctor intenderit adhiberi modum loquendi vulgarem in externis apparentiis fundatum; pariter propositiones quæ in libro stricte historico erroneæ essent, falsas non esse si voluerit auctor descriptionem poeticam tradere, parabolam vel apocalypsim proponere. Etenim singulæ propositiones, quæ in variis his speciebus litterariis occurrunt, sunt quidem totidem judicia hagiographi, sed determinata (seu conditionata, uti aiunt) judicio quodam generali auctoris, qui intendit vel referre quæ facta sunt, vel docere aliquid specie litteraria non stricte historica. Tunc, secundum diversitatem generis litterarii adhibiti, singula judicia conferre debent ad objectum ab auctore intentum. Si e. gr. agatur de narratione historica stricte dicta, singula judicia conformia esse debent ipsi realitati eventuum qui referuntur; si vero agitur de inculcanda aliqua doctrina, e. g. per parabolam, tunc singula judicia apta esse debent ad dictam veritatem inculcandam.

Ità, ut datum exemplum magis evolvamus, in parabola tota narratio potest esse ficta; sub imagine seu involucro fictæ hujusmodi narrationis, veritas religiosa, sive dogmatica sive moralis, inculcatur. Factum in parabola propositum contingere potest; fortasse plura

---

les hommes ». Deus e. g. assumendo Hebræum sæculi quinti aut quarti a. C., eum scribere fecit eo modo ac ratione quibus Hebræi, viri orientales illius temporis, scribere solebant.

facta a Christo in parabolas assumpta contigerunt; sed hoc ad veritatem parabolarum minime est necessarium. Veritas parabolæ tota consistit in ejus aptitudine ad illustrandam doctrinam veram inculcandam; de hac doctrina et de dicta aptitudine auctor unice judicium proferre intendit.

Inspiratio igitur non impedit quominus genus litterarium, a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum, in Scriptura reperiatur. Si hoc de breviore narratione, ut de parabola, allegoria etc. valeat, potest valere de longiore quæ in libellum extenderetur. Possibilitate hujusmodi narrationum concessa, ex solo inspirationis conceptu discerni nequit utrum in Scriptura sint libri, qui speciem tantum historiæ præ se ferant, de facto autem ad aliud genus litterarium sint reducendi. Sub quibusnam conditionibus et cautelis hoc pro integro libro, vel pro libri parte admitti possit, in Resp. ad quæst. mensis Decembris evolvetur.

A. Camerlynck.

II

Q. *Explica quomodo in doctrina Modernistarum auferatur penitus* ordo supernaturalis.

R. Ordo supernaturalis intelligitur hic complexus donorum supernaturalium — sive simpliciter, sive secundum quid supernaturalium — quem Deus, in præsenti Providentiæ ordine, concessit et concedit generi humano et angelis (1).

Ex variis theologiæ tractatibus demonstratum supponimus *esse* ordinem supernaturalem, nempe concedi a Deo dona quæ sunt positive indebita tum humanæ,

(1) Cf. Jungmann, *De Deo creatore*, n. 231 s.; *Collat. Brug.*, t. II, p. 114 s., t. III, p. 511 s.; Schiffini, *De Gratia*, Friburgi Br. 1901, n. 1-9.

tum cuilibet finitæ (sive creatæ, sive creabili) naturæ, dona nempe quibus creatura elevatur (sive in essendo, sive in operando), supra perfectionem quæ ejus essentiæ inest vel ejusdem proprietatibus exigitur. Nominatim ut dona supernaturalia, quoad omnem creaturam, habemus ipsam Dei revelationem, visionem Dei intuitivam, omnesque actus et habitus qui sunt positive ordinati et intrinsece proportionati beatificæ huic visioni, ipsam societatem supernaturalem, sc. Ecclesiam, cum proprietatibus eidem inhærentibus et mediis attingendi finem propriis ipsi.

Porro conabimur probare in doctrina Modernistarum contineri, vel implicite vel explicite, *negationem* existentiæ seu realitatis *ordinis supernaturalis totius*, quem suprà descripsimus.

A. Prænotemus *cognoscibilitatem* omnis entis supernaturalis radicitus rejici ab illis qui *agnosticismo* adhærent, h. e. systemati quod asserit nostræ cognitionis intellectualis objectum esse tantum *phænomena*, nempe sensibiliter apparentia, et consequenter nullum ens suprasensibile, v. gr. Deum, animam, a nobis posse cognosci aut ejus existentiam posse demonstrari ratiocinio intellectus nostri; proinde in hoc systemate omnis entitas supernaturalis, utpote immaterialis seu spiritualis, incognoscibilis censetur nec de illa potest ulla ratio haberi, nec proinde de ullo effectu supernaturali a Deo producto in anima, nec etiam de effectu sensibili supernaturaliter producto a Deo, quatenus est omnipotens et dominus totius Universi (1).

---

(1) En verba encyclicæ « Pascendi »: « Vi hujus (agnosticismi) humana ratio *phænomenis* omnino includitur, rebus videlicet quæ apparent eâque specie qua apparent: earumdem prætergredi terminos nec jus nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius existentiam, ut per ea quæ videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiæ objectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subjectum historicum minime censendum esse » *Collat. Brug.*, t. XII, p. 599 s. Ulteriorem explicationem et asserta quædam Modernistarum vide in *o. c.*, t. XIII, p. 195 ss.

B. Non solum ut incognoscibile habent Modernistæ omne supernaturale, sed ulterius omne quod ad religionem spectat ita explicant ut supernaturale *positive negent:* quod imprimis valet de ordine supernaturali *universim* seu *generice* spectato, deinde de *singulis* quæ illum ordinem ingrediuntur.

1. Ordo supernaturalis, universim seu generice spectatus, negatur in theoria de *immanentia vitali:* etenim secundum hanc omnis religio (sive naturalis *dicatur*, sive supernaturalis) est aliqua evolutio *sensus religiosi*, inhærentis omni animæ: nam in omni anima, vi ejusdem naturæ, habetur *indigentia divini* (le besoin du *divin*) (1); ex hac indigentia oritur per subconscientiam (2) ipse sensus religiosus (le *sentiment* religieux) nempe aliqua adhæsio ad *divinum*, ad *Incognoscibile;* hæc adhæsio est quasi *intuitio* divini et dicitur *fides;* porro intellectus humanus cogitat de hac fide et efformat primo quasdam sententias vulgares et simplices, quæ sunt expressiones illius fidei, deinde invenit sententias magis excultas et distinctas, quæ sunt *dogmata*. Illa porro dogmata necessario accommodata sunt sensui religioso cujus sunt effectus, quum vero ille sensus religiosus, utpote vitalis, sit mutabilis pro diversitate temporis, mutabilia etiam sunt dogmata. Omnes igitur religiones (sc. complexus dogmatum, præceptorum et rituum) quæ fuerunt in mundo, sunt, et erunt, nihil aliud important quam naturalem evolutionem sensus religiosi humani: sicut religio, generice spectata, est necessaria, nempe sequela veræ indigentiæ seu exigentiæ animæ, ita etiam omnes religiones diversæ sunt tot sequelæ naturales prædicti sensus religiosi sese evolventis per decursum

(1) Modernistæ dicunt indigentiam *divini* et non indigentiam *Dei*, quia nolunt agnoscere Deum personalem, nempe ens intellectu et voluntate præditum, realiter omnino distinctum a mundo. Cf. MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, Paris, 1909, p. 80 s. Hoc egregium opus lectoribus nostris commendamus.

(2) De subsconscientia cf. o. c., p. 115 ss.

sæculorum : uti patet, in hac theoria negatur omnis *supernaturalis* interventus Dei, et affirmatur fidem omnem, omnemque virtutem procedere *spontanee ex sola anima* et ejus naturali *exigentiæ omnino proportionari* (1). In hoc præcise continetur negatio ordinis *supernaturalis* et sita est quasi essentia Modernismi (2). Notemus non minus auferri realitatem ordinis *supernaturalis* ab eo qui diceret hanc religionis originem et evolutionem oriri quidem ex naturali indigentia *divini,*

---

(1) En verba Encyclicæ « Pascendi ». « *Religiosus* igitur *sensus*, qui per *vitalem immanentiam* e latebris *subconscientiæ* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quæ in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, ejusmodi *sensus* paullatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanæ vitæ, cujus, ut diximus, quædam est forma. Habemus igitur religionis cujuslibet, etsi supernaturalis, originem : sunt nempe illæ *religiosi sensus* meræ explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet ; immo vero ceteris omnino parem : nam ea in conscientia Christi, electissimæ naturæ viri, cujusmodi nemo unus fuit nec erit, *vitalis* processu *immanentiæ*, non aliter, nata est... Non heic jam de veteri errore agitur, quo naturæ humanæ supernaturalis ordinis veluti jus tribuebatur. Longius admodum processum est : ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo æque ac in nobis, a natura, ex se suapte sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum ». *Collat. Brug.*, t. XII, p. 603. In laudata encyclica, alio in loco, dicit Pius X de modernistis apologetis : « Ad quem finem modernistæ apologetæ ad *immanentiæ* doctrinam reverituntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque intimis ejus naturæ ac vitæ recessibus celari cujuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cujuscumque sed talis omnino qualis catholica est ; hanc enim *postulari* prorsus inquiunt ab explicatione vitæ perfecta » *Collat. Brug.*, t. c., p. 668. — De assertis modernistarum et de refutatione cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 208 ss. ; MICHELET, *o. c.*, p. 183 ss., nominatim p. 295 ss., ubi A. exponit quomodo ex theoria de *immanentia vitali* logice ad pantheismum, imo ad atheismum, processus fit ; CARBONE, *De Modernistarum doctrinis*, Romæ 1909, p. 54 ss.

(2) « Le Modernisme consiste essentiellement à affirmer que l'âme religieuse doit tirer d'elle-même, rien que d'elle-même, l'objet et le motif de sa Foi Il rejette toute communication révélée qui, du dehors, s'imposerait à la conscience, et ainsi il devient, par une conséquence nécessaire, la négation de l'Autorité doctrinale de l'Église établie par Jésus-Christ, la méconnaissance de la hierarchie divinement constituée pour régir la société chrétienne ». CARDINAL MERCIER, *Le Modernisme* (Collection « Science et Foi ») Bruxelles, 1908, p. 25.

humanæ animæ insita, sed fieri cum concursu seu influxu Dei et sub ejus providentia: nam quidam concursus generalis Dei, influxus quidam ejus physicus non est supernaturalis, sed naturalis, utpote omnino requisita a natura creata.

2. De quibusdam, ut sic dicam, elementis religionis supernaturalis, singillatim spectatis, breviter indicabimus qua ratione a modernistis auferantur.

a/ *Revelatio*, *active* sumpta, est « actio Dei ad extra specialis qua mentem suam creaturæ significat, hoc significatum ceu verbum suum testando seu auctoritate sua muniendo » (1). Jamvero Modernistæ, quatenus Agnosticismo adhærent, Dei existentiam, Ejusque naturam ac attributa, omnemque Ejus operationem ad extra prorsus ignorant; quatenus Immanentismo inhærent censent revelationem nihil aliud esse quam actionem hominis internam qua conscius est de relatione ad divinum (2). — E medio sublata revelatione active spectata, jam evanescit revelatio, *objective* spectata, h. e. complexus veritatum a Deo revelatarum. Et sane pro Modernistis veritates revelatæ nihil aliud sunt quam formulæ quæ per evolutionem sensus religiosi, tamquam ejusdem expressiones, sunt exortæ. Nominatim mysteria, stricte dicta, quæ in catholica religione ut præcipua habentur, nempe SS. Trinitatis mysterium et Incarnationis, explicant Modernistæ per influxum philosophiæ græcæ in convictiones religiosas primorum christianorum (3). — Sublatis veritatibus a Deo realiter revelatis, perit etiam *fides* proprie dicta, nempe *intellectus* adhæsio ad aliquid ut *verum* propter *auctoritatem Dei revelantis:* jam suprà exposuimus quomodo nomine fidei a Modernistis intelligatur aliud omnino ac adhæsio intellectus statim descripta (4).

---

(1) Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. II, p. 299.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 196, 206, 208, 284.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 285.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. c., p. 203, 276.

b/ *Societas* religiosa *supernaturalis,* qualis est catholica Ecclesia (1), omnino rejicitur a Modernistis, *primo* quidem quia non agnoscunt Christum, vel alium, fuisse vere legatum Dei et proinde fruentem ea auctoritate, ab ipso Deo concessa, quæ requiritur ut habeatur societas divinitus constituta; *deinde* quia omnia supernaturalia, quæ huic societati competunt, v. gr. vinculum sociale, h. e. charitas supernaturalis; proprietates, media, quà supernaturalia, rejiciunt; *tertio* quia Ecclesiæ originem explicant ex duplici necessitate quæ naturaliter exsurgit inter homines qui eidem fidei religiosæ adhærent (2).

c/ *Gratia* ipsa (nempe habitus permanenter animæ inhærens, vel motio transeunter animam afficiens) — licet de ea parum loquantur explicite Modernistæ — nequit tamen in horum systemate admitti, quia ipsa nota *supernaturalitatis* aufertur ab illo qui contendit vitam christianam *postulari* ab anima (non tantum illi convenire, illamque perficere), et ex analysi tendentiarum psychologicarum, *abstractione facta ab omni revelatione*, detegi necessitatem alicujus auxilii divini, quod esset *gratia* proprie dicta, nempe *supernaturale* auxilium (3).

Conclusio nostræ expositionis erit quod Modernistæ, sicut naturalem cognitionem de re suprasensibili *radicitus* annihilant, ita supernaturalis cognitionis vitæque omnis *principia*, sive objectiva sive subjectiva, penitus

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. c., p. 436 ss.

(2) Cf. encyclica « Pascendi », *Collat. Brug.*, t. XII, p. 614 s.; quoad ulteriorem explicationem cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 283. — Catholici factum institutionis Ecclesiæ *demonstrant* ex evangeliis, consideratis tamquam libris *historicis;* hæc demonstratio omni sua vi privatur in doctrina Modernistarum, quippe qui in his libris, utpote *religiosis,* nihil aliud agnoscunt quam expressionem *sensus religiosi* hominum qui illos scripserunt. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 282, 286.

(3) Cf. Thamiry, *Les deux aspects de l'immanence,* Paris, 1908, p. 285; Michelet, o. c., p. 273; encyclica « Pascendi » *Collat. Brug.*, t. XII, p. 668 s. et t. XIII, p. 210.

delent. Qua de re Summus Pontifex in encyclica « Communium rerum » dolens dicebat : « Horum (sc. Modernistarum) tela in Ecclesiæ animam, tamquam in trunci radicem, conjiciuntur, ut certo ictu ac destinato feriant. Est enim ipsis propositum christianæ vitæ doctrinæque turbare fontes ; sacrum fidei depositum diripere ; per pontificiæ auctoritatis et episcoporum contemptum divinæ institutionis fundamenta convellere ; novam Ecclesiæ formam imponere... totam denique divinæ Sponsæ deformare faciem, vano fulgore perculsi recentioris cujusdam humanitatis, hoc est, falsi nominis scientiæ » (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Præmissa notione accurata delectationis morosæ, indica quid apud varii generis pœnitentes veniat sub nomine pravarum cogitationum.*

Q. I. Titius, nullatenus actum ipsum ponens, nec positum antea approbans nec ullomodo desiderans in futuro committendum, — sibi tamen, imaginatione sua semetipsum vel alium hominem repræsentat tanquam externe (2) committentem actum aliquem malum, puta homicidium vel fornicationem. Hunc actum ab una parte apprehendit (ratione, ut dicunt, inferiori) ut delectabilem ipsi vel utilem, vel quodvis commodum habentem, sed ex alia parte judicat (ratione, ut dicunt, superiori) hunc actum repræsentatum esse contra legem Dei. Nihilominus, hoc ultimo judicio non obstante, pergit Titius voluntarie sibi repræsentare hunc actum in eoque sic repræsentato complacere. — En delectatio morosa (3).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 320.

(2) Stricte loquendo posses æque te tibi effingere quasi vacantem actui *interno*, in eoque tibi complacere.

(3) Optima hac de re notantur apud *La Vie diocésaine*, Documenta, pp. 81 ss., 1909.

Minime ergo delectatio morosa in sua notione importat aliquam materialem commotionem et delectationem veneream in membris turpibus, nec ullatenus (1) est in eo sita quod voluntas deliberate fruatur voluptate alicujus motus turpis excitati per imaginariam objecti venerei repræsentationem (2). — Sane, actui venereo cogitato facile accedet commotio carnalis, imo accedere poterit pollutio; quinimo potest quis, morosæ delectationi vacans, jam de facto ponere actum quemdam externum præambulum; — sed hæc omnia ad delectationem morosam minime requiruntur.

Ex dictis apparet quare dicatur *delectatio:* hac nempe tantum ratione, quatenus includit *complacentiam* voluntatis in actu cogitato; item quare dicatur *morosa:* hac nempe ratione, quatenus voluntas, non obstante judicio rationis, hunc actum repræsentatum esse malum, nihilominus, etiamsi per unicum tantum momentum (3) pergit ipsi deliberate immorari, sibique in ea complacere (4).

Quod speciem attinet theologicam et moralem, — seu quantitatem et qualitatem — probabile saltem est delectationem morosam, præter gravitatem et speciem quas desumit a parte subjecti delectantis et a parte objecti seu actus mali de quo delectatur, — non contrahere malitiam circumstantiarum actus cogitati, nisi præcise earum quas voluntas positive intendit (5). —

---

(1) Minus bene saltem quoad modum loquendi, *Collat. Namurc.*, t. I, p. 12.

(2) Revera delectatio morosa æque bene haberi potest circa quævis peccata, etsi nullam delectationem materialem secum ferant, ut puta circa homicidium, odium Dei, etc. — Imo vero sensu — etsi non solito — loqui posses de delectatione morosa circa licita et honesta: ut si cogitarem actum aliquem eleemosynæ tanquam a me patratum, hunc actum qua honestum ac bonum apprehenderem, in eoque quatenus bono complacerem mihi.

(3) Ad *consensum* enim liberum voluntatis sufficit unicum momentum.

(4) *Morosa* ergo idem sonat ac *libera, deliberata,* nec ullatenus importat diuturnam quamdam moram temporis.

(5) Quæ vide latius exposita et probata fasc. *Collat. Brug.*, mensis Januarii 1910.

Quæ valent de delectatione morali qua tali: practice enim sæpe addetur *desiderium* opus cogitatum efficiendi, vel saltem aderit periculum transeundi ad tale desiderium vel imo operis inchoationem vel integram effectionem (1); unde ex hoc capite addi poterunt aliæ species peccatorum.

II. Ex dictis apparet delectationem morosam apte definiri: consensus in solam delectationem mali operis cogitati ut præsentis (2), et bene distingui a variis aliis actibus quibuscum sæpe tamen arcte cohæret (3) et a multis uno nomine designari solet « *pravæ cogitationis* ». Talia sunt præcipue (4):

1°/ Consensus in delectationem commotionis venereæ vel pollutionis, involuntarie subortæ. — De quo non est dubitandum quin sit peccatum ejusdem gravitatis ac si quis ex intento scopo dictam commotionem vel pollutionem in seipso produceret.

2°/ Illæ cogitationes quibus imaginatio sibi repræsentat res plus minusve turpes: partes corporis turpes vel minus honestas, hominum vel animalium; actus carnales inchoatos vel consummatos, honestos vel peccaminosos; coitum animalium; processum conceptionis humanæ et nativitatis; et similia. — Quæ differunt a delectatione morosa quatenus non habent pro objecto

---

(1) Quod si ipsum opus executioni mandatur, delectatio morosa jam non est speciale peccatum, sed unum efficit peccatum cum peccato externo commisso, estque elementum subjectivum requisitum ad peccatum *formale* committendum.

(2) Ita Ill. Waeffelaert, *De Prud., Fort. et Temp.*, p. 324.

(3) Cohæret autem sive per modum causæ dispositivæ, quemadmodum delectatio morosa sat facile inducit ad desiderium, sive per modum effectus, quemadmodum repræsentatio impudica sat facile inducit ad delectationem morosam.

(4) Dicitur: *præcipue*. Non enim loquimur de variis quæ apud pueros v. g. interdum eodem nomine veniunt, quin ullum appareat fundamentum objectivum: qualia sunt: dubia contra fidem, cogitationes contra caritatem Dei vel proximi, tentationes circa suicidium, vindictam, etc., desiderium cujusvis peccati alieni; — item judicia temeraria et suspiciones circa vitam moralem proximi; etc.

actum aliquem pravum quasi præsentem et a voluntate approbatum.

Hæc quidem per se non sunt peccaminosa, ut patet, licent possint homini esse periculosa duplici ratione: a/ possunt enim habere pro *effectu* commotiones venereas in membris, imo ipsam forte pollutionem; possunt item in appetitu sensitivo excitare pravas concupiscentiæ passiones; b/ ulterius iis motibus corporis et appetitus concupiscibilis, allicitur homo et tentatur (1) ad actus liberos voluntatis ulteriores: ad delectationem morosam, vel gaudium, vel desiderium, vel imo ad pravos actus externos. — Circa malitiam forte contractam ex priori capite, cfr. quæ dicuntur hoc eodem fasciculo *Collat. Brug.* de luxuria voluntaria in causa; de malitia vero ex altero capite oriunda, judicandum est juxta principia generalia: quandonam, quantum et quale sit peccatum, se exponere periculo peccandi.

Descriptæ imaginationes, (sicut interdum quilibet aspectus rerum turpium), a multis, præcipue a pueris et adolescentibus, maxime a procantibus, — imo et interdum a conjugibus sibi actum matrimonialem repræsentantibus — vocari solent impuræ cogitationes, et non raro, ut graviter malæ habentur.

3°/ Cum his de quibus statim supra (2°) arcte cohærent et ipsæ sæpe ut pravæ cogitationes habentur, eæ suspiciones, dubia, inquisitiones, quibus quivis homo (nisi sit in prima infantia imprudenter omnia edoctus), quasi pedetentim ducitur in cognitionem mirabilis ordinis a Creatore circa procreationem generis humani statuti. — Item eæ delectationes (spirituales quas vocant) quibus quis gaudet de cognitione, de scientia quam habet rei venereæ (2); item delectatio quam quis habet de solo modo mirabili, ingenioso, artificioso,

---

(1) Unde recte dicuntur: *tentationes*.

(2) Ut si confessarius gauderet se accurate omnium peccatorum contra sextum præceptum pollere scientia.

lepido, vel ridiculo, quo actus venereus committitur; item complacentia et gaudium de *effectu* bono secuto ex actu quodam (1).

Quæ iterum omnia per se non sunt peccata, cum minime includant complacentiam in actum quemdam pravum; attamen et ipsa varia gradu pro variis personis et adjunctis, possunt inducere ad ulteriores effectus vel actus, ut dictum est supra.

Unde et hæc immerito habentur quasi de se « pravæ cogitationes » et peccaminosæ: in specie non raro ab illis adolescentibus, quorum mens jam inquieta et curiosa majori attentione advertere et inquirere incipit, quæ circum ipsis aguntur et dicuntur, quique ex pubertate jam adepta primos motus carnales, distillationes vel pollutiones jam experiuntur.

4°/ Ipsa desideria sive absoluta (seu ut dicunt: efficacia), sive conditionata (inefficacia aiunt) circa actum venereum a se vel ab alio committendum; quæ sunt proposita voluntatis actum venereum cogitatum actu perficiendi. Differunt proinde a delectatione morosa quæ tale propositum de se non includit, licet practice sæpius adjunctum habeat.

Est desiderium in quantum est peccaminosum, ejusdem (2) gravitatis et speciei (3) atque opus externum quod concupiscitur, ideoque contrahit speciem tum ab objecto actus, tum a variis circumstantiis eidem adnexis, sufficienter a mente apprehensis. — Dicitur: Desiderium in quantum est peccaminosum: etenim dari possunt desideria conditionata talia quorum conditio adnexa de se, vel partim vel ex integro auferat malitiam desiderii (4).

---

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *o. c.*, p. 333.

(2) Patet tamen desiderium ab actu externo distingui qua species interna a specie externa.

(3) Contra obligationem directam — vel indirectam castitatis prout agitur de desiderio circa peccatum committendum a teipso vel ab alio.

(4) Quæ iterum vide exposita et probata apud *Collat. Brug.*, t. XV, (1910), fasc. Januar.

Quæ omnia habentur a multis quasi pravæ cogitationes eæque graviter malæ, etiam ea non raro quæ de se inhonesta non sunt, qualia: desideria procantium relate ad copulam in futuro matrimonio habendam, vel imo desideria conjugum relate ad copulam matrimonialem.

5°/ Ipsa gaudia (1) seu approbationes actus venerei præteriti, quibus nim. aliquis actum præteritum, a se vel ab alio quondam positum iterum mente revolvit et actu deliberato voluntatis gratum habet et approbat.

Est gaudium, in quantum peccaminosum, ejusdem gravitatis et speciei (2) ac peccatum quod approbatur (3). Dicitur: in quantum peccaminosum: dari enim potest gaudium de se non pravum, ut si viduus vel conjux approbat denuo copulam in legitimo matrimonio habitam.

Quæ sub 4° et 5° exponuntur, sæpius enumerantur a rudibus, omnia permixtim: « pravæ cogitationes », vel « pravæ cogitationes et desideria », et frequenter apprehenduntur quasi omnia unum et idem essent peccatum specifice: « peccatum np. contra castitatem non externum ».

IV

Q. *Modum practicum quo cum variis his pœnitentibus procedat confessarius, assigna.*

R. **Prænota.** 1/ Præter onus indagandi circa dispositiones requisitas a parte pœnitentis, confessario *qua judici* incumbit inquirere circa peccata admissa ab ipso.

Qua in re notet:

a/ confessarii esse per suas interrogationes *supplere* defectui pœnitentis, ipsumque non teneri plus exami-

(1) Quod gaudium si *verbis* exprimitur, habetur gloriatio seu jactantia, de qua cfr. Ill. Waffelaert, *o. c.*, p. 323.

(2) Iterum contra obligationem *directam* vel *indirectam* castitatis, ut dictam est supra, p. 580, nota 3.

(3) Vide *Collat. Brug.*, XV, l. c., nota.

nare pœnitentem quam pœnitens ipse tenetur se examinare ; nec ideo refert quod, si confessarius plus interrogaret, plura forte et distinctiora inveniret. Judicet ergo quid pœnitens, pro conditione sua, post humanum et morale examen, circa speciem et numerum peccatorum invenire posset, et hoc qua sufficiens habeat ;

b/ in hac materia lubrica servandum esse principium *parce, caute et caste,* et quamlibet interrogationem non necessariam malam esse. Quare non est pœnitens interrogandus circa ea de quibus imperfectum tantum consensum habuit ; imo « sæpius integritas materialis negligi poterit, ne scandalizetur pœnitens, vel saltem admiratione afficiatur, in inquisitione sibi nimis curiosa visa confessarii, aut ne addiscat quæ ignorare præstet » (1), aut ne confessio reddatur pœnitenti odiosa.

2/ Confessarii *qua doctoris* in hac materia est toties pœnitentem docere quoties eum deprehendit laborare falsa conscientia, qua putat peccatum quod non est, vel grave quod non est nisi leve. De cæteris quæ pœnitens scire quidem deberet, sed ignorat invincibiliter, stante bona fide sua, ordinarie non est instruendus, nisi spes appareat fructus (2).

Quæ principia jam applicemus casui, speciminis gratia assumpto, juvenis in confessionali se accusantis de « pravis cogitationibus ».

Confessarii est judicare, in quantum requiritur, quot, quænam et quanta peccata sic absolutioni submittantur. Qua in re hæc videntur, regula generali (3) servanda :

I. Interdum agetur de pœnitente rudiori, ex cujus confessione constat ipsum passim externa et interna,

---

(1) Ill. Waffelaert, *o. c.*, p. 330.

(2) *Collat. Namurc.*, *l. c.*, pp. 16 s.

(3) *Regula generali.* Confessarii erit, juvante præsertim experientia, judicare de adjunctis specialibus ratione quorum ab hac regula sit discedendum. Deficiente experientia, potius peccet confessarius defectu quam excessu inquisitionis.

vel crassa turpiloquia, vel saltem interna multiplicia admittere, ita ut de quovis objecto occurrente malas delectationes et cogitationes conceperit. Quo casu a confessario, regula generali (1), non est circa hæc interna interrogandum :

a/ neque de consensu : quia jure præsumet confessarius frequentius adfuisse sufficientem consensum ad grave peccatum (2)

b/ neque de speciebus, nequidem utrum fuerint desideria, utrum gaudia, utrum delectationes morosæ, etc., nec a fortiori de objecto et adjunctis horum actuum. Ratio est quia rudes non solent inter hæc omnia distinguere, sed omnia habent quasi idem, quasi simile peccatum, quod vocant « cogitationem pravam. »; proinde variis actibus internis, hanc tantum generalem malitiam incurrunt, et sufficienter postea se de hac generali specie accusant. Cæterum moraliter impossibile esset ipsis, sæpe post confessionem ultimam diu elapsam, seriam quamdam notitiam circa hæc sibi acquirere, et ipse confessarius notitiam sufficientem sibi efformabit, species quaslibet generatim et in globo supponendo et de internis juxta externa commissa judicando.

c/ neque de numero. Revera, — præterquam quod iterum difficillime sæpe ad grossam etiam æstimationem pervenire potest pœnitens, — ratio est quia hi actus interni sæpius non distinguuntur numerice ab externis commissis, sed cum ipsis in unum moraliter actum uniuntur, nec sunt proinde distincte accusandi.

Ratio generalior addi potest : quia secus confessio

---

(1) Excipies v. g. si ipse pœnitens magis determinare cupit, vel petit adjuvari cum spe majoris integritatis ; vel si apparet aliquatenus melioris instructionis, ita ut distinctionem inter peccata interna capiat.

(2) Cfr. Ill. Wafflaert, *o. c.*, p. 327. Revera numerosa peccata externa contra castitatem quasi necessario consequitur frequentia peccati interni, sive desiderii, sive delectationis morosæ. *La Vie Diocésaine, l. c.*, p. 86.

fieret pœnitenti, (minus generatim bene affecto erga spiritualia, et jam aliunde sæpius circa magis momentosa interrogando et instruendo, et præsertim bene disponendo), — nimis longa et tædiosa, eumque a praxi Sacramentorum magis adhuc averteret (1).

Pro futuro hoc tantum utiliter docere poterit confessarius idem non esse cogitare de peccato deque eo delectari, et proponere illud peccatum postea complere; ulteriora sæpe inutiliter doceret. — Item moneat ut, præter remedia generalia huic vitio opponenda, discat jam ab initio resistere pravis concupiscentiis, et sic, dum animadvertit se de rebus turpibus recogitare, eas cogitationes statim repellat, mentem ad alia divertendo.

II. Interdum contra agetur de juvene, habitualiter pie et caste vivente. Qui sunt accuratius interrogandi.

a) Attendat imprimis confessarius, et, occasione data, interroget, num pœnitens etiam — vel unum — peccatum *externum* plene deliberatum admiserit. Revera interdum, hac velata formula « pravæ cogitationis » utuntur juvenes vel puellæ, nolentes vel non audentes aperte declarare peccatum, prima forte vice admissum. — Cæterum ipse modus respondendi, puta vivida protestatio se nolle peccare, sæpius criterium sufficiens erit ad judicandum etiam interna fuisse inania vel non plene deliberata. Imo ipsa nudam absentiam talis peccati externi putamus regula satis generali criterium esse sufficiens (2). — Quod si peccatum externum de facto adfuerit, facilius admittet confessarius adfuisse pecca-

---

(1) Ne tamen hoc prætextu, modo *nimis* expedito res ipsius tractentur, ita ut totum negotium sacramentale jam ipsi vilescat, et præter dubiam sæpe remissionem peccatorum, nullum jam fructum producat.

(2) Revera « qui habitualiter pie et caste vivit, recte præsumitur, nisi de contrario clare constet, non graviter peccasse per interna; nam si ut libidinem expleat valedicit gratiæ sanctificanti et amicitiæ Dei, plus exigeret ad compensandum hoc damnum spirituale, quam delectationem quamdam internam, et quæreret intensiorem voluptatem in aliquo actu impudico externo, quem facillime posset ponere ». *La Vie Diocésaine, l. c.*, p. 86.

tum internum, ulteriusque interrogabit circa frequentiam et speciem et consensum ipsius.

b/ Deficiente actu externo, quia tamen casus dari potest quod aliquis solo peccato interno peccaverit, et præsertim quia frequenter erit instruendus pœnitens conscientia plus minus erronea laborans, — ulterius petet confessarius : Num forte prava desideria admiserit, seu num voluerit peccare contra castitatem, seu num sibi complacuerit in cogitando peccato turpi (1). Quod si pœnitens affirmat talia adfuisse, interroget confessarius num actus fuerit *plene deliberatus,* in hunc puta modum : « Num *plenum consensum* tribuisti ? Num, sciens hoc esse peccatum, tamen omnino voluntarie tibi complacuisti in his cogitandis et desiderandis (2)? » Dubitanter respondentem : « Num voluisses actum illum de quo cogitabas, effectu complere » ? — Quæ si negat, vel si dubitanter loquitur, jure præsumet confessarius consensum defuisse, eumque pro futuro instruat : « Tales cogitationes, talia desideria indeliberata sunt aliquid homini plane naturale ; — ab iis nullus homo omnino liber ; sunt tentationes a natura vel a dæmone excitatæ ; sunt occasiones tibi a Deo datæ ostendendi tuam firmam et bonam voluntatem et merita acquirendi ; peccatum

---

(1) Juxta doctrinam *theologicam* supra expositam, esset distinctim inquirendum de desiderio — de gaudio — de delectatione morosa — de cogitatione turpi periculosa ; et quoad singula, ulterius de objecto actus interni, de circumstantiis objecti in desiderio et gaudio, de peccato cujus prævidebatur periculum, etc. Sed, si quævis hæc ita sæpe sunt impervia theologis, quid putandum de simplici fideli? Unde putamus quod in vanum eos torqueres, regula generali, circa varia hæc, penitus inquirendo.

Quod in specie spectat distinctionem inter delectationem morosam et desiderium, putamus ita hæc sibi invicem practice cohærere in materia lubrica de qua agitur, ut delectatio morosa vix sine desiderio, conditionato saltem, occurrat. — Quare in textu practice attendimus ante omnia *desiderio* pravo.

(2) Practicus modo interrogandi de consensu, sæpius erit : Utrum et quænam media adhibuerit ad consensum vitandum, ad periculum superandum, ad tentationes repellendas.

non est in eo quod hæc tibi placent, sed in eo quod, advertens ea esse mala, nihilominus voluntate pergis ipsis complacere, (non nocet sensus, si deest consensus), etc. ».

Quod si confessario apparet plenum fuisse consensum, inquirat ulterius quodnam (1) peccatum fuerit objectum talis pravæ complacentiæ vel desiderii.

c/ Deficiente actu externo, et fatente pœnitente se non habuisse prava desideria, imo se nolle his occupari, apparet agi de variis imaginationibus plus minusve turpibus, sponte phantasiæ hominis occurrentibus; de quibus iterum docendum erit hæc secundum se non esse peccata, sed tamen, pro posse, ubi nulla datur ratio utilitatis vel necessitatis, vitanda, quia possunt homini esse periculosa ne ad ulteriora desideria vel actus transeat (2). Adde quæ supra sub b/.

d/ Tandem, non raro prudens confessarius animadvertet has « pravas cogitationes » de facto nil esse quam illas, de quibus diximus supra, suspiciones et investigationes circa procreationem humanam. Quam infeliciter non raro putant juvenes a talibus tanquam a peccatis gravibus esse horrendum. Præterquam enim quod inde facile ad scrupulos deducuntur, tam nocivos ipsis, simul timendum est ne falso putantes se peccatum grave jam admisisse, ulterius animum despondeant et jam ruant revera in peccata externa et mortalia. Unde

---

(1) Stricte loquendo, si ageretur de delectatione morosa, tantum esset, regula generali, inquirendum de ipso actu, non de circumstantiis ipsius; contra, si agitur de desiderio. Ast practice præsumes habuisse locum *desiderium*, ideoque, pro adjunctis, de circumstantiis interrogabis: de quonam peccato, an solitario, an cum alio, cum quonam, etc.

(2) Hac in re specialem difficultatem faciunt sponsi et procantes. Apparet enim eos etiamsi aliunde in externis actibus omnino honesti, de facto tamen non posse non cogitare de copula futura. Qui videntur eodem modo docendi, addendo ex una parte, desiderium illud de actu futuro de se non esse malum, sed sedulo ab eo cavendum, præsertim ne morose et vivacius fiat, ne sic se exponant periculo peccandi.

ad minus (1) hæc apertis verbis indicet confessarius: « ne quæso confundas pravas cogitationes cum talibus quæ non sunt! Peccatum non habetur in *scienda* una vel alia re, in aliqua re recogitanda; sed est in eo quod interne cogitas de aliquo *peccato*, ac *de eo delecteris*, vel in eo quod tibi imaginatione repræsentes res turpes et sic *periculo* te exponas transeundi ad ulteriora peccata. — In iis cogitationibus quæ hucusque tibi occurrerunt, puto nullum fuisse peccatum ».

Nota. Quod spectat modum resistendi variis tentationibus de quibus sub b/ c/ et d/, a confessario proponendum, non raro, præter remedia generalia vitio huic opponenda, utilius erit ut confessarius ipse interroget pœnitentem quid facere soleat, eumque bene agentem confirmet, secus corrigat in hunc similemve modum: « Tales tentationes efficacius vinces eas contemnendo, eas habendo qua aliquid inevitabile et naturale; mentem simpliciter avertendo, sine anxietate, ad alia cogitanda, agendo quod agis; nec postea inquiras utrum consensum plenum præstiteris, quia sic renovas tibi totam tentationem; nec resistas anxius vel turbatus, externe verba proferendo, vel gestus adhibendo, nam hæc omnia ad nil inserviunt, quam ad excitandam imaginationem et augendam turbationem » (2).

A. Vander Heeren.

---

(1) Utrum ulterius et quousque expediat confessarium ipsum instruere talem pœnitentem circa processum procreationis humanæ, — quod certe magnam exigeret a parte confessarii prudentiam in dicendis et modo dicendi; — quæstio est nimis disputata et difficilis, quam ut hic exponatur.

(2) Quæ sane ante omnia *scrupulosis* sunt proponenda; qui insuper hortandi ut de iis jam in confessionali non loquantur, nisi formula quadam generali: « Me accuso de omnibus quæ forte commisi contra castitatem »; et nil amplius determinent, nisi sine hæsitatione jurare audeant se plenum consensum præstitisse peccato gravi.

V

Q. *Expone in quo consistat perfectio christiana.*

R. Verbis sancti Thomæ (1): « *Secundum charitatem* attenditur *simpliciter* perfectio christianæ vitæ; sed *secundum alias virtutes, secundum quid* ».

Explicatur responsum.

I. Perfectio christiana consistit essentialiter in charitate.

Probatur facili argumento: « Dicendum quod unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio (2). Charitas autem est quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis; quia « qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo », ut dicitur 1 Joann., IV. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianæ vitæ » (3).

Per fidem utique et spem jam conjungimur cum Deo fine ultimo, sed modo imperfecto, uti patet vel ex hoc quod non remaneant in Beatis. Per solam charitatem, his in terris unimur perfecte cum Deo fine ultimo: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (1 Jo. IV, 16).

Huic doctrinæ consonant verba Domini (Mt XXII, 37 ss.): « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. *Hoc est maximum, et primum mandatum.* Secundum autem *simile est* huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. *In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ* ». Idem docet Apostolus (Coloss. III, 14): *Super omnia*

---

(1) *Summa theol.*, 2-2, q. 184, art. 1, ad 2.

(2) Ita perfectio solis est in hoc quod illuminet et calefaciat; oculus dicitur perfectus, quando recte videt. Attingunt enim finem ad quem sunt facti, et tales facti. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 659.

(3) *L. cit.*, in corp.

autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis (1).

Unde stat conclusio Angelici (2): « Per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianæ vitæ in charitate, principaliter quidem secundum dilectionem Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divinæ legis ».

Perfectio christiana consistit essentialiter in charitate: ergo quo perfectior est charitas, eo major est perfectio.

Jamvero distinguitur *triplex modus charitatis perfectæ*. Audiamus dilucidam expositionem Aquinatis (3): *Utrum charitas in hac vita possit esse perfecta.*

« Respondeo dicendum, quod perfectio charitatis potest intelligi dupliciter: uno modo ex parte diligibilis; alio modo ex parte diligentis.

Ex parte quidem *diligibilis:* perfecta est charitas, ut diligatur aliquid quantum diligibile est. Deus autem tantum diligibilis est, quantum bonus est; bonitas autem ejus est infinita: unde infinite diligibilis est. Nulla autem creatura potest eum diligere infinite, cum quælibet virtus creata sit finita. Unde per hunc modum nullius creaturæ charitas potest esse perfecta, sed solum charitas Dei qua seipsum diligit.

Ex parte vero *diligentis* tunc est charitas perfecta, quando diligit *tantum quantum potest*. Quod quidem contingit tripliciter. Uno modo, sic quod totum cor hominis *actualiter semper* feratur in Deum: et hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit: et ista est perfectio charitatis quæ est possibilis in via, *non* tamen *est communis* omnibus habentibus charitatem. Tertio

---

(1) Cf. S. François de Sales, *Traité de l'amour de Dieu,* L. X, ch. 1; L. XI, ch. 9.

(2) *S. Th.*, 2-2, q. 184, art. 3, in corp.

(3) *S. Th.*, 2-2, q. 24, art. 8, coll. q. 184, art. 2.

modo, ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quod nihil cogitet vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium : et hæc perfectio est *communis* omnibus charitatem habentibus ».

Ex præcepto divino oportet diligamus Deum *ex toto corde;* sed *totalitas* ista est diversa: diligunt quivis justi Deum ex toto corde, sed modo inæquali: non habetur triplex charitas diversa, sed triplex modus diversus seu triplex perfectio charitatis: *cœlestis*, *communis* et *non communis*.

Juvat brevi sermone, ad mentem Angelici, exponere hanc triplicem perfectionem charitatis. Nimirum notemus discrimen:

a/ ex parte *activitatis* seu intensitatis, quam præcipue considerat Angelicus: *cœlestis* est *semper in actu; communis* est potius *habitus,* quam actus; sunt tamen actus quidam, sed pauci (1); *non communis*, quæ est perfectio *media* inter communem et cœlestem, est *modo habitualis modo actualis,* et eo perfectior est quo fit magis actualis (2). Hæc est *devotio*, qualem describit Salesius (3).

b/ ex parte *subjecti:* ut indicat Angelicus in textu statim relato, cœlestis est propria *beatis;* communis *justis*, et non communis *perfectis* seu sanctis in terra.

c/ ex parte *effectus* seu exclusionum: *in patria* de facto removentur omnia impedimenta charitatis. Vident enim Beati semper Deum seu semper actu cogitant de Deo, adeoque actu non interrupto amant Deum. Sed *in statu viæ* vel « ab affectu hominis excluditur omne illud quod *contrariatur* charitati, sicut est peccatum mortale; et sine tali perfectione charitas esse non potest; unde est de necessitate salutis ». Tunc charitas dicitur *communis*. Vel « excluditur non solum illud quod est charitati *contrarium,* sed etiam omne illud

(1) *S. Th.*, 2-2, q. 24, a. 8 in textu supra relato, et q. 44, a. 4, ad 2.
(2) *S. Th.*, 2-2, q 24, a. 8, et q 44, a. 4, ad 2 et 3.
(3) *Introduction à la vie dévote,* 1e p., ch. 1.

quod *impedit* ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum » (1). Tunc charitas dicitur *non communis,* et homo, ut audivimus supra ex S. Thoma, studium suum deputat ad vacandum Deo et rebus divinis, prætermissis aliis, « etiam licitis, quæ occupando animum, impediunt actualem motum » (2) cordis in Deum, « sicut est matrimonium, occupatio negotiorum sæcularium, et alia hujusmodi » (3).

Charitas igitur *communis*, qualis existit in omnibus qui sunt in statu gratiæ, jam vocatur ab Angelico *perfectio,* et nihil aliud est quam *justitia* christiana ; sensu tamen proprio ac recepto, perfectio christiana est charitas *non communis*, quæ est modo habitualis modo actualis, et eo perfectior quo magis actualis, et quæ excludit non tantum contraria, ut est peccatum mortale (4), sed etiam quævis impedimenta charitatis, ut sunt peccata venialia et reliqua, etiam licita, quæ impediunt quominus actu cogitemus ac amemus Deum.

Ex hactenus expositis apparet liquido *campum proprium theologiæ asceticæ* habere tamquam initium seu terminum a quo charitatem communem seu, ut dici solet, statum gratiæ, et terminum ad quem charitatem non communem. Porro in illo campo solet distingui *triplex gradus,* juxta *triplex studium principale* seu occupationem charitatis, et ita habetur trita divisio triplicis viæ, quæ np. respective vocatur *purgativa, illuminativa, unitiva. Incipimus* nimirum a charitate communi, *proficimus* ad non communem, et hanc adepti sumus *perfecti* (5). Hæc tamen perfectio semper augeri potest,

---

(1) *S. Th.*, 2-2, q. 184, a. 2.

(2) *Ibid.*, q. 44, a. 4, ad 3. Ita intelligitur quod ibidem dicit Angelicus, quod ad hanc perfectionem charitatis *ordinantur consilia,* quippe quibus excluduntur omnia impedimenta actus charitatis. Cf. q. 184, a. 3.

(3) *S. Th.*, 2-2, q. 184, a. 3. — Cum delectatione leges SALESIUM, *Sermon pour le XVII*e *dim. après la Pentecôte.* Edition d'Annecy, t. IX, p. 195.

(4) Recolatur notio peccati mortalis, *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 334 ss.

(5) Cf. S. THOM., 2-2, q. 24, a. 9; S. FR. DE SALES, *Introd. à la vie*

usquedum perveniamus ad terminum et præmium, np. charitatem patriæ (1).

II. **Perfectio christiana consistit secundario in reliquis virtutibus, præsertim moralibus.**

Dicitur: *præsertim moralibus,* quia, uti vidimus, fides et spes, utpote virtutes theologicæ, quæ proinde attingunt ipsum Deum, potiorem quemdam locum tenent supra virtutes morales, infra tamen charitatem (2).

Cum perfectio consistat essentialiter in charitate, dicendum quod reliquæ virtutes pertinent ad perfectionem, in quantum pertinent ad charitatem. Ad hanc autem conferunt, quatenus removent obstacula, quibus tollitur vel impeditur charitas, et insuper quatenus juvant ad multiplicandos actus, quibus nutritur et augetur charitas.

Audi adhuc Angelicum: « Charitas dicitur *finis aliarum virtutum,* quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum » (3), np. Deum finem ultimum. Item charitas dicitur *finis omnium præceptorum et consiliorum,* quæ scilicet pertinent ad virtutes distinctas a charitate: Ad hanc *servandam* ordinantur præcepta secundaria (4), quibus servatis tolluntur *contraria* charitatis (Mt XIX, 17: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata »); ad eam *perficiendam* ordinantur consilia, quibus tolluntur omnia *impedimenta* charitatis (Mt XIX, 21: « Si vis

---

dévote, 1e p., ch. 1-2, 22-24; 2e p., ch. 1; *Traité de l'amour de Dieu,* L. X, ch. 4 et 5.

(1) Fusius illa exposuimus in opusculo, quod brevi prelum relinquet: *Probatio charitatis* (Brugis, Beyaert), p. 68 ss.

(2) Ideo dicitur interdum quod perfectio consistit in fide, spe et charitate, principalius tamen in charitate. Pulchre AUGUSTINUS, *De verb. Apost.,* serm. XX, c. 1: « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, charitate perficitur ». Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 89; *Probatio charitatis,* p. 18.

(3) *S. Th.,* 2-2, q. 23, a. 8, ad 3.

(4) S. Thomas vocat *principalia* præcepta charitatis erga Deum et proximum, quia pertinent ad perfectionem principalem. Cf. v. g. 2-2, q 184, a. 3.

perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus... ») (1).

Huic doctrinæ apprime consonat Scriptura : præter loca citata, hæc afferri possunt Joa. XIV, 21, 24; 1 Joa. II, 3 ss.; 1 Cor. XIII, 4 ss. (2).

Sit conclusio verbis expressa S. Augustini (3): *Diligc, et quod vis fac.*

H. MAHIEU.

VI

Q. *Quid sit sepultura gentilitia et quomodo acquiratur* (4).

R. Sepultura gentilitia in sensu canonico *ea est quam quis, sibi et familiæ suæ aut sibi et heredibus suis, legitime constituit in locis sacris humationi fidelium addictis, non vero in publicis cœmeteriis civilibus, nisi sepulchrum canonice sit erectum.*

---

(1) Cf. v. g. *S. Th.*, 2-2, q. 189, art. 1, ad 5; 1-2, q. 108, art. 4; 2-2, q. 23, art. 4, ad 3.

(2) Tota hæc quæstio de perfectione ex professo tractatur in præclaro opere R. P. BARTHIER, O. P., *De la perfection chrétienne et de la perfection religieuse d'après St Thomas d'Aquin et St François de Sales.* Paris, Poussielque, 1902, 2 vol. — Cf. etiam nostra opuscula: *Het Brood des Levens,* nieuwe uitgave (1907), p. 128 sqq.; *Le Pain de Vie,* Bruges, Beyaert, 1908, p. 172 ss.

(3) *In 1 Joann.*, Tract. VII, n. 8.

(4) Cf. c. 1 et 3, X, *de sepult.* III, 28; c. 3 et 5 in VI°, *de sepult.* III, 12. Plures afferuntur declarationes S. Sedis apud RICHTER, *Canones et decreta Concilii Tridentini,* Lipsiæ, 1853, ad Sess. XXV, c. 13, de ref., p. 461; S. C. Epp. et Reg. 17 Sept. 1867 ap. *Acta Sanctæ Sedis,* t. III, p. 315 ss.; S. C. Conc. 22 Jul. 1899-27 Jan. 1900. ap. *Analecta ecclesiastica,* 1900, t. VIII, p. 111 ss.; S. C. Conc. 17 Jun. 1905, *ibid.* 1905, t. XIII, p. 246 s. — FERRARIS, *Prompta bibliotheca canonica* etc., v° sepultura; MOULART, *De sepultura et cœmeteriis,* p. 169 ss., Lovanii 1862; BERARDI, *De parocho,* n° 770 ss., p. 227 ss., Faventiæ, 1888; ALBERTI, *De sepultura ecclesiastica,* p. 17, Romæ, 1901; WERNZ, *Jus Decretalium, T. III. Jus administrationis,* n° 785, nota 61, p. 890, Romæ, 1901; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 757, Brugis, 1903; MANY, *Prælectiones canonicæ de locis sacris,* p. 271. 337 s., Parisiis, 1904; LEX, *Das kirchliche Begräbnisrecht,* Regensburg, 1904. — Ulteriorem bibliographiam ap. SAEGMÜLLER, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* 2 Aufl., § 121, p. 512 s., Freiburg-i-B. 1909.

Hanc notionem per partes explicando, simul indicabitur quomodo sepultura gentilitia acquiratur (1).

a/ *Sepultura gentilitia* est igitur sepulchrum, aut cappella, aut aliud monumentum pro sepultura, quod sibi suisque aliquis fundator constituit, adeptus ita *jus sepulchri* quod ad suos transmittit.

b/ *ea est quam quis sibi et familiæ suæ, aut sibi et heredibus suis constituit.* Inter sepulchra majorum, juxta voluntatem fundatoris stricte interpretandam, alia sunt *familiaria* quæ transeunt ad omnes descendentes (2) familiæ illius qui sepulchrum acquisivit, ita ut excludantur heredes extranei (3); alia sunt *hereditaria* quæ transeunt ad solos heredes, etiam extraneos, ita ut excludantur familiares non heredes; alia demum sunt *mixta,* familiaria et hereditaria simul. Voluntas autem fundatoris eruitur ex scriptura, aut, ea deficiente, ex inspectione litterarum et armorum, quæ tumulo insculpta sunt.

c/ *legitime.* Requiritur nempe prævia sepulchrum extruendi licentia simul cum subsecuta ipsius ædificatione (4). Jure consuetudinario, declarationibus Apostolicæ Sedis confirmato, sufficit licentia *Ordinarii,* si tantum concedatur ad usum *locus* seu *situs* pro construenda sepultura. Si vero agatur de *sepulchro jam constructo, de capella jam ædificata* quam ecclesia ad usum privatum cedere velit, hæc concessio obnoxia est formalitatibus pro alienatione bonorum ecclesiasticorum a jure requisitis, præprimis quidem beneplacito

---

(1) Quæstio non erat quinam in sepulchro majorum sepeliri possint aut debeant.

(2) Intelliguntur agnati et cognati, non affines, cf. ALBERTI, *o. c.*, p. 17 ubi citatur S. C. Epp. et Reg. 30 Aug. 1878; cf. Causam citatam 22 Jul. 1899-27 Jan. 1900.

(3) Caus. cit. 17 Sept. 1867; *Acta Sanctæ Sedis,* t. III, p. 320, nota 1; WERNZ, *o. et l. c.*

(4) FERRARIS, *l. c.*, nº 148; MOULART, *o. c.*, p. 170.

Apostolico (1). Ita fert usus et praxis Sanctæ Sedis (2).

d/ *in locis sacris fidelium humationi addictis.* Sunt loca consecrata et benedicta, nempe: ecclesiæ cathedrales et parochiales; ecclesiæ Regularium; publica quæque oratoria; cœmeteria ecclesiastica, sive publica sive privata, legitime concessa (3). Institutione cœmeteriorum civilium, nihil juridice mutatum est quoad jura ecclesiarum particularium, in quibus sepulchra gentilitia reperiuntur (4), ita ut adhuc fruantur jure explendi funera horum fidelium, quorum hæc sunt sepulchra, si moriantur absque electione alterius ecclesiæ tumulantis (5).

e/ *non vero in publicis cœmeteriis, nisi sepulchrum canonice sit erectum.* Etenim ex quo lugendus sane invaluit usus, quo ad promiscuam omnium civium humationem destinantur a laicali potestate cœmeteria non initiata generali benedictione, sepulturæ gentilitiæ quæ in his acquiruntur non gaudent prærogativis sepulchri majorum canonici, nec quidquam præjudicii afferre natæ sunt juribus propriæ ecclesiæ tumulantis (6).

---

(1) Nisi applicandum venit C. 53, *Terrulas,* C. XII, q. II Decreti Gratiani.

(2) Many, *o. c.,* nº 153, p. 255; Moulart, *o. c.,* p. 170 s. De pretio quod in hac concessione dari aut exigi potest, quin contrahatur labes simoniæ, cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.,* nº 751; Many, *o. c.,* p. 254 s.; *Collat. Brugen.,* t. XI, 463. Non hic loquimur de formalitatibus civilibus.

(3) Olim ex regulis juris Romani sepeliri corpora humana poterant in quocumque loco honesto, qui eo ipso religiosus censebatur, nunc vero tantum in his locis quæ jure et privilegiis loci sacri gaudent *ex publica auctoritate Episcopi.* Cf. Ferraris, *o. c.,* nº 319 ss.; Many, *o. c.,* p. 232 ss., 238, 243; *Il Monitore ecclesiastico,* 1905-1906, t. XVII, p. 349 s.

(4) Merito notat Many, *o. c.,* p. 338 non amplius de facto haberi rationem veterum sepulchrorum majorum, quæ ante Revolutionem Gallicanam in ecclesiis aut cœmeteriis particularibus, putà Regularium, existebant. Cf. Berardi, *o. c.,* nº 770, p. 227.

(5) Plures Causæ citantur ap. Many, *o. c.,* p. 332; cf. *Causa Clavaren.* cit. 22 Jun. 1899-27 Jan. 1900.

(6) Berardi, *o. c.,* p. 227, nº 770.

Nihilominus adhuc constitui potest in publicis illis cœmeteriis sepulchrum majorum cum effectibus canonicis, dummodo canonica fuerit erectio. Ad hanc autem requiritur licentia Ordinarii qui publica auctoritate hoc sepulchrum juxta Rituale benedictum ad humationem membrorum peculiaris familiæ deputabit.

Ad rem facit recens responsio S. Congr. Concilii in *Causa Clavaren.* Funerum, 17 junii 1905 (1).

A. De Meester.

(1) Cf. *Analecta Ecclesiastica*, 1905, t. XIII, p. 246 s.; *Rev. théol. franç.* 1905, t. X, p. 654 ss.; *Il Monitore ecclesiastico*, 1905-1906, t. XVII, p. 348 ss. En transcriptionem primi dubii cum sua responsione: « I. Si quis domicilium Clavari habens sua vel familiæ voluntate deferatur pro sepultura in cœmeterium Lavaniense, *ratione sepulchri familiaris vel electivi*, an parochus S. Stephani Lavaniensis jus habeat peragendi integrum funus et emolumenta inde percipiendi, reservata parocho domicilii potestate levandi et efferendi cadaver et quarta funeris ». Responderunt Patres: « Ad 1um negative, dummodo non agatur de sepulchro gentilitio canonice erecto ».

De Luxuria voluntaria in causa

(Sequitur. — Cf. suprà p. 540).

B. Applicantur prædicta principia materiæ luxuriæ (1).

Ex hucusque expositis obvia fit solutio quæstionis propositæ circa luxuriam voluntariam in causa: pollutionem scil., commotionem carnalem minorem vel distillationem.

I. Pollutio.

Est pollutio de qua agitur merum malum physicum, et proinde *materia* tantum *peccati,* non autem materiale peccatum; secum non fert aliquod damnum tertii (2); imo non omni sensu est *malum* physicum, nam potest etiam spectari ut bonum physicum, quatenus est in viro normali, exoneratio et alleviatio naturæ physicæ per expulsionem seminis abundantioris (3). De qua sic

(1) *Momentum quæstionis* sic exhibet Berardi, *Praxis Conf.*, Tr. II de Decalogo, n. 864: « Quantum oportet ut pollutio directe intenta severissime interdicatur, tantundem necessarium est ut quoad pollutionem et delectationem veneream præter intentionem contingentem mitius procedatur; secus enim, quum ex plurimis actionibus necessariis, utilibus, honestis aut leviter inhonestis, motus carnales vel pollutiones oriri possint, lex divina nimis dura et via salutis nimis impervia evaderet; imo majoribus inordinationibus (valde utilia aut omnino necessaria impediendo) aditum aperiret. Attamen remanent casus, in quibus expedit aut oportet ut modo sub levi modo sub gravi libidinis occasiones interdicantur; præcipue quidem si adsit grave periculum consensus, sed interdum etsi periculum istud minime subsistat ».

(2) Hinc minor omnino ratio sufficiet ad eam permittendam, quam ad ponendam causam ad quam sequeretur puta mors hominis, mors fœtus, etc.

(3) « Quod in viris sanis ac perfecta valetudine, pollutio multum conferat ad sanitatem, liquet ex eo quod ipsi ex experientia noscunt valetudinem aliquid detrimenti capere, nisi pollutio sequatur; toto enim corpore quodam anormali valetudinis statu afficiuntur, laborant dolore

S. Thomas (p. III, q. 80, art. 7): « Si (pollutio) sit ex superfluitate naturæ (nullum est peccatum); sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ita et semen quod est superfluitas naturæ » (1).

Hinc non erit moraliter mala seu peccaminosa, nisi *ratione influxus* quem quis actu voluntario in ipsam procurandam exercuerit.

Ut patet ex principiis supra (2) allatis, ante omnia attendenda est hoc loco distinctio inter causas per se et causas per accidens tantum in pollutionem influentium. *Causæ* autem *per se* pollutionis eæ sunt quæ directe et ex natura sua ad pollutionem tendunt, quæque simul notabiliter influunt in pollutionem; seu tales quæ sint natura sua proportionatæ huic effectui producendo. — *Causæ* vero *per accidens* illæ sunt quæ non directe et per se tendunt ad pollutionem nec notabiliter in ipsam influant, sed nihilominus ad illam concurrunt (3) sive excitando aliam causam quæ sit capax natura sua effectum producere, sive alias causas adjuvando et simul cum ipsis pollutionem producendo (4).

---

ac capitis gravamine et difficultate studiis vacandi; subsecuta vero naturali pollutione, status primitivus anormalis evanescit, spiritus magna libertate studiis attendendi pollet et hujusmodi viri sensum optimæ valetudinis percipiunt ». ANTONELLI, *Medicina pastoralis*, t. I, n. 541.

(1) Hinc quod AA. sibi quæstionem ponunt utrum liceat *desiderare* pollutionem vel de ea gaudere tanquam de alleviatione naturæ; — eamque jure merito affirmative resolvunt. Sane supponitur gaudium vel desiderium minime haberi de pollutione tanquam delectabili, illudque desiderium non influere in pollutionem de facto producendam.

(2) pp. 535 ss.

(3) Ne enim cogites causam per accidens *nil omnino* operari. Ita leve vulnus potest per accidens mortem provocare; estque causa per accidens quia etsi sane aliquid effecerit, de se tamen insufficiens erat ad talem effectum producendum: non erat nempe talis naturæ ut fuerit *proportionata* morti efficiendæ. — Idem dic de malo exemplo quatenus potest secum trahere peccatum proximi.

(4) Dicta patebunt exemplis: Pollutionis *causa per se* habetur diuturnus tactus membrorum turpium alterius sexus. Revera talis tactus natura sua influit in pollutionem, ad ipsam producendam tendit, et quidem notabiliter influit in ipsam, ita ut minime mirandum sit ad talem actum

Quænam autem *de facto sint* causæ per se, et *quænam* causæ per accidens, non ita facile est determinare. Prostat *duplex criterium:* aliud quasi *a priori*, inspiciendo nempe naturam ipsius causæ (1), utrum natura sua sit quasi in via ad pollutionem, utrum scil. sit in genere luxuriæ, et quidem talis ut vere debeat notabiliter influere in pollutionem (2); aliud quasi *a posteriori*, inspiciendo nempe effectus quos de facto talis causa, de genere venereorum, exercet in hominibus communiter sumptis et normaliter constitutis: ex facto enim constanti talem causam cum tali effectu conjungi, apte

---

consequi talem effectum. Sane! potest *de facto*, per accidens, in homine speciali modo frigido vel assueto, talem effectum secum non ferre, sed hoc non ob insufficientiam *causæ* positæ, sed ob specialem dispositionem subjecti, qua dispositione fit causam illam jam de facto non producere effectum illum quem natura sua producere nata est. — *Causa per accidens* habetur v. g. balneum. Revera hic actus, natura sua nil involvit quo possit dici vere producere pollutionem. Sane iterum! potest *de facto* in homine speciali modo constituto semper hunc effectum secum ferre; sed hoc cur? Non ob naturam balnei, quod constat vel ex eo quod tot homines balnea sumunt quin pollutionem patiantur, — sed ob specialem constitutionem physiologicam hominis: hæc proinde constitutio est quæ vero sensu est *causa* pollutionis; balneum nil effecit quam præstare ipsi occasionem, seu ipsam excitare ad pollutionem producendam. — *Causa per accidens* adhuc habetur v. g. tactus manuum feminæ. Sane, hic actus jam, remota quadam ratione, continetur in genere causarum natura sua influentium, nequit tamen dici proprie et simpliciter causa, et nonnisi juvantibus aliis causis, puta vivida imaginatione, pollutionem causare potest.

Sic, verbis potius quam re, discedimus ab optima doctrina SALMANTICENSIUM, (*Theol. mor., tract.* 26, *un.* 36 ss.) distinguentium causas *per accidens* et causas *per se*, et has iterum *graves*, vel *leves*, vel *medias*. Quas ipsi dicunt causas per se leves, melius referri videntur ad causas per accidens (ita tactus manus feminæ), similiter plures ex illis quas vocant causas per se medias (puta intuitus imaginis turpiter depictæ, vel coitus vel partis pudendæ excitatæ brutorum, etc.). Cfr. cæteroquin l. c. n. 50.

(1) Sic SUARIZ, *De matr.*, disp. 15, n. 15: actio ex sua natura turpis, et per se tendens ad actus venereos excitandos pollutionemque consummandam.

(2) Cogita diuturnam tactum propriorum pudendorum: Hæc enim natura sua, qua est contrectatio turpium, eo tendit ut excitet, et vehementer quidem, nervos venereos, sicque agat in receptaculum, quo semen elaboratum usque ad ejectionem servatur, illudque semen expellat.

præsumes hanc causam hunc effectum natura sua producere (1). — Hinc, *in concreto:*

a/ ut *causæ per se* haberi possunt: actus externi, qui (modo ex delectatione venerea illicita ponantur) constituunt in ratione actus externi (2), peccatum grave contra castitatem seu pudicitiam: puta: tactus in verendis aut in illis propinquis partibus alieni corporis, vel proprii, nisi forte prorsus transeunter fiant; aspectus personæ plane nudæ alterius vel etiam ejusdem sexus voluntarie continuatus; aspectus coitus humani; aspectus diuturnior picturæ obscenæ. Præter hos actus externos, ut causæ per se habentur a multis, antiquis et modernis, etiam actus quidam *interni,* quales diuturnæ et vividæ et practicæ cogitationes de rebus impudicis.

b/ *Causæ per accidens* vero sunt alii quivis actus, nim.: actus extra genus venereorum, puta ebrietas, sumptio certorum ciborum, vel potuum, puta in cœna; somnus, sumptio balnei, equitatio, corpus mundare aut lavare, plane honestas choreas ducere, inservire ægrotis vel secundum honestum morem salutandi alios amplexari; in lecto decumbere tali vel tali situ corporis; audire confessiones feminarum, studere rebus et peccatis venereis, h. e. cogitare ea speculative et studiose; — actus varii interni de re venerea, cogitationis, desiderii, delectationis morosæ, saltem si non diuturni et valde practici; actus illi externi qui secundum tactum delectabiles, non ita proxime tamen ad venerem dispo-

---

(1) Ita si tactus manus feminæ talem hominem determinatum, etiam singula vice, in pollutionem dejiceret, cum aliunde constet ipsum in cæteris hominibus hæc non operari, patebit talem causam non esse talis naturæ ut de se vehementer influat ad pollutionem.

(2) Dicitur: *in ratione actus externi.* Id est actus talis, qui (nisi forte adsit causa necessitatis vel utilitatis, vel liceitatis ex capite matrimonii), cuique appareret qua peccatum contra castitatem. — Et hoc sane sensu intelligendi sunt AA. qui dicunt causam per se esse quodvis peccatum externum grave contra castitatem; hac enim formula nolunt sane comprehendere etiam illos actus externos, graves contra castitatem, sed tantum ex intentione libidinosa, ut puta tactum manuum vel brachiorum.

nentes: tales sunt: aspectus, tactus, oscula, amplexus circa partes honestas; tactus in partes minus honestas alieni corporis etiam alterius sexus; aspectus partium etiam turpium, alieni etiam sexus, sed obiter facti; aspectus et tactus in proprium corpus, obiter facti; tactus imo, prorsus obiter factus, in partes turpes alieni corporis (1).

---

(1) Notabis nos in determinandis causis per se et causis per accidens, potissimum intendere *ipsam naturam causæ*, et quasi abstrahere a *dispositione subjecti*. Et tamen, dices, nonne vis et efficacia causarum magna ex parte pendet a dispositione subjecti? Sed respondetur: *natura* causæ non pendet ab ipsa; attamen aliunde ratio erit habenda dispositionis subjecti, duplici ratione: a/ potest subjectum ita esse dispositus ut ipse actus externos vel internos intensiores ponat, vel vividiores, quam alii homines facerent, et *sic* actus quia ab ipso positi jam fieri poterunt causæ per se, potius quam per accidens; b/ potest causa quæ natura sua est causa per se, tamen in aliquo homine specialiter constituto, de facto suum effectum non operari, et sic pro hoc homine deficiet *prævisio* effectus, ideoque deficiet imputabilitas, et causa per se assimilabitur causæ per accidens.

Ex hac notione quam damus, apparet nos *per se* aut *per accidens* attendere *in solo ordine physico:* spectamus solam naturam physicam actuum, eorumque influxum physicum. Sic, *quoad modum loquendi*, discedimus ab illis AA. qui statuunt causas per se in casu esse *peccata* externa gravia contra castitatem, et diuturnas et vividas cogitationes *impudicas* (ergo peccaminosas). Nos vero quænam sint causæ per se, quænam causæ per accidens definimus, attenta sola natura *physica* actuum eorumque influxu physico. Sic autem causa per se non necessario audit *peccatum*. Sane quod actus fiat ex motivo honesto, puta ad medendum, multum minuere potest influxum etiam physicum, propter contensionem mentis et voluntatis in effectum bonum obtinendum (Ill. Waffelaert, *De Prud., Fort. et Temp.*, n. 172); attamen potest actio quædam, puta tactus medici, optime *manere* causa per se in ordine physico, quin tamen ullatenus faciat imputari pollutionem secuturam (*ibid.*). Tali casu ergo causa *manet per se in ordine physico*, sed *non censetur causa per se in ordine morali* seu in ordine ad imputabilitatem, scilicet: non facit imputari effectum.

Videtur hic modus loquendi, quo causa per se consideratur unice in ordine physico esse præferendus. Etenim 2/ si causa per se definitur *in ordine imputabilitatis*, tunc quærere quænam sint causæ per se pollutionis, est quærere quænam causæ reddant imputabilem effectum prævisum; et tunc definitur idem per idem: *pollutio imputatur* illi qui ponit causam per se, scil. *illi qui ponit causam quæ reddit pollutionem imputabilem*. — Cæterum 3/ sic discedit a communi notione « causæ per se », qua np. est causa quæ natura sua producit talem effectum, (in qua notione nil dicitur de « imputabilitate »). — Deinde 4/ incongrue auctores postquam sta-

His præmissis, jam possumus applicare doctrinam generalem supra expositam de voluntario in causa:

Seclusis pro tempore tum omni intentione libidinosa operantis, tum omni periculo consensus in effectum venereum forte secuturum:

1/ Ponere **causam per accidens** tantum respectu pollutionis secuturæ, ratione præcise ipsius effectus

a/ *non* est peccatum *mortale* luxuriæ; quum ponens *talem* causam ex una parte nequeat dici vere *causasse*, *procurasse* pollutionem, utpote cujus fuit potius occasio tantum seu dispositio (1), et ex altera parte minime probetur (2) obligatio gravis, ex virtute castitatis oriunda, vitandi similes causas ideo ut vitetur effectus.

b/ ubi adest ratio sufficiens causam hanc ponendi, sive propter seipsam sive propter effectum alium bonum, *peccatum nullum* est, juxta doctrinam de causa unica cum duplici effectu: adsunt enim quatuor conditiones requisitæ. Circa quartam in specie notari potest non adeo gravem requiri rationem necessitatis vel utilitatis animæ vel corporis, quam requireretur puta ubi effectus

---

tuerunt causam per se esse *peccatum* externum.... vel cogitationes *peccaminosas*..., ulterius ponunt casum illius, medici verbi gratia, qui ob rationem sufficientem ponit causam per se influentem. Et hoc incongrue: nequit enim dari ratio sufficiens ad ponendam causam quæ est *peccatum*. (Nec huic ultimo objicias causam per se intelligi peccatum *materiale;* respondetur enim medicum in casu citato nequidem peccatum materiale committere; cæterum nec ad peccatum materiale committendum unquam dari potest ratio sufficiens). δ/ Imo ad peccatum grave imputari poterit pollutio ex actibus externis de se *licitis* oriunda, ut si proveniat ex tactibus conjugum ad invicem (SALM., *l. c.*, n. 55).

(1) Hinc non potest pollutio sequens ex tali actione, unquam dici pleno sensu voluntaria *in causa;* potius dici deberet voluntaria in dispositione sua; seu melius forte adhuc diceres *volitam esse dispositionem ad ipsam*. Etenim cum nullomodo intendatur pollutio, nec vera ponatur ipsius causa, nec volita nec voluntaria dici debet.

(2) « Causæ per accidens influentes in pollutionem sunt adeo frequentes, ut difficillime etiam a viris timoratis vitari possint.... Ne ergo laqueum conscientiis injiciamus, dicendum est solum sub veniali debere illas non applicari ». (SALMANT, *l. c.*, n. 50).

est alicui tertio valde nocivus (1), quum ex una parte qua effectus physicus, pollutio non noceat alicui tertio, et ex alia parte remote tantum supponatur sequi ex causa posita

c/ ubi deest omnis ratio, puta si ipsa causa in se est leviter vel etiam graviter mala (puta sumptio cibi aliunde vetiti, vel gula vel ebrietas plus minusve perfecta), pollutio de facto prævisa, etiam certo, imputatur ad *peccatum veniale*, quia « sine causa rationabili, permittere pollutionem, semper videtur aliquid indecens ac deordinatum » (2), seu quia sic volita est dispositio ad pollutionem.

2/ Ponere **causam per se** respectu pollutionis secuturæ :

a/ ubi adest ratio sufficiens ponendi ipsam causam, *nullum est peccatum*. Ita medicus qui, curandi causa, tactus habet etiam diuturnos in alterum vel eumdem sexum, et exinde prævidet pollutionem secuturam ; conjuges, qui ob urgentem et gravem causam, tales tactus ad invicem habent, qui (etsi non sint aliis verbis actus inchoati contra naturam), de facto tamen secum ferunt periculum pollutionis ; — a peccato sunt immunes.

Nota. Variis his casibus causa *gravior* requiri apparet tum ex eo quod causa posita natura sua contineat et producat hunc effectum natura sua gravem, tum ex eo quod simul adsit periculum consentiendi in delectationem actuum quos hic et nunc ponit, vel in effectum venereum quando fiet (3).

---

(1) Hinc gravior requiritur causa puta ad adhibendum pharmacum e quo forte abortus secuturus prævidetur.

(2) Ita S. Alphonsus, l. IV, n. 484.

Revera « quælibet pollutio aut venerea delectatio est inimica castitatis, tum quia fœdat corpus, tum etiam, quia mentem ad malum allicit ; quare veri amatores castitatis illam vitare summopere curant ». Salmant, *l. c.*, n. 51.

(3) Quæ ultima ratio urgeri nequit pro casu conjugum : ipsis enim licitum est delectari de actibus non consummatis ; adeoque his minus gravis ratio requiritur quam v. g. requiritur medico casu citato.

b) ubi deest ratio sufficiens, puta si actus non consummatus de facto ponitur ob delectationem veneream quæ ipsi inest, pollutio imputabitur ut *peccatum mortale externum,* in quantum fuerit de facto prævisa. Etenim qui talem causam ponit, sine ratione, censetur in ordine morum *vere causasse* effectum.

Dicitur: in quantum fuerit de facto prævisa. Potest enim causa quæ est per se, tamen *de facto* secum non ferre effectum quem nata est producere, adeo ut ponens talem causam, possit nihilominus effectum non prævidere: quo casu, effectus, nihilominus sequens de facto, ipsi non imputatur, utpote non prævisus. Unde si de facto *nulla* prævisio adfuit, peccatum nullum addetur ratione effectus sequentis; si *tenuis* prævisio, leve tantum peccatum addetur; si ordinaria prævisio, peccatum grave (1).

Nota. Talis prævisio ut patet fundari potest unice in habita sufficiente experientia ex ante acta vita; si enim talis experientia deest, debet homo præsumere causas de facto producere effectus quos natura sua producere habent.

(Sequetur).

A. VANDER HEEREN.

---

(1) Quod spectat *terminologiam;* deficiente ergo tali prævisione, dicendum est causam eam manere quidem causam *per se in ordine physico,* et per accidens esse quod in casu particulari suum effectum non producat; attamen, cum non faciat imputari effectum non prævisum, eo ipso aliquatenus *æquiparatur causis per accidens;* et bene dicitur eam in ordine morali seu imputabilitatis, aliquatenus censeri causa per accidens. Dicitur: *aliquatenus.* Non enim est perfecta similitudo: in casu enim quo nullatenus prævidetur effectus malus per se sequens ex causa posita, *nulla* est imputabilitas ipsius: contra leviter imputatur effectus venereus per accidens sequens ex causa sine ratione sufficiente posita. Supra, p. 603, coll. 539. Cfr. Ill. WAFFELAERT, *o. c.,* pp. 284 ss., 287 s.

S. Congregatio S. Officii

De dispensatione ab occulta irregularitate in foro conscientiæ, urgente necessitate.

Jam ex decreto supremæ hujus Congregationis, lato die 23 Junii 1886, cuique confessario concessa fuit facultas absolvendi a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis damni vel infamiæ, super quo confessariorum conscientia oneratur, injunctis de jure injungendis, et sub pœna reincidentiæ in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem (1).

Cum vero nuper eidem huic Congregationi preces oblatæ sint, quibus petitur, *an liceat confessario in iisdem circumstantiis atque conditionibus dispensare ab irregularitate, quæ ipsas censuras sequitur,* E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales, in rebus fidei ac morum generales Inquisitores, in congregatione habita feria IV, die 1 Septembris labentis anni 1909, decreverunt: *Publicetur decretum latum feria IV, die 28 Martii 1906.*

Decretum vero feriæ IV, diei 28 Martii 1906, ita se habuit: « Supplicandum Sanctissimo pro facultate dispensandi super » irregularitate occulta quando occurrat in casibus compre- » hensis in decreto S. Officii dato die 23 Junii 1886 ». Et insequenti feria V, die 29 Martii, Sanctissimus annuit pro gratia juxta E^morum^ Patrum suffragia.

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 6 Septembris 1909.

L. ✠ S.

Aloisius Castellano, *Notarius.*

Adnotatio. Animadvertatur discrimen inter tenorem petitionis et tenorem concessionis. Petitur ut liceat confessario, in iisdem circumstantiis atque *conditionibus*,

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7^a^, t. II, p. 750, n° 1406.

decreto 23 Junii 1886 determinatis, dispensare ab irregularitate, *quæ ipsas censuras sequitur,* nimirum ab ea quæ ex violatione censuræ contrahitur ab illo qui censura ligatus solemniter exercet actum ordinis sacri. Conceditur vero ut possit confessarius dispensare a quavis occulta irregularitate, sive ex defectu, sive ex delicto, in casibus comprehensis in decreto S. Officii d. d. 23 Junii 1886, quin sermo habeatur de peculiaribus conditionibus dispensationis.

A. De Meester.

E S. Congr. de Religiosis

I

INSTRUCTIO.

Circa debita et obligationes œconomicas a religiosis familiis suscipienda.

Rationes propter quas

Inter ea, quæ religiosis Familiis majus detrimentum afferunt, quæque sicut earum tranquillitatem perturbant, ita bonam existimationem in discrimen vocant, præcipue est numeranda nimia facilitas, qua aliquando debita contrahuntur.

Sæpe enim aes alienum inconsulto et intemperate suscipitur, sive ad excitandas domos, sive ad eas augendas et ampliandas, sive ad tyrones plus æquo recipiendos, sive ad manum apponendam operibus vel instituendæ juventutis, vel sublevandæ miseriæ.

Quæ quidem omnia, licet vel in se, vel ratione præstituti finis, sint opera laude digna, quum tamen regulis christianæ prudentiæ et æquæ administrationis non semper respondeant, ideoque apostolicarum præscriptionum verbis et spiritui contraria sint, Deo esse grata non possunt, nec proximo valent permansuram afferre utilitatem.

Quum autem in dies misere succrescat hujusmodi abusus, debita contrahendi absque prudentibus cautelis, et frequenter sine venia, sive Superioris generalis sive hujus Apostolicæ Sedis; attentis peculiaribus et extraordinariis sane circumstantiis, in quibus publicæ et privatæ res œconomicæ versantur; ne domus quæcumque religiosæ, ex sua leviori agendi ratione, in ære alieno contrahendo damnum in posterum persentiant; sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, habitis suffragiis E^morum^ Patrum Cardinalium hujus sacræ Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium præpositæ, in plenario cœtu ad Vaticanum habito, die 30 Julii 1909, post maturum examen, hæc decernere, statuere et præscribere dignatus est, a singulis Ordinibus, congregationibus, institutis, utriusque sexus, sive votorum solemnium sive simplicium, a monasteriis, collegiis et domibus religiosis, sui quoque juris, vel Ordinariis locorum subjectis, apprime servanda:

religiosæ familiæ

I. Moderatores, sive generales sive provinciales seu regionales sive locales nulla debita notabilia contrahant, nullasque notabiles obligationes œconomicas suscipiant, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere redituum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum, oretenus vel aliter:

tenentur respectivi Superioris consensum et respectivi Consilii suffragia prævie petere

a/ absque prævio consensu Consilii generalis seu Definitorii, si agatur de Curia generali, aut de domo vel domibus, immediate jurisdictioni seu directioni Curiæ generalis subjectis;

b/ vel absque prævio consensu Consilii seu Definitorii provincialis, et expressa licentia Moderatoris generalis, accedente voto deliberativo Consilii seu Definitorii generalis, si agatur de debitis vel obligationibus a Superioribus provincialibus vel regionalibus contrahendis seu suscipiendis;

c/ vel absque prævio consensu Consilii localis seu monasterii sive domus, quocumque nomine designetur, sub nullo Superiore provinciali seu regionali positæ, et expressa licentia Moderatoris generalis, ejusque Consilii seu Definitorii generalis. Quod si Ordo in varias congregationes seu familias, proprium Præsidem seu Moderatorem generalem seu quasi generalem habentes, divisus sit, hujus Præsidis seu Moderatoris ejusque Consilii licentia necessaria omnino erit;

d] vel absque prævio consensu Consilii localis, si agatur de monasteriis vel domibus nulli Moderatori generali subjectis, accedente tamen licentia in scriptis Ordinarii loci, si monasteria seu domus hujusmodi ab Ordinarii jurisdictione vere exempta non sint.

pro contrahendis debitis notabilibus;

II. In debitis vel in obligationibus œconomicis contrahendis, habenda est notabilis quantitas, quæ superat 500 libellas, nec attingit 1000, si agatur de monasteriis vel domibus singulis; quæ superat 1000 libellas, nec attingit 5000, si agatur de provinciis vel quasi provinciis; quæ superat 5000 libellas, si de Curiis generalibus. Quod si domus, provincia vel Curia generalis debita vel obligationes contrahere intendat, quæ valorem 10.000 libellarum excedant, præter licentiam respectivi Consilii, ut supra, requiritur beneplacitum apostolicum.

pro quibusdam requiritur beneplacitum apostolicum.

III. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quæ quomodolibet contracta sint vel contrahantur, summam respectivam in præcedenti articulo expressam superare; sed omnia et singula debita omnesque et singulæ obligationes, quomodolibet contracta, semper coalescunt. Ideoque nullæ omnino erunt licentiæ ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligationes nondum exstincta sint.

Coalescentia debitorum. Nullitas licentiæ

IV. Pariter nulla erunt indulta seu beneplacita apostolica ad contrahenda debita vel ad suscipiendas obligationes, valorem 10.000 libellarum excedentia, si domus, provincia vel Curia generalis oratrix in precibus reticeat alia debita vel alias obligationes, quibus forsan adhuc gravatur.

et beneplaciti apostolici.

V. Si qua autem congregatio et institutum votorum simplicium aliæque religiosæ Familiæ Consilia generalia, provincialia et localia non habeant, illa intra tres menses constituant ad hunc finem vigilandæ administrationis œconomicæ. Monasteria autem seu domus, quæ sint sui juris, nec Consilium libera capituli localis electione constitutum habeant, illud pariter intra tres menses sibi eligant. Consiliarii autem per triennium in officio permaneant, et sint quatuor in monasteriis vel domibus, quæ saltem duodecim electores habent, et duo ad minus in aliis.

In omnibus institutis constituantur Consilia.

VI. Suffragia, de quibus agitur in articulo I, toties quoties exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultiva; licentiæ autem, virtute suffragiorum con-

Modus excipiendi suffragia et dandi licentiam.

cessæ, numquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero Consilii subscribantur tum a Moderatore tum a singulis consiliariis.

VII. Graviter oneratur Moderatorum conscientia, ne per se vel œconomum, vel aliter, consiliariis occultent, ex toto vel ex parte, bona quæcumque, reditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas et alia valorem aliquem œconomicum habentia, etiamsi data sint Moderatori intuitu personæ; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et adprobationi Consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel œconomiam respicientia, pariter consiliariis examinanda tradantur.

Omnia œconomiam spectantia invigilantiæ Consilii submittantur.

VIII. Nulla fundatio monasterii vel domus, nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes œconomicæ contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad ædificandum, vel aliqua pars ædificii gratuito donetur, vel construatur; nec sufficit promissio pecuniæ etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendæ, quia hujusmodi promissiones sæpe non adimplentur, cum periculo gravis nocumenti materialis et moralis Religiosorum.

Nulla domus fundatio, nullaque hujus mutatio fiat si pecunia re non habetur.

IX. Ut pecuniæ, reditus aliique proventus legitime collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum Consilii, toties quoties exquirendum, exhibitis præfato Consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investimenti mutatione, servatis aliis de jure servandis.

Pecuniæ investimentum hujusque mutatio requirit votum Consilii.

X. Quæ de triplici clavi capsam claudente deque ipsius capsæ visitatione, necnon de recta administratione rerum temporalium præscribuntur in constitutionibus singularum Familiarum religiosarum, si severiori ratione, quam in singulis articulis præsentis Instructionis ordinentur, accurate serventur in iis, quæ ipsi Instructioni contraria non sint. Et ubi administratio temporalis per propria statuta ordinata non fuerit, omnia quamprimum ordinentur, præ oculis habitis quæ in *Normis, cap. VI* (1), dicuntur, quæque non solum

Quæ de administratione œconomica apud familias religiosas statuta sunt serventur, etiam in severioribus præsenti Instructioni non contrariis.

(1) Normæ publicatæ die 28 Junii 1901, secundum quas S. Congr.

Alibi servetur C. VI *Normarum*.

sorores, sed et viros religiosos respiciunt, ut habetur in *nota in fine pag. 3* earundem *Normarum* posita, salvis semper præscriptionibus hujus Instructionis.

Fundationes Missarum nullo debito gravari possunt. Stipendia Missarum ante celebrationem integra mancant.

XI. Fundus, legata et alia quæcumque bona, quæ quomodolibet Missas adnexas habent, eorumque fructus vel reditus nullo pacto debitis vel obligationibus œconomicis cujuscumque conditionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt; et pecuniæ pro Missis manualibus vel aliis celebrandis acceptæ, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt, sed integre servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum Moderatores tum consiliarii.

Dotes sororum ne alienentur, dum ipsæ vivant.

XII. Quæ de dotibus monialium et sororum non alienandis ab apostolica Sede jandudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto neque cujusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia hujusmodi dotum consumere, quousque respectivæ moniales vel sorores vivant; sub pœnis a jure determinatis. Et Apostolicæ Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis judicetur etiam unius tantum dotis alienatio.

Donationes ne fiant, nisi servatis servandis.

XIII. Donationes, etiam titulo eleemosynæ vel subsidii, non fiant, nisi juxta conditiones a Sancta Sede præscriptas, et juxta mensuram in singulis constitutionibus ordinatam, vel a capitulis, et in eorum defectu, a Superioribus generalibus cum respectivis Consiliis legitime determinatam.

Pœnæ.

XIV. Omnia, quæ in hac Instructione præscribuntur, non solum Ordines, congregationes et instituta virorum, sed etiam monialium et sororum respiciunt. Violatores autem earundem præscriptionum graviter puniantur, et si violatio sit de iis, quæ de jure communi vel juxta præsentem Instructionem apostolicum beneplacitum requirunt, pœnis ipso facto subjaceant, alienatoribus bonorum ecclesiasticorum inflictis.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

L. ✠ S. Fr. I. C. Card. Vives, *Præfectus*.
D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius*.

Epp. et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium. Cap. VI secundæ partis inscribitur: *De œconoma generali et de administratione bonorum temporalium.*

II

DECRETUM.

Speciales restrictivæ clausulæ rescriptis sæcularizionis religiosis concedendis adnectuntur.

Ex audientia SS^mi^, die 15 Junii 1909.

Quum minoris esse soleat ædificationis, salvis extraordinariis nonnullis casibus, quod in officiis diœcesanis eminere conspiciantur, qui, vel in aliquo Ordine regulari vota solemnia professi, indultum sæcularizationis sive perpetuæ sive ad tempus obtinuerint, vel in Instituto aliquo religioso, emissis votis perpetuis, ab istis dispensati fuerint; ne alii inde Religiosi induci possint, ut varios egrediendi claustra prætextus exquirant, quod nimis frequens accidere experientia docet, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus decernere dignatus est, ut omnibus deinceps rescriptis, quibus sæcularizatio perpetua vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio, prout supra, sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis conceditur, adnexæ intendantur, licet non expressæ, sequentes clausulæ, quarum dispensatio Sanctæ Sedi reservatur:

Vetitis, absque novo et speciali Sanctæ Sedis indulto:

1° quolibet officio, et quoad eos qui ad beneficia habilitati sunt, quolibet beneficio in basilicis majoribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;

2° quolibet magisterio et officio in seminariis clericalibus majoribus et minoribus aliisque Institutis, in quibus clerici educantur, nec non in Universitatibus et Institutis, quæ privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica;

3° quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus;

4° officio Visitatoris et Moderatoris domorum Religiosorum utriusque sexus, etiamsi agatur de congregationibus mere diœcesanis;

5° habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa Provinciæ, vel Missionis, cui sacerdos vel

clericus sæcularizatus, vel a votis perpetuis solutus, ut supra, adscriptus erat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, eodem die 15 Junii 1909.

L. ✠ S. Fr. I. C. Card. VIVES, *Præfectus.*
D. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B., *Secretarius.*

III

DECRETUM.

De quibusdam postulantibus in religiosas virorum familias non admittendis.

Ex audientia SS^mi^, die 7 Septembris 1909.

Ecclesia Christi, licet spirituali gaudio afficiatur, quum fideles matura deliberatione et recta intentione statum perfectionis in religiosis Familiis amplectuntur, qualitatis tamen quam numeri potius sollicita, ingressum in novitiatum et professionem votorum ita moderata est, ut eos tantum decreverit ad evangelica consilia in religiosis Domibus servanda esse admittendos, qui divinæ vocationis argumenta præberent. Ipsum quoque probationis tempus, quod votorum emissionem præcedit, ad hoc instituit, ut animi non solum religiosis imbuerentur virtutibus, sed etiam a Superioribus rite explorarentur.

Debilitata tamen in regionibus non paucis vitæ christianæ disciplina, Apostolica Sedes ingressum in religiosas Familias, examen tyronum et experimentum vitæ religiosæ, paullatim, progressu temporis, severiori quadam ratione ordinavit, editis ad rem legibus, quæ spem perseverantiæ et prosperi exitus firmiorem redderent.

Quum vero compertum sit, longe melius esse, ut aliqualiter claudantur januæ ingredientibus, ne postea late reserentur exeuntibus, sanctissimus Dominus noster Pius Papa X committere dignatus est huic sacræ Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium præpositæ, ut severiori hujusmodi Ecclesiæ disciplinæ insistens in admittendis alumnis ad novitiatum et vota, hæc statueret, ab omnibus religiosis

virorum Familiis, graviter onerata Superiorum conscientia, fideliter in posterum servanda, quæ sequuntur:

Nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicæ, et sub pœna nullitatis professionis, excipiantur, sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum postulantes:

1° qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint;

2° qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint;

3° qui, sive ut professi sive ut novitii, ab alio Ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint;

4° qui jam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam alicujus Ordinis vel congregationis et ab ea dimissi, in eandem vel in aliam ejusdem Ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

L. ✠ S. Fr. I. C. Card. Vives, *Præfectus.*
D. L. Janssens, O. S. B., *Secretarius.*

E S. Congr. de Sacramentis

I

FRIBURGEN.

Dubium circa collationem SS. Ordinum extra tempora.

In Congregatione generali, die 13 Augusti 1909 habita, proposito dubio: « utrum Episcopus, gaudens indulto conferendi Ordines extra tempora et non servatis interstitiis, eo uti possit etiam erga alienos subditos, suorum Ordinariorum dimissorias habentes »; Emi Patres, re mature perpensa, respondendum censuerunt: « *Affirmative,* facto verbo cum SSmo ».

Sanctitas vero Sua, audita relatione R. P. D. ejusdem sacræ Congregationis Secretarii in audientia diei 15 Au-

gusti 1909, Emorum Patrum resolutionem approbavit et confirmavit.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

II

Circa Probationem Status liberi.

Non est, in nostris regionibus, extra praxim positus casus sequens: maritus, relicta uxore in patria, in longiquas oras, puta in Americam, discedit, et post tempus plus minusve longum ibidem mortem obiisse nuntiatur; mulier autem ex sua parte ad secundas nuptias convolare cupit et postulat testimonium status liberi.

Porro notum est ex Instructionibus S. Sedis, præsertim ex Instructione C. S. O. anni 1868 (1), defectui documenti authentici de obitu supplere posse non tantùm depositionem testium fidem merentium et de morte sub fide juramenti ac propria scientia attestantium, sed etiam posse sufficere ut validæ præsto sint præsumptiones ac speciatim in jure admitti probationem ortam ex conjecturis, indiciis et adjunctis mutuò collectis ac perpensis, dummodò exinde « prudentis viri judicium ad mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine promoveri possit » (2).

Hujusmodi præsumptiones investigandas indicat, speciminis gratià, ipsa laudata Instructio, sub 7: nimirum « an ille de cujus obitu est sermo bonis moribus imbutus est, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet;... an discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quæ tunc ejus ætas et valetudo esset... utrum alicui pugnæ interfuerit, utrum ab hostibus fuerit captus, num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit ».

Hasce normas jam non semel applicavit S. Sedes, notatim anno 1898, 25 Julii (3), quando C. S. O. transitum permisit ad novas nuptias fœminis plurimis Italicis, quarum mariti partem habuerunt in pugna de Adua, in Africa, in illaque pugna occubuisse præsumebantur, eo quod exinceps non apparuerint et nulla eorum amplius habita sit notitia, quamvis a Gubernio Italico accuratæ factæ fuerint investigationes.

---

(1) *Collectanea S. C. de P. F.*, n. 1372.

(2) Instr. 1868, Sub 6.

(3) Cf. tenorem apud N. R. th., XXI, p. 92 s.

Similiter eadem C. S. O., die 18 Julii 1900 (1), libertatis testimonium dari permisit mulieri, cujus vir ex Hispania migraverat in insulam Cuba, ibique occasione rebellionis civilis periisse publica voce dicebatur: deficiebat ex una parte omne documentum authenticum mortis, ac etiam testimonium quodlibet personæ de visu testantis, ex alia autem parte obitui favebat rumor publicus, necnon absentia per plures annos omnis nuntii ac notitiæ circa illum, ac variæ præsumptiones huic inde collectæ.

Nuperrime in eumdem sensum solvit S. C. de Sacramentis duos casus coram ipsa oblatos, die 22 Januarii et 26 Martii 1909. Juvat utriusque facti compendium proponere juxta *Il Monitore ecclesiastico*, 1909, p. 200 ss., cujus relationis versionem exhibet *Rev. ecclés. de Metz*, 1909, p. 527 ss.:

« 1. Le premier (cas) regarde le diocèse de Nicastro, Italie *(Neocastren. Præsumptæ mortis conjugis. 22 Jan. 1909)*. Bruno Buttera, ouvrier, se rend au Brésil à l'âge d'environ cinquante ans. Durant la première année seulement il écrit presque tous les mois à sa femme, lui disant à la fin qu'il veut revenir au plus tôt; puis pendant vingt ans il ne donne plus signe de vie. La seule nouvelle que l'on ait eue est une lettre d'un autre ouvrier, demeurant dans la même région, qui écrit, quatre mois après la dernière lettre de Bruno, pour annoncer sa mort, et meurt lui-même la même année.

Après plus de vingt ans, la femme de Bruno demande l'autorisation de convoler à d'autres noces.

On écrit à l'évêque de Saint-Paul en Amérique pour obtenir quelque attestation de la mort, mais comme on ne connait ni l'année de la mort, ni le lieu où elle a dû arriver, toutes les démarches sont vaines.

De l'interrogatoire de la femme et de témoins qui connaissaient Buttera, il résulte que l'opinion publique le regarde comme mort. Les lettres de Buttera n'existent plus, et on ne peut davantage se procurer la lettre qui avait annoncé la mort.

La S. C. des Sacrements, considérant:

Que Buttera, s'il vivait encore, aurait plus de soixante-dix ans, âge trop avancé pour les émigrants d'Amérique, étant donné surtout sa faible santé;

---

(1) Tenorem videsis apud R. th. fr., 1901, p. 81 ss.

Que la mort de Buttera fut attestée par un compagnon qui le connaissait bien et n'avait aucun intérêt à mentir;

Que l'on ne saurait expliquer autrement le silence de B. pendant près de vingt ans, vu qu'il aimait sa famille et que dans la première année il écrivait tous les mois;

Que d'autre part il n'y a aucune autre raison de ce silence, B. jouissant de l'estime et de l'affection de ses concitoyens;

D'autant plus que dans la dernière lettre il avait promis de revenir au plus tôt, et qu'après cela on n'entendit plus rien;

Qu'aucun de ceux qui se sont rendus plus tard dans le pays où il avait demeuré n'a pu avoir de ses nouvelles;

Que pour ces motifs tous ceux qui connaissaient B. le regardaient comme mort; — la S. C., tout ceci considéré, déclara que l'on pouvait permettre à la femme de se remarier: *Dari posse documentum libertatis.*

2. L'autre cas *(Dromoren. Præsumptæ mortis conjugis — 26 Mart. 1909)* regarde le diocèse de Dromore en Angleterre.

Michel Doyle se maria, il y a vingt-quatre ans, avec Elisabeth Best. Peu après le mariage, il alla à Liverpool en qualité de marin, et pendant quelque temps envoya de l'argent à sa femme, envers laquelle il montra toujours beaucoup d'affection. Après plusieurs années, arriva à Elisabeth une lettre, dont elle ne se rappelle plus l'auteur, mais où on lui annonçait la mort de son mari. La sœur d'Elisabeth affirme se rappeler cette lettre, et d'autrres personnes du pays disent avoir entendu parler de la mort de Doyle. Un ami de celui-ci a demandé plusieurs fois des nouvelles du disparu, mais n'a pu obtenir de réponse satisfaisante.

Il y a dix ans Elisabeth s'unit en secondes noces devant le ministre protestant, et à présent elle vit avec son nouveau mari, protestant. On demande s'il est possible d'obtenir la régularisation de ce second mariage.

Sur l'ordre de la S. C., l'évêque fit le procès canonique pour la preuve de la mort de Michel Doyle. Les trois témoins entendus — Elisabeth, sa sœur, et un ami de Michel — confirmèrent sous la foi du serment l'exposé des faits ci-dessus.

Malgré les lacunes du procès, la S. C. retint les considérations suivantes:

Que Michel aimait beaucoup aa femme;

Qu'il vécut toujours en paix avec elle;

Qu'à chaque occasion il revenait la voir;

Qu'absent il lui envoyait des lettres et de l'argent;

Que plusieurs années après son départ, la femme ne reçut, pendant plus de vingt ans, ni lettre ni argent:

Que la femme reçut une lettre annonçant la mort de son mari;

Qu'au reçu de cette lettre, tous pleurèrent la mort de Michel;

Que la femme se crut libre de contracter mariage avec un autre, et qu'elle eut le tort de s'unir par le lien civil avec un protestant, union reconnue comme valide en Angleterre avant le décret *Ne temere,* le décret *Tametsi* n'y étant pas promulgué.

Toutes ces circonstances réunies forment une preuve morale convaincante; aussi la S. C. répondit le 26 mars 1909: *Affirmative et ad mentem, Mens est:* « Quod facto verbo cum Sanctissimo, scribatur Episcopo Dromoren. necesse esse ut, antequam hujus Sacræ Congregationis responsum uxori communicetur, quoniam ipsa coram ministro acatholico et cum viro protestanti matrimonium contrahens, præcepta Ecclesiæ graviter fuerit transgressa et canonicas incurrerit pœnas, de vera ejusdem resipiscentia certo constet, atque salutaribus pœnitentiis impositis eam a censuris absolvat, et necessarias cautiones meliori quo possit modo ab eadem obtineat » (1).

III

Circa Facultatem dispensandi ab impedimentis matrimonii.

Coram S. Congregatione de Sacramentis dubium proponendum censuit Archiepiscopus Friburgensis circa facultatem dispensandi super impedimentis matrimonii: utrum

(1) Hoc responso confirmatur doctrina olim proposita, apud *Collat. Brug.*, t V, p. 304 s., quatenus sponsi coram ministro hæretico qua tali matrimonium contrahentes *excommunicationem* incurrisse præsumuntur eamque speciali modo reservatam S. Pontifici, quæ lata legitur in Constit. *Apostolicæ Sedis,* contra « hæreticos eorumque credentes ». Hæc censura est *in foro externo* absolvenda: adeoque ad hoc speciali opus est facultate ab Episcopo accipienda, nec ad hoc suffragatur facultas qua quis gauderet amplissima absolvendi a quibusvis censuris quomodocumque reservatis in foro interno.

nempe Apostolica facultas dispensandi super consanguinitate (vel affinitate) in determinato gradu, ipsi suffragetur ad dispensandum quando dictus gradus contingit esse *multiplex*, etiam *triplex*, idque non obstante decreto S. C. Concilii, 26 Aprilis 1873, quo denegatur Episcopis Siciliæ potestas dispensandi « in tertio vel quarto consanguinitatis aut affinitatis gradu *triplici*, id est, ex triplici stipite proficiscente » (1).

Porro die 12 Febr. 1809 respondit S. Congr. *affirmative*, in hoc applicando doctrinam sæpius jam inculcatam a S. Sede, nominatim in decretis S. C. O. 19 Junii 1863, 19 Junii 1875 (2), in declaratione S. Pœnitentiariæ 18 Jan. et 20 Apr. 1883 (3), necnon in responso C. S. O. 16 Maii 1898 (4). Nimirum principium est *generalem* concessionem dispensandi super aliquo gradu consanguinitatis seu affinitatis, extendi etiam ad casum multiplicitatis, nec restringi ad gradum duplicem sed etiam complecti tertium et ultra.

Quod autem spectat solutionem datam anno 1873, non constituit normam generalem, sed inducit derogationem pro casu particulari, in ipso tenore indulti pro Episcopis Siculis implicitè contentam. Dicitur enim ipsis communicari potestatem dispensandi « in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu, *sive simplici sive duplici* »; jamvero, uti arguit *Folium* causæ, « cum specifice declaravit (S. Pontifex) se facultatem concedere dispensandi ab iisdem gradibus, sive simplices illi sint sive duplices, duplicem includendo, triplices exclusisse discendus est » (5).

Addit S. Congr. in responso, sub 2°, quod, si facultas datur dispensandi super pluribus gradibus ejusdem impedimenti, puta super quarto consanguinitatis gradu et super tertio, potest etiam ea uti Ordinarius, si habet indultum cumulandi, quando multiplicatur impedimentum in diversis illis gradibus, concurrente scil. tertio gradu cum quarto, sive simpliciter sive multipliciter (6).

---

(1) *N. R. th.*, XV, p. 36.
(2) *Collectan. S. C. de P. F.* (1893), n. 1240 et 1243.
(3) Respective apud *N. R. th.*, XV, p. 52 et *Collectan*, n. 1244.
(4) *R. th. fr.*, 1898, p. 470.
(5) *N. R. th.*, XV, p. 37.
(6) Hoc idem valet Ordinarius, absque cumulandi indulto, quando

En textum laudati decreti S. C. de Sacramentis, juxta *Archiv für kath. Kirchenrecht,* 1909, p. 542 :

« 1° Ordinarius, qui Apostolica gaudet facultate dispensandi, puta in secundo gradu consanguinatis, potest dispensare, etiam quando prædictus gradus est multiplex, id est proveniens a duobus vel pluribus stipitibus.

2° Ordinarius, qui Apostolica gaudet facultate cumulandi, dispensare potest, quando idem impedimentum multiplicatur in diversis gradibus, super quibus dispensare potest vi indulti a S. Sede concessi.

3° Allata responsio S. Congregationis Concilii die 26 Aprilis 1873 ad Episcopos Siculos non potest nec invocari nec haberi ut norma generalis, utpote data in casu particulari ».

E Sacra Rota

NULLITATIS MATRIMONII.

Die 24 Julii 1909, in Tribunali S. Romanæ Rotæ, soluta est causa nullitatis matrimonii inter virum B. et mulierem S.

Nimirum vir B. protestanticæ sectæ addictus coram ministello hæretico in uxorem duxerat mulierem S. ejusdem sectæ proselyta. Divortio civili obtento, vitæ consuetudinem instauravit B. cum fœmina catholica, quæ, ad hanc unionem legitimandam, coram Curia diœcesana primum matrimonium viri B. judicialiter impetiit ob appositionem conditionis substantiæ matrimonii repugnantis, quatenus scil. non contraxerit nisi sub conditione solvendi vinculum, ad morem protestantium, in casu adulterii. A sententia Curiæ negativa provocavit actrix ad S. Sedem, et causa fuit in gradu appellationis subjecta tribunali S. Rotæ; Auditores autem de turno decreverunt et sententiarunt, conformiter cum Curia diœcesana, *non constare de nullitate matrimonii initi inter virum B. et mulierem S.*

---

in tenore inseritur, quemadmodum in Quinquennalibus Episcoporum Belgii, facultas dispensandi super tertio vel quarto gradu « *simplici vel mixto* ». Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 481 ss.

Profectò, uti notant ipsi judices Romani, si consensus matrimonialis emittatur sub conditione verè suspensiva dè conjugio solvendo in casu adulterii, vitiatur substantialiter ob appositionem conditionis substantiæ matrimonio contradicentis. Ast ad hoc oportet ut conditio fuerit reipsa imposita, utque in pactum sit deducta : quod in casu obtinuisse negant vel ad minus in dubium vocant laudati judices.

Equidem vir versabatur in errore circa indissolubilitatem vinculi, quippe quod solvi posse censebat adulterio superveniente; sed ex errore circa matrimonii proprietatem, qui cæteroquin error de se non invalidat contractum, non infertur existentia conditionis appositæ ejusque in pactum deductæ : debet de hoc utroque facto aliunde constare.

Jamvero nedum de hoc constat, contrarium eruendum videtur en actis et allegatis. Nimirum potius censetur sponsus a conditionis appositione abstinuisse eo quod illam existimabat superfluam, siquidem fidelitatem sponsæ non suspicabatur; saltem non fuit ita apposita conditio ut ingrederetur pactum conjugale, seu absoluta et prædominanti voluntate, quasi a nubendo abstinuisset potius quam illud inierit absque dicta restrictione : voluit nempe absoluta voluntate matrimonium contrahere, licet hoc reputaverit solubile.

En palmare argumentum quo nititur Sacri Tribunalis sententia. Invocantur ulterius quædam rationis momenta subsidiaria : et quidem *primo* « hæc limitatio, aiunt S. Rotæ auditores, consentiendi matrimonio nisi sub eo respectu, comparti in celebratione matrimonii neque ante fuit manifestata. Ergo etiam paulisper admisso, quod ea extiterit, præsumendum est, Wernerium B. in celebratione matrimonii ab ea recessisse, cum, ut ait Glossa, loco superius citato, contra eum qui dolum adhibet in contractibus, interpretatio sit facienda : nihil suffragante in casu intentione virtuali, quæ fortasse Wernerio in foro tantum interno prodesse poterit » ; *secundò* « recolendum est, hujusmodi matrimonium celebratum fuisse in loco non obnoxio legi Tridentinæ de clandestinitate, quare nihil impediebat ut consensus matrimonialis, vitiatus ex una parte, posset revalidari ex copula affectu maritali habita ».

A. De Smet.

L'OFFICE DES DÉFUNTS

DE

L'ÉDITION VATICANE.

I

Texte et chant des diverses parties de l'Office.

L'édition de l'Office des Défunts vient de sortir des presses Vaticanes (1). Un décret de la Congrégation des Rites, en date du 12 mai dernier, figure en première page (2). Il insiste sur le caractère authentique et typique de ce nouveau livre liturgique de chant grégorien et en impose l'usage à toutes les églises du rite latin.

L'examen de la présente édition suggère une double série d'observations, dont la première a trait aux prescriptions rubricales, l'autre au texte et au chant des diverses pièces propres à l'Office des Morts.

Quant au texte rubrical, nous nous contentons de signaler les nombreuses modifications apportées à la version officielle antérieure. Cette nouvelle rédaction, qui reprend, coordonne et corrige les rubriques du Rituel, du Bréviaire et du Missel, prouve à l'évidence que les diverses parties de l'édition Vaticane constituent, pour tout ce qui concerne le chant, les livres liturgiques propres et qu'en cas de modifications subies par les prescriptions autrefois en vigueur leur texte doit être préféré (3).

---

(1) *Officium pro Defunctis cum missa et absolutione, necnon exsequiarum ordine cum cantu restituto* jussu SS. D. N. Pii Papæ X. Editio typica. Romæ, Typis polyglottis Vaticanis, 1909, in-8, 93 p. F. 1,50.

(2) V. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 445.

(3) C'est un des arguments sur lequel repose l'opinion qui soutient que le *Benedictus*, exécuté en plain-chant, peut en droit être chanté avant la

La suite des observations vise le texte et le chant des pièces comprises dans l'Office complet des Défunts.

1°. Le texte des Antiennes a subi un petit nombre de corrections. Notons en guise d'exemples : p. 18, à la 2de antienne des Vêpres, les mots *Hei mihi Domine* ont été remplacés par *Heu* (1) *me;* p. 43, à la 1e antienne du 3e nocturne, le mot *Domine* de la 2de partie a disparu etc.

L'astérisque d'un bon nombre de versets a été déplacé ; exemples : verset 5, 8 du 1er psaume, verset 8 du 5me psaume des Vêpres etc.

2°. Quant au chant des diverses parties de *l'Officium Defunctorum cum missa et absolutione,* nous signalons les points suivants :

A. **La psalmodie.**

a/ L'intonation psalmodique dite férialе, commençant sur la teneur, est supprimée.

b/ L'édition typique a maintenu les médiantes rompues, spéciales aux monosyllables et aux mots hébraïques ; nous en avons un exemple pour le IIe mode, p. 14 et deux exemples pour le VIIIe, p. 32, 53. On nous assure que l'Antiphonaire conservera également les cadences rompues au Ve mode et peut-être au IVe. Les formules plus compliquées et plus fixes des autres modes se prêteraient difficilement à des variations mélodiques (2).

Consécration. Tel du reste a été l'avis de la pluplart des auteurs qui ont publié sur la question.

(1) Notez l'exacte prononciation de la diphtongue *eu,* écrite *Hé-u.*

(2) Contrairement à l'opinion de Dom Mocquereau, *Traité de psalmodie,* p. 18, note, plusieurs auteurs défendent, au point de vue mélodique, historique et traditionnel, le maintien des cadences rompues dans les formules psalmodiques simples, établies et adoptées vers le XIe siècle et conservées dans la Vaticane. V. un article de Dom Pothier dans la *Revue de chant grégorien,* 1909-1910, t. XVIII, p. 7 ss. ; un article signé R. Scribe, dans le même périodique *l. c.,* p. 13 s. Ce dernier auteur dit très justement que la médiante rompue n'est qu'un simple mouvement de la voix qui peut se déplacer sans briser la suite du verset, et dès lors qu'elle n'est plus qu'une note *d'accent* au cours d'une teneur.

ex. II.

De- us Isra- él : *
ár-gu- as me : *

c/ Les formules psalmodiques de la Vaticane nous offrent certains types de cadences finales qu'on ne trouve pas dans les éditions antérieures (1) des bénédictins.

p. 16, III mode, B.

p. 19, VI mode, A, *ad libitum.*



p. 39, IV mode, C.

Le psaume *Lauda anima mea* p. 22 et *De profundis* p. 59, qui se récitent *in directum* cad. sans antienne, ont la même formule que, dans le Graduel, le psaume *Deus in adjutorium* des Litanies des Rogations (2).

d/ La Commission Pontificale a étendu à l'église du rite latin l'usage de la *flexe monastique* (3).

La flexe psalmique † se rencontre lorsque le premier hémistiche d'un verset est trop long pour être chanté d'un trait. Elle équivaut à un quart de barre ou à une petite pause de suspension et de respiration, précédée d'un fléchissement de la dernière syllabe. Ce fléchissement est d'un ton aux I, IV, VI, VII modes et au ton

(1) Les notes marquées d'un astérisque sont des notes préparatoires ; la blanche est une survenante.

(2) Une autre particularité à remarquer dans la présente édition, p. 21, c'est qu'à la finale c du VIIe mode, la survenante se met au même degré que la note précédente.

(3) Mocquereau, *o. c.*, p. 18.

pérégrin ; il est d'une tierce mineure aux II, III, V, VIII modes et au ton *in directum* (1). Si toutefois à la flexe survient un monosyllabe ou un mot hébreux, la voix ne fléchit pas, mais se prolonge quelque peu (2).

B. **Les leçons.**

a/ A la *flexe* ou demi-finale, le fléchissement de la voix ne se fait que sur la dernière syllabe (3).

b/ La vaticane a adopté des formules spéciales pour les finales *(punctum)* ou demi-finales *(flexa)*, se terminant par un monosyllabe ou un mot hébreux :

1° *au point :*

re-dú- ces me.
té- ti-git me.

2° *à la flexe :*

ves-tí- sti me :
revertémur ad vos :
fé-ce- ris me :

c/ *Au point final,* la cadence n'a qu'un accent, avec une formule préparatoire.

pos-sit e- rú- e- re
spí- ri- tum me- um. (4)

---

(1) *Règle pratique.* Si la teneur ou note de récitation est *do* ou *fa*, le fléchissement est d'une tierce mineure ; d'un ton dans les autres cas.

(2) *Officium Defunctorum,* editio typica, p. 92.

(3) V. p. 89. *dilúculo.* Il semble que le fléchissement de la voix sur la *dernière syllabe* avant la flexe soit général à tous les récitatifs, *oraisons, psaumes, leçons* etc.

(4) L'anticipation de la voix sur l'accent coïncidant avec la note aiguë de la formule préparatoire se fait seulement au cas où un proparoxyton (*Dóminus, spíritum*) précède l'accent final. Voir l'explication que nous donnerons plus loin, en parlant du versicule.

C. **Les versicules** se chantent sur une cadence mélodique en tout semblable à celle du point final des leçons.

A por- ta infe- ri.
obliviscá- ris in fi- nem.
p. 41. pó-pu- li su- i.

Les deux notes qui précèdent le dernier accent sont une formule préparatoire intimement liée à la partie finale et forment avec elle un tout indivisible au point de vue mélodique. Elles se chanteront donc sur les deux syllabes qui précèdent le dernier accent (1), sauf au cas ou un proparoxyton *(pópuli)* survient immédiatement avant cette dernière accentuation. Alors on anticipe sur l'accent du proparoxyton l'élévation de la voix, en intercalant une survenante.

Et il n'y a aucune contradiction entre ces deux façons de procéder. En voici l'explication empruntée à un article de Dom Pothier, paru dans la *Revue de chant grégorien* (2).

La suite nécessaire, l'indivisibilité de ce genre de formule s'oppose à ce que dans *obliviscáris in finem* on anticipe l'élévation à l'accent de *obliviscáris* parce que la finale du mot, marquant une division, minime il est vrai, mais réelle, suspendrait la continuité de la mélodie. Dans le cas d'une pénultienne non accentuée, l'anticipation à l'accent précédent est possible. Car cette pénultienne devenue survenante, ne comportant aucune sorte de *mora,* de *tenor,* ne provoque aucune solution de continuité.

Ceci est applicable, comme le montre Dom Pothier, à certaines formules psalmiques solennelles (3), notamment à la médiante du VIe mode.

(1) Je pense même que cette règle peut toujours être appliquée.
(2) 1908-1909, t. XVII, p. 44 s.
(3) Voir *Liber Gradualis* Intr. in Dominicam IV post Pascha.

D. Les Oraisons.

Dans le corps des Oraisons nous trouvons deux signes, la croix à la *flexa*, l'astérisque au *metrum*. Ils y ont été introduits pour faciliter le chant du double ton férial *ad libitum* noté déjà dans le Graduel et qu'on retrouve à la fin de l'Office des Défunts p. 91.

Le premier, dit la Rubrique, « usurpari potest in Officio, Exsequiis, et Absolutionibus, non vero in Missa »; elle ajoute toutefois: « Oratio *Non intres* dicitur recto tono, sed in fine ultima syllaba declinatur in semiditonum (tierce mineure): item in fine conclusionis ejusdem (1).

Pro orationibus Missæ usurpari potest tonus ad libitum sicut notatur primo loco in Tonis Communibus Gradualis ». C'est le premier qui y est noté après qu'il a été question du *Tonus ferialis*.

A. De Meester.

II

Adnotationes Liturgicæ.

I. De diebus quibus officium solemniter celebratur.

Rubrica in limine officii defunctorum (p. 17) posita, ex Rituali desumpta est, adjectis verbis quæ typis italicis excudimus: « In die depositionis, *in die post* » *acceptum mortis nuntium* (2), et tertio, septimo, tri- » gesimo et anniversario *etiam late sumpto*, (3), *et* » *quoties solemniter celebratur officium*, duplicantur an- » tiphonæ ».

Verba ultimo loco addita negotium facessere possent. Duplex enim distinguitur, sicut in missa, ita et in officio, solemnitas. *Extrinseca* nempe quæ constituitur pompa

(1) C'est le ton férial, v. A. De Meester. *Règles pratiques pour l'exécution du chant grégorien*, p. 22.

(2) Ex decr. S. R. C., n. 3755 ad III.

(3) Ex decr. S. R. C. 3753, V, et 3920 ad I.

externa, v. g. cantu, thure, ornatu chori, assistentia ministrorum vel et magistratus ac populi. *Intrinseca* contra consistit in quadam dignitate quam auctoritas ecclesiastica indit celebrationi missæ et officii, hæc elevando ad ritum altiorem saltem duplicem, eisque concedendo varia cum hoc ritu cohærentia privilegia liturgica, v. g. quod missa unam tantum admittat orationem, quod rarius impediatur, etc. De hac intrinseca solemnitate agi in textu præcitato nullum est dubium (1).

Jamvero ex libris liturgicis et decretis et unanimi doctorum sententia, dies qui pro defunctis ita sunt *privilegiati* et in quibus missa et officium *solemniter* celebrantur, sunt sequentes:

1° pro defunctis omnibus: Commemoratio omnium fidelium defunctorum, pro qua exstat in Missali formulare primæ missæ.

2° pro defunctis determinatis: a/ ratione recentis obitus — pro quo ordinatur formulare secundæ missæ: dies depositionis seu obitus, (qui extenditur ad diem quasi-obitus seu pro die obitus), dies primus liber post acceptum alicujus obitus nuntium, dies ab obitu aut depositione tertius, septimus et trigesimus.

b/ ratione annuæ commemorationis: dies anniversarii stricte aut late sumpti — cui diei respondet formulare tertium missalis.

In allegato autem textu novæ editionis enumerantur omnes dies pro defunctis determinatis privilegiatos, sed non fit expressa mentio Commemorationis omnium fide-

(1) Hoc luculenter apparet ex correlativa rubrica Missalis (*Rub. gen.*, V, 3) tum antiqua, tum maxime reformata, quæ statuit: « una tantum oratio dicenda est... in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, die et pro die obitus... diebus tertio, septimo, trigesimo et die anniversario... necnon *quandocunque pro defunctis missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu et in anniversariis late sumptis* ». Significatio verbi « solemniter » hic clara est tum ex apposita explicatione tum ex additis exemplis.

lium defunctorum, forte quia Rituale hunc diem non respiciebat (1). Sed nova editio voluit certe hujus etiam diei cantum et ritum ordinare (2): et ideo, ni fallamur, enuntiavit principium generale « *et quoties solemniter celebratur officium* », quod in præsenti disciplina unicum diem non specialiter nominatum comprehendit, diem nempe Commemorationis omnium fidelium defunctorum, sed quod applicari posset et aliis casibus qui postea accedere possent (3). Censemus igitur hoc novo textu, qui sane melius exprimi potuisset, nullam induci mutationem quoad dies pro defunctis privilegiatos.

Privilegia missæ et officii solemniter celebrati consistunt in eo quod:

1/ quamvis sint extra ordinem calendarii, possint — sicut votivæ solemnes et privilegiatæ (4) — cantari in festis etiam duplicibus, imo (pro quibusdam saltem) in duplicibus 2^{æ} vel et 1^{æ} classis;

2/ celebrantur ritu qui duplici respondet; et ideo

a/ in missa, etiam lecta, una tantum dicitur oratio (5) et dici debet *Dies iræ;*

b/ in officio « duplicantur antiphonæ » et præterea — quod sedulo notandum, quia novum — psalmi *Lauda anima* et *De profundis* in precibus, ad finem Vesperarum et Laudum, omittuntur. Et hoc statuitur jam non

---

(1) Rituale enim, ut apparet ex ipsa tituli VI inscriptione « De exequiis » præ oculis maxime habet ritus qui constituunt funus alicujus recens defuncti, et semel tantum (ad ultimum tertii nocturni responsorium), agit de Commemoratione omnium fidelium defunctorum, cujus diei rubricæ speciales quærendæ erant in Breviario.

(2) Hæc enim editio in unum congregare intendit cantum et rubricas (cantum spectantes) Ritualis et Breviarii, et ita de Commemoratione omnium fidelium defunctorum agit p. 22, 25, 30, 50, 75.

(3) Hujusmodi casus forte posset esse, si Episcopus in sua diœcesi injungeret exequias persolvendas pro Romano Pontifice vel Rege recens defuncto: considerari forte posset tanquam missa et officium solemne, ad instar missæ votivæ solemnis pro re gravi.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 267.

(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 254.

tantum quasi per exceptionem « in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum et in die obitus seu depositionis » ut aiebat rubrica Breviarii (1), sed jam regula generali « quandocumque officium recitatur ritu duplici », ut addit nova rubrica (2).

Reformata rubrica melius quam antiqua congruere videtur cum regulis quæ in aliis officiis servari solent. Quo solemnius enim est officium eo magis etiam excluduntur accidentales commemorationes et « preces ». Ita notatim in festivo officio duplici nunquam recitandæ sunt « preces » ante orationem Vesperarum vel Laudum. Jamvero præfati psalmi *Lauda anima* et *De profundis* pertinent ad hujusmodi « preces », ut apparet ex eo quod in officio omnium feriarum quæ de jure jejunantur recitandi sunt in « precibus » psalmi correspondentes *Miserere* et *De profundis*. Convenienter ergo similiter omittuntur in officio pro defunctis duplici psalmi *Lauda* et *De profundis*.

II. **De orationibus.**

A. Quoad *conclusionem* orationum pro defunctis, utrum in officio longa an vero brevis esset adhibenda, non erat regula generalis et certa. In ipso enim Breviario, orationis *Fidelium* conclusio ponebatur brevis cum exceptione pro sola die Commemorationis omnium fidelium defunctorum; item in Rituali omnes orationes, etiam ipsius officii, conclusionem habebant brevem.

In nova autem editione Vaticana ponitur regula generalis valde simplex et commoda: « *Conclusio longa Orationum adhibetur tantummodo in missa et officio, extra vero semper brevis* » (Ed. Vat., p. 10, nota), et consequenter mutantur omnes conclusiones huic regulæ non conformes.

---

(1) Hæc rubrica confirmata fuit decretis nn. 4044^{20} et 4085^{1} antiquæ collectionis, et decreto n. 3877 novæ collectionis authenticæ; cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 137.

(2) S. C. R. decreto n. 4029^{3} jam probaverat hunc usum pro ecclesiis ubi vigebat.

Quamvis hujusmodi regula nullibi in libris liturgicis scripto hucusque inveniretur, solebat jam ab auctoribus et praxi applicari v. g. in Laudibus SS. Sacramenti (1). Majori nunc fiducia jam urgeri posse videtur, ubicumque libri liturgici non expresse exhibent diversam a regula conclusionem. Imo sperandum est fore ut auctoritate S. Congregationis extendatur et ad alias orationes pro quibus in Rituali desideratur uniformitas (2).

B. Utrum liceat nomen defuncti in orationibus inserere et mutare genus ac numerum olim interrogati respondimus (3) majorem a rubricis concedi libertatem quam quæ ab auctoribus permitti solebat. Non minorem, imo majorem concedi nunc apparet luculenter ex nova editione, quæ ipsa mutationes diserte proponit multo plures quam quæ in Rituali, Breviario et Missali inveniuntur. Summatim sequentia statui possunt:

1° Expresse prohibetur aliquam mutationem inducere in oratione *Non intres in judicium cum servo tuo...*, « etiamsi pro pluribus aut pro fœmina dicatur ». Ita olim jam declaravit S. R. C. n. 2355. Ratio est quia verba desumpta sunt ex S. Scriptura (4), Psalmo 142, v. 2.

2° Censemus non licere proprio marte mutare textum ut oratio quædam melius conveniat diei in qua recitanda est oratio, delendo v. g. verbum *hodie,* vel aliquid simile (5).

3° Ratione dignitatis ecclesiasticæ defuncti, diserte proponuntur in ipsa editione omnes mutationes quæ desiderari possent.

4° Ubique, etiam in missa quotidiana, ni fallamur,

---

(1) S. R. C. n. 2252 declaravit brevem adhibendam esse conclusionem pro oratione SS. Sacramenti ante benedictionem, juxta Rituale, in fine processionis SS. Sacramenti.

(2) Ita in Rituali oratio ordinaria dicenda post S. Communionis distributionem habet conclusionem longam, quæ servanda est ex decr. S. R. C. n. 3515[2] ; orationis vero tempore paschali recitandæ conclusio est brevis.

(3) *Collat. Brug.*, t. XI, p. 57-63.

(4) Cfr. casus similis ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 280, nota 4.

(5) Rationes et decreta allegata vide ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 60.

licet mutare numerum et genus, ita tamen ut in plurali semper dicatur *famulorum famularumque tuarum*, vel si plures sint fœminæ *famularum tuarum*, vel *famulorum tuorum* si sint omnes viri vel una defuncta et unus aut plures defuncti (1).

5° Tandem ubique, etiam in missa quotidiana, addere licet nomen baptismatis aut religionis, saltem si agatur de uno defuncto.

III. **De Invitatorio et Nocturnis** (2).

1. Per plura sæcula matutinum defunctorum absolute incipiebatur absque Invitatorio, cujus sensa lætitiæ et « exultationis » minus convenire censebantur hujus officii luctui (3). Postea tamen præmissum fuit Invitatorium, ad perficiendum matutinum ad instar officii diei. Unde pronum est illud dicere quoties celebratur officium integrum cum tribus nocturnis. Jamvero die Commemorationis omnium fidelium defunctorum et die obitus, regula est ut dicantur, sicut semper *supponuntur* dici, tres nocturni. Quodsi reapse matutinum his diebus non recitatur integrum, supponitur hoc esse ex temporis defectu, qui permittit inchoare, non vero totum absolvere officium: et ideo tunc dicitur *Invitatorium* cum *primo* nocturno. Quæ ratio, ut patet, non militat pro aliis diebus, in quibus unum tantum nocturnum recitatur. Ex iis haud ægre intelliguntur rubricæ sequentes:

« Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis » omnium Fidelium defunctorum et in die depositionis » defuncti: quibus diebus dicuntur tres... nocturni, et anti-

---

(1) Cf. Decr. S. R. C. 14 Jul. 1901, ad 9; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 61.

(2) Officium romanum defunctorum constat tantum vesperis et matutino cum Laudibus, h. e. horis vespertinis, nocturnis et matutinis, non vero diurnis. Hoc forte explicatur ex eo quod « officium pro mortuis » ortum videtur ex « *vigilia* mortuorum », ex usu nempe antiquissimo quo solebant Christiani *per totam noctem* recitare et cantare orationes et psalmos in loco ubi erat corpus defuncti. Cf. H. Thurston, ap. *Catholic Encyclopedia*, t. III, v° *Burial*.

(3) Cf. P. Batiffol, *Histoire du Bréviaire romain*, p. 189 (Paris, 1895)

» phonæ duplicantur (1); *et quoties integrum officium, licet sub* » *ritu semiduplici, recitatur* (2) ».

« Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis » angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, » prædictum officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et » Laudibus dici non potest... dicatur saltem *primum* Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus maxime ubi » ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio *Regem cui omnia vivunt* » (3).

Sed in monasteriis et collegiatis, jam ante invectum invitatorium, invaluerat usus sæpius horis canonicis diei addendi officium pro defunctis — sicut facere jubemur die 2 novembris. Paulatim tamen inductus est mos ut rarius recitaretur officium pro defunctis (4) et ut pro matutino *unicum* tantum recitaretur nocturnum, et quidem *sine invitatorio*. Ne autem semper idem nocturnum repeteretur, adaptata sunt tria nocturna sex hebdomadæ feriis (5). Ex quibus explicatur rubrica sequens, ex Breviario in nova editione inducta:

« Aliis temporibus (6) dicitur tantum unum Nocturnum » cum Laudibus, hoc ordine: feria II et V, primum Nocturnum; feria III et VI, secundum Nocturnum; feria IV et » Sabbato, tertium Nocturnum » (7).

Quod si anticipetur matutinum, recitandum est nocturnum dici sequentis. Ceterum non prohibetur recitare totum matutinum cum invitatorio, sive in die privile-

---

(1) Rubrica ex Breviario, confirmata decr. S. R. C. n. 2578, ad XII[2].

(2) Additio nova in editione Vaticana (p. 30), conformis decreto S. R. C. n. 2344[2].

(3) Rubrica Ritualis, VI, III, 16, et editionis Vaticanæ, p. 16.

(4) Inde habemus rubricam Breviarii, in limine officii defunctorum positam, qua in choro « dicitur extra tempus paschale prima cujusque mensis die non impedita festo IX lectionum ».

(5) Similis adaptatio facta est pro absolutionibus, benedictionibus et responsoriis matutini officii ferialis.

(6) Hoc est: extra Commemorationem O. F. D. et diem depositionis.

(7) Rubrica Breviarii et editionis Vaticanæ p. 30, confirmata decr. S. R. C., n. 3885[5].

giata, v. g. anniversaria, sive etiam in die non solemni, in qua fit officium ritu simplici. (Cf. suprà p. 632).

2. Nullibi supponitur cantari duo Nocturna, vel Laudes absque nocturno, ut apud nos in nonnullis ecclesiis fieri consuevit (1). Quum tamen ipsæ rubricæ in materia exequiarum, pluries consuetudinis vim agnoscant (2), non auderemus damnare prædictos usus (3).

Attamen suadendum est ut potius, pro varia funeris classe, ordinetur officium conformiter ad ea quæ expresse permittunt Rubricæ. Licet enim cantare vel omittere Vesperas, licet cantare unum Nocturnum cum vel sine Laudibus (4), tres Nocturnos cum Laudibus, imo, ut saltem videtur ex textu novo editionis Vaticanæ (5), tres Nocturnos absque Laudibus.

3. Quod si « post Nocturnum vel Nocturnos, Laudes omittantur » (Ed. Vat. p. 10) « attamen dicendæ sunt Preces [quæ dici solent in fine Laudum] cum psalmo *De profundis* (quando hic aliàs dici debet) (6) et Oratione convenienti, etsi continuo subsequerentur Exequiæ (7), vel Missa aut Absolutio » (Ed. Vat. p. 37, nota). Non tamen post Orationem, in hoc ultimo casu, addendi essent duo versiculi *Requiem* et *Requiescant* (p. 10), de quibus infra agemus.

IV. **De numero plurali vel singulari in versiculis.**

Etiam quoad hoc punctum, de quo non raro dubi-

---

(1) Cf. ceteroquin Pastorale Brugense, *Exequiarum Ordo*, n. IV, et VI et *Epistola ad clerum diœcesis Brugensis*, 14 Oct. 1897, de Rituali, sub n. XI.

(2) Rit. t. VI, III, 1; 16.

(3) Semel in anno, nempe in nocte Nativitatis separatur Laudes a Matutino; aliunde consuetudo quædam similis cantandi « duo vel tres Nocturni defunctorum » « toleranda » declaratur S. R. C. decreto n. 2915[11].

(4) Cf. Rit. Rom. VI, III, 16; Edit. Vatic., p. 19, 16 et 37 nota.

(5) « Post Nocturnum vel *Nocturnos*, si Laudes *omittantur* » p. 10. Nisi forte heic unice agi vellent de casu *dilationis* Laudum quando tres dicuntur Nocturni. Qua in hypothesi obscurus certe est textus!

(6) Hoc est, quoties officium non célebratur ritu duplici.

(7) Verbi gr. si immediate post Officium fieret corporis elatio et deductio ad ecclesiam.

tabatur, cum majori nunc certitudine regulæ statui possunt, juxta principium generale valde rationabile. In iis ritibus et precibus qui specialiter concepti et inducti sunt pro defunctis et quidem intuitu alicujus defuncti particularis, servetur numerus singularis si pro uno, numerus pluralis si pro pluribus peragantur. In iis vero officiis quæ, licent pro defuncto determinato celebrari possint, tamen ex prima institutione, respiciunt directe ipsam Ecclesiam qua societatem, ut sunt missa et horæ canonicæ, oportet servare textum prout jacet (generatim in plurali) exceptis iis quæ solet Ecclesia vel mutare vel addere juxta intentionem specialem.

Itaque 1° In ritu elationis cadaveris e domo, deductionis ad ecclesiam, absolutionis ad tumulum, deductionis ad cœmeterium, benedictionis sepulchri et sepulturæ, item in omni absolutione ad feretrum, conclusio psalmorum *Requiem æternam* et omnes versus usque ad versiculum *Anima ejus et animæ*... dicuntur in singulari vel plurali, prout pro uno vel pluribus ritus celebratur.

2° In missa, mutatio tantum fieri potest in solis orationibus (vide suprà p. 630) et notatim in fine Missæ semper dici debet « *Requiescant in pace* » in plurali, quia hæc supplicatio, ex intentione Ecclesiæ, dicitur pro omnibus defunctis.

3° Quoad officium tandem, in ipso corpore omnia immutata manent in plurali (1), sed in fine sicut ipsa oratio, ita etiam versiculi orationem præcedentes dicuntur in singulari vel in plurali prout pro uno vel pro pluribus recitatur officium.

Sed duo versiculi, *Requiem æternam* et *Requiescant* post orationem, *in officio,* semper in plurali dici debent, quia dicuntur pro omnibus defunctis et ordinantur ad concludendum officium.

V. **De modo concludendi officium, exequias aut absolutionem.**

---

(1) Cf. Decr. n° 2572 ad 24.

Rite hic distinguendum est inter conclusionem officii et conclusionem exequiarum, absolutionis aut sepulturæ.

A. Ut officii ultima conclusio haberi debent duo versiculi *Requiem æternam*... et *Requiescant* quæ in Rituali, in Breviario et in editione Vaticana ponuntur post orationes in fine Vesperarum.

De his expresse nunc notat editio Vaticana quod dicuntur « semper plurali numero » (p. 27). Ratio est quia, quotiescumque publice orat et cæremonias agit pro defunctis determinatis, Ecclesia pia mater nunquam omitti vult ut *in fine* oretur pro omnibus filiis defunctis (1).

In fine, inquam. Et revera, versus illi, ut ait Cavalieri, qui deserviunt ad dandum ultimum vale defunctis, sunt in finem precum reservandi (2). Et ideo regulariter dici debent in fine Vesperarum, etiamsi per anticipationem Matutinum continuo subsequeretur (3), et in fine Laudum vel, si omittantur aut differantur Laudes, in fine ultimi nocturni Matutini (4).

Si tamen Officium « dicitur immediate ante Exequias vel Missam aut Absolutionem, non dicuntur ℣℣. *Requiem æternam* et *Requiescat* (5) » post orationem, ut ait nota p. 10 editionis Vaticanæ (6). Ratio est quia diversæ

---

(1) Simili ratione oratio *Fidelium* in missis quotidianis de *Requiem* debet esse ultima; item in fine horarum officii de die recitamus: *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* Quæ ultima supplicatio abreviata repetitur in fine missæ de Requie.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 289.

(3) Ratio est quia Vesperæ semper constituunt ultimam diei horam in officio defunctorum: Matutinum, etiam anticipative recitatum immediate post Vesperas diei præcedentis, est inchoatio alterius officii sequentis diei. Cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 247 s. Similiter in officio de die, post completorium, antiphona B. Mariæ V. nequit omitti et bis dici debent *Pater*, *Ave* et *Credo*, si statim subjungatur matutinum cum laudibus.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 289 et t. III, p. 191.

(5) Verbum *Requiescat* in citata nota pag. 10 ponitur in singulari, sed patet esse mendum typographicum, inspecta regula contraria posita p. 27, quam statim tradebamus.

(6) Ex hac nota sicut et ex nota paginæ 37 quam supra (p. 633) dedimus sequitur officium posse celebrari immediate antequam cadaver e domo efferatur et ad ecclesiam deducatur. Nomine enim *Exequiarum*, ut

partes Exequiarum ordinis, in unum ritum coalescunt; et ultimum vale, seu conclusio pro omnibus defunctis differtur in finem ultimæ partis, quæ absolvitur conclusione sibi propria, de qua nobis agendum superest.

B. Si inspicias finem cæremoniæ sepulturæ in *Exequiarum ordine* (Rit. Rom. VI, III, 14-15; Missale pro defunctis), finem *Absolutionis in exequiis absente corpore* (R. R. VI, V; Miss. pro def.) et *Absolutionis post missam* (Miss. pro def.) invenies preces et rubricas post orationem in singulis casibus esse diversas, quin ulla appereat discriminis ratio. Verum ex usu et plurimis S. R. C. decretis (1) quæ verum statuunt jus, uniformitas valde exoptanda paulatim est inducta. Praxis servanda tandem in editione typica Missalis pro defunctis, anno 1884, ex integro expressa est (2), et quidem separatim et post omnes diversarum absolutionum ritus. Ex qua dispositione, inspecta anteriori disciplina, manifestius jam apparebat hunc modum terminandi exequiarum ordinem et absolutionem *servandam esse in omni casu*. Quæ conclusio, ab auctoribus communiter admissa, recentius confirmata est expressis verbis decreto S. R. C. diei 11 Martii 1899, n. 4014 quod provocat ad duo decreta antiquiora (3).

Sed ecce editio Vaticana, quæ in plurimis, ut vidi-

---

elucet ex ipsa inscriptione capitis III, tituli VI Ritualis « Exequiarum ordo », venit totus complexus rituum et precum qui fiunt ad funeris solemnitatem, corpore præsente vel etiam absente (cf. cap. V Ritualis et Edit. Vat. p. 68, 69, 73, 81). Complectitur autem ordo integer: a/ elationem et deductionem cadaveris; b/ officium, c/ missam, d/ absolutionem cum sepultura. Quum autem in prædictis notis specialiter nominentur *missa* et *absolutio*, remanet tantum ut supponamus officium dici immediate ante *elationem cadaveris*, ut explicavimus suprà p. 633 nota 7. Quo casu dicenda est quidem in fine officii oratio conveniens cum versiculis præcedentibus, non vero cum duobus versiculis subsequentibus orationem.

(1) Cfr. decreta S. R. C. nn. 1743[7], 2694, 2696[2], 3267.

(2) Quam vide summatim indicatam infra p. 638 et ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 678.

(3) Cfr. *Collat. Brug.* t. IV, p. 364 ss. et p. 484 ss.

mus, valde laudabiliter uniformitatem inducit et decreta S. Congr. in textu rubricarum inserit, denuo edit, quoad hoc punctum, omnes antiquas varietates Ritualis et Missalis, sed omittit appendicem quæ in recentioribus Missalibus praxim uniformem exhibebat.

Quod pro praxi valde dolendum nobis videtur. Sed an inde concludere licet, modum agendi hucusque præscriptum esse abrogatum? Nostro judicio falsa esset hujusmodi conclusio.

Nam non solet S. Congr. *solo silentio* ita abrogare praxim quæ est: a/ in se valde logica, quatenus iisdem ritibus easdem applicat regulas; b/ omnino conformis spiritui liturgiæ et pio usui Ecclesiæ quæ, in fine cæremoniarum pro defuncto determinato, orare non omittit pro omnibus filiis defunctis; c/ præscripta non solum antiquis sed maxime recentioribus decretis concordibus et quasi universaliter ac definitivo modo stabilita ultima editione typica Missalis pro defunctis.

Ceteras novas dispositiones quas explicitis verbis inducit editio Vaticana conformes sunt S. Congr. decretis et regulis generalibus: hæc sola innovatio tacita his omnibus esset contraria et verum constitueret regressum. Censemus igitur modum concludendi sepulturam aut absolutionem, qualis describitur in appendice recentioris Missalis pro defunctis, plenum servare valorem.

Quod si quis quærat cur nova editio textum hujus conclusionis uniformis non exhibeat, censemus respondendum esse, ejus auctores vix non unice intentos fuisse reformandis et statuendis cantui gregoriano et iis quæ in cantu peraguntur. Jamvero conclusio de qua agitur, saltem ab antiphona *Si iniquitates* non cantantur sed voce submissa ast intelligibili recitari debent.

Circa hanc conclusionem, utiliter notari possunt sequentia:

1° Dum celebrans dicit *Requiem æternam dona ei (eis) Domine*, facit « crucem manu dextera super tumulum » (Missale).

2° Duo priores versiculi post orationem dicuntur, pro opportunitate, in singulari vel in plurali: ℣ *Requiem... ei (eis)...* ℣ *Requiescat* vel *Requiescant* (1).

3° Preces finales pro omnibus defunctis incipiunt inde a tertio versiculo: *Anima ejus* (vel *animæ eorum*, vel *earum*) *et animæ omnium fidelium defunctorum...*

In reditu ad sacristiam statim incipit celebrans « voce submissa sed intelligibili » ita ut ab aliis audiri et alternatim recitari possint: *Si iniquitates;* dein psalmus *De profundis* cum versu finali *Requiem æternam dona eis...* (2), et repetita antiphona integra *Si iniquitates.* Tandem subjunguntur preces, in plurali: *Kyrie... Pater noster... A porta inferi...* cum Oratione *Fidelium* et consuetis duobus ultimis versiculis.

4° Per se intelligitur has preces, inde a ℣ *Anima ejus* omittendas esse in Commemoratione omnium fidelium defunctorum (3) et quoties totus ritus persolvitur pro omnibus defunctis (4).

Ut ex hisce adnotationibus luculenter apparet, nova editio, etiam quoad rubricas, in quamplurimis prioribus præstat. In unum enim collegit rubricas antea in Rituali, in Breviario, in Missali, in decretis, imo apud auctores dispersas; deinde manifestam indicat tenden-

---

(1) Nota discrimen cum iisdem versiculis in fine *officii* defunctorum: ibi dicuntur « semper in plurali numero » quia in officio hæ sunt preces pro omnibus defunctis, dum in fine absolutionis vel sepulturæ supplicationes pro omnibus defunctis incipiunt tantum ad vers. *Anima ejus et animæ omnium.*

(2) Objici hic forte posset in nova editione, ad finem sepulturæ (p. 16) hunc versiculum post ps. *De profundis* exprimi in singulari *Requiem æternam dona ei...* Suspicamur hoc esse mendum ex errore typographi vel inadvertentiæ, qualia inveniuntur in omnibus etiam recentissimis editionibus authenticis, et quale jam notavimus in nota p. 10 editionis Vaticanæ (suprà p. 635). Recentiores enim editiones Missalis pro defunctis pro eadem rubrica, in fine sepulturæ, dicunt: « *Requiem æternam, ut infra* » et expresse designant appendicem in qua ponitur ille versiculus in plurali.

(3) Cf. Rubrica in citata appendice, et decr. S. R. C. 2 Dec. 1684 (n. 1743, ad 7) 28 Julii 1832 (n. 2694) et 31 Aug. 1872 (n. 3267).

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 366.

tiam reducendi particulares rubricas *ad quasdam regulas generales* et inducendi valde optabilem quamdam *uniformitatem* spiritui et principiorum liturgiæ conformem et dignæ rubricarum observantiæ valde proficuam. Utinam etiam ad unicum textum reduxisset rubricas diversarum absolutionum quæ vix in aliquo absente corpore, discrepant, et addidisset rubricas pro absolutione super pannum nigrum.

Nota. Ut patet, cæremoniæ speciales pro diœcesi Brugensi, indulto pontificio 9 augusti 1897 approbatæ, nempe loculi aspersio, crucesignatio et terræ immissio, plenum servant vigorem. Possunt itaque illi ritus, folio quodam separato impressi, inseri in Nova editione. Huic folio possent addi etiam preces recitandæ in reditu ad sacristiam.

C. Callewaert.

Notæ Bibliographicæ

Pour l'Honnêteté Conjugale: I. *Les Devoirs de la Vie Conjugale,* par Son Em. le Cardinal Mercier. II. *De la Dépopulation par l'Infécondité voulue,* par le Dr Henri Desplats. III. *La Peur de l'enfant dans les classes dirigeantes* et Notes sur le Problème en général, par A. Vermeersch, S. J. Pag. 127, in-18°, Louvain, Fonteyn, 1910. Prix: fr. 1,25.

Le R. P. Vermeersch a eu l'heureuse idée de réunir en un petit volume les trois brochures les plus en vue qui ont paru sur la question de l'honnêteté conjugale: question d'un si haut intérêt et d'une si palpitante actualité.

La *Lettre Pastorale* de Son Eminence le Cardinal qui ouvre la série, est trop bien connue pour que nous ayons à la présenter à nos lecteurs: dès le début « cet acte apostolique, comme le dit le R. Père dans sa préface, eut un immense retentissement même au delà des étroites frontières de Belgique; il remua saintement bien des âmes, surprises et confondues de s'être laissé entraîner si loin des plus graves devoirs, et il marque, nous aimons à l'espérer, une date dans l'histoire morale de ce pays, celle d'une vigoureuse et triomphante déclaration de guerre à un vice à qui l'audace n'avait que trop réussi ».

La Conférence de Mr le Dr Desplats, qui fait suite au mandement du Cardinal, pose le problème sur le terrain médical: la dépopulation par l'infécondité voulue, c'est le titre suggestif du rapport lu par le savant Professeur de Lille à la Section de Médecine de la Société Scientifique de Bruxelles.

Tout d'abord le distingué conférencier invite son auditoire à constater avec lui, sur la foi de statistiques tristement éloquentes, les progrès inquiétants de la dépopulation, notamment en France; puis il en recherche la cause et prouve par voie d'exclusion que le phénomène de la diminution de la natalité est uniquement dû au calcul des parents et à leurs pratiques néo-malthusiennes. Il s'applique ensuite à déterminer la part de responsabilité qui revient au médecins oublieux de leurs devoirs, dont les théories malsaines et les funestes conseils ont contribué pour une large mesure à propager le mal.

La grande partie de son intéressante conférence est consacrée à décrire le rôle du médecin consciencieux et à montrer comment il est de son devoir de combattre les idées regnantes, notamment sur la nocuité de la grossesse et surtout des grossesses multiples, en leur opposant les données absolument contraires de la science sur l'opothérapie; comment il est de son devoir aussi de rappeler ses clients et clientes aux traditions religieuses et de leur inculquer les prescriptions de la vertu chrétienne.

En dernier lieu, last not least, vient la belle *Conférence de* l'infatigable

Père Vermeersch, présentée, de même que la précédente, à la Société Scientifique (1).

Le docte Père commence par réfuter les motifs d'ordre général, invoqués judis par Malthus, et reproduits, quoique de moins en moins, par les promoteurs du Neo-Malthusianisme. Quant aux mobiles personnels qui poussent les parents, et tout spécialement les parents appartenant aux classes dirigeantes, à restreindre, par des manœuvres criminelles, le nombre des enfants; ce n'est pas l'amour paternel qui les meut, ce n'est pas le souci de l'avenir ou de la bonne éducation des enfants, c'est l'égoisme qui les porte vers ces pratiques inavouables: la peur de l'enfant n'est pas altruiste, elle est égoiste. Voilà ce que le courageux polémiste n'hésite pas à proclamer avec une liberté de parole vraiment apostolique, mettant à nu, avec un remarquable talent d'analyse, les calculs intéressés de la vie mondaine,

Après avoir signalé la cause du mal, il s'attache à en découvrir le remède: sans négliger les améliorations d'ordre économique, qui pourraient être avantageusement introduites, la seule solution véritable est dans la renaissance chrétienne: « il faut rendre à la société la foi au devoir et l'énergie pour l'accomplir; il faut lui rendre cette foi et cette énergie avec la religion qui les inspirait; tout était édifié sur le Christ, c'est en Lui qu'il faut tout restaurer ».

A. De Smet.

Recitatio textus liturgici in Missa solemni comitante organo ed. A. Moortgat. Antwerpen, De vlaamsche muziekhandel, 1908, in-4°, 16 bl. Fr. 2,50.

Een zeer nuttig werk, dat ik met overtuiging aan alle zangbestuurders, orgelisten en kosters kan aanbevelen. Het reciteeren van den liturgischen tekst, d. i. hem *recto tono* of op éénen toon met orgelbegeleiding voordragen is het noodzakelijk middel om de kerkelijke voorschriften omtrent den liturgischen zang te onderhouden, als het te moeilijk valt al de gezangen der H. Mis onverkort uit te voeren. M. Moortgat stelt in zijne voorrede de regels vast eener goede recitatie en toont door menigvuldige voorbeelden hoe zij dient uitgevoerd en begeleid te worden.

Geestelijke Liederkrans. 1e Deel. 116 vlaamsche liederen en een bijvoegsel van 10 motetten, te verkrijgen bij den samensteller A. Moortgat, Kapelmeester te Hal. Met begeleiding frs 5, zonder begeleiding frs 1,50.

Geestelijke Liederkrans. 2e Deel. 82 liederen in 3 talen, vlaamsch, fransch en latijn en 10 motetten. Met begeleiding frs 5,00.

---

(1) Publiée d'abord séparément, la Conférence eut un si grand succès que quelques semaines suffirent pour en épuiser l'édition.

Het Kerkelijk zangboek voor iedereen, gevormd uit de 2 « Geestelijke liederkransen » verkrijgbaar bij den schrijver, 1908, F. 0,40.

133 vlaamsche gezangen ten gebruike van het christen volk. Voor de melodie en begeleiding wordt telkens verwezen naar de « Geestelijke liederkransen ».

Manuale cantus seu canticorum latini textus ex opere A. MOORTGAT, te bekomen bij den schrijver, 1908, 159 bl. F. 0,40.

Latijnsche uitgave van voormeld werk. Melodie en begeleiding uit beide « Geestelijke Liederkrans ». Ten onrecht spreekt Schrijver van een *liturgische* uitgave; vermits vele latijnsche gezangen hierin opgenomen, hoe keurig zij ook wezen, onder de eigenlijke liturgische plechtigheden niet mogen aangewend worden.

Kyriale seu Ordinarium Missæ juxta editionem Vaticanam. Uitgave op cijfermuziek, door E. H. COREMANS, Mechelen, Dessain.

A. DE MEESTER.

Noldin H., S. J. *Summa Theologiæ moralis: De principiis theologiæ moralis; De præceptis Dei et Ecclesiæ; De sexto præcepto et usu matrimonii* (ed. 10ª); *De Sacramentis; De pœnis ecclesiasticis.* — Edit. 7ª, 1908, Œniponte, Rauch (Pustet), Pr. 18,35 m.

Hujus operis sextam editionem jam commendabant *Collationes Brugenses*, t. XII, pp. 655 s. Haud multæ in posteriori hac editione fuerunt introductæ mutationes. (Brevis additur, in fine tract. de Sacramentis, interpretatio decreti *Ne Temere*). Dolendum auctorem eisdem quæstionibus in variis editionibus tractatis non eosdem assignare numeros marginales, sed hos continuo mutare pro numero variarum quæstionum quos hinc inde interponit; sic enim fit usus et citatio variarum editionum haud parum molestus.

Præcipuum hujus operis meritum præ aliis operibus manualibus circa universam theologiam moralem, in eo videtur consistere quod clare omnino et nitide disponuntur variæ quæstiones, ita ut magna præbeatur lectori facilitas hoc opus manuale expedite et in usu quotidiano adhibendi; cui facilitati non parum contulit executio typographica omnino accurata.

Quod ipsam doctrinam spectat, ea generatim talis est qualem invenire est in multis operibus generalibus hujus generis, in quibus nempe quæri nequit una alterave quæstio ex professo agitata et profundiori discussioni subjecta. Quare non raro studiosus lector abundantiora quædam optaret et argumenta etiam interdum solidiora. — Quod in specie attinet totam illam partem quæ inscribitur: *De præceptis Dei et Ecclesiæ*, et illam aliam: *De sexto præcepto et usu matrimonii*, non satis, ut videtur, ipsa principia fundamentalia exponuntur, nec semper perspicitur ratio intrinseca va-

riarum conclusionum. Quod ex ipso ordine a Noldin adoptato provenire videtur : ut plures enim moralistæ, sequitur ordinem præceptorum : virtutum theologicarum, decalogi, ecclesiæ, statuum particularium ; sic negligens ordinem virtutum quem sequebatur Doctor Angelicus ; has virtutes, ut ipse notat, n° 1°, considerat tantum eatenus quatenus eorum actus præcepti sunt, plenamque tractationem earum ad theologiam asceticam remittit, sicut alii ad dogmaticam ipsas remittunt ; aliquam tamen, sed insufficientem, talem tractationem exhibet de virtutibus in parte quæ *de principiis* nuncupatur. — In ordine ad scientificam rerum expositionem et intrinsecam, multo melius videtur non separare, sed arcte connectere ad invicem notionem virtutum et expositionem præceptorum ad ipsas pertinentium ; unde multo præstantior videtur modus procedendi a S. Thoma adhibitus : sic enim ex præmissa accurata notione virtutum facilius deducitur ipsa ratio intrinseca variorum præceptorum, malitiæque variorum peccatorum quibus violantur ; et præcavetur ne theologia moralis quasi simplex nomenclatura peccatorum fiat (1). Quod in specie notari potest pro illa parte — satis difficili — quæ agit de sexto præcepto et usu matrimonii. Huic parti cæteroquin multo frequentius applicari possent et deberent multa in theologia morali fundamentalia tradi solita.

A. VANDER HEEREN.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (2).

Chipier Eug. *La vie liturgique.* Paris, E. Vitte, 1908, 6e éd. In-12, XXII-434 p.

Frick C. *Logica.* Edit. 4a. Friburgi Br., Herder, 1908. In-12, 326 p. Mk. 2,80.

Gebeden en plechtigheden bij de Wijding van eenen Bisschop, uit het Roomsche Pontificale vertaald en beknopt verklaard. Mechelen, H. Dessain, 1909. In-16, 42 bl.

Dit handig boekje bevat niet alleen den vlaamschen maar ook den latijnschen tekst der gebeden. Bij een nieuwe uitgaaf zouden wij wenschen twee of drij bladzijden algemeene gedachten te zien bijvoegen over de beteekenis, de hoofdgedachten en groote indeelingen van het Ceremoniaal eener Bisschopwijding.

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, pp. 377 ss.

(2) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Gerson. *Traité du devoir de conduire les enfants à Jésus-Christ.* Trad. A. Saubin. (Collect. « Science et Religion » n. 531). Paris, Bloud et Cie, 64 p. F. 0,60.

Gredt J., *Elementa philosophiæ aristotelico-thomisticæ.* V. I: *Logica, philosophia naturalis,* 2a edit. Friburgi Br., Herder, 1909. In-8, xxv-496 p. Fr. 9,25.

Guibert J. *Les croyances religieuses et les sciences de la nature.* Paris, Beauchesne, 1909. In-12°, 320 p.

La vie et la légende de Saint Gwennolé, texte publié par P. Allier. (Collect. « Science et Religion » n. 530). Paris, Bloud et Cie, 64 p. F. 0,60.

S. Gwennolé est un saint de Bretagne, anachorète du VIe siècle. Une *Vita* composée au IXe siècle à la glorification de ce « saint et éminent père des moines » sert de base au charmant récit de P. Allier.

Lintelo J., S. J. *La Communion fréquente et quotidienne.* Tournai, Casterman, 1909. In-24, 64 p., F. 0,15.

Id. *Dagelijksche Communie en opvoeding.* Mechelen. P. Ryckmans, 1909. In-8, 80 bl., F. 0,70.

Lintelo J., S. J. en **Springer, E.**, S. J. *De dagelijksche Communie en de zielenzorg.* Mechelen, P. Ryckmans, 1909. In-8, 80 bl., F. 0,70.

Müller A., S. J. *La querelle des fondations charitables en Belgique.* (Publications de l'École des sciences politiques et sociales de l'Université de Louvain). Bruxelles, A. De Wit, 1909. In-8°, xvi-347 p. F. 5.

Nos in schola latine loquimur. Ars latine loqui pueris, amatoribus fautoribusque linguæ latinæ dedicata a D. Thoma Elsaesser, O. S. B. Roulers-Bruxelles, De Meester, 1909, viii-453 p. F. 4,50.

Les exercices de conversation sont instamment recommandés dans la méthodologie de l'enseignement du latin. Ils fortifient les connaissances acquises; ils sont un moyen très utile et très intéressant de répétition; ils apprennent aux élèves à exprimer leurs pensées en latin; ils préparent très efficacement les étudiants aux études de théologie. C'est pourquoi nous recommandons chaudement le livre de Dom Elsaesser. Au reste le succès de cet ouvrage, dont la première édition a été épuisée en trois années, est le garant de sa valeur. Nous exprimons le vœu que dans une troisième édition l'auteur ajoute, en guise d'introduction, quelques renseignements sur la méthodologie des exercices de conversation latine et tienne davantage compte du principe de la concentration, qui ramène tous les exercices oraux et écrits à la lecture des auteurs, centre des études classiques.

A. De Meester.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Consequenter ad principia in Resp. mensis Novembris propugnata, quæritur quænam adesse debeant requisita ut quis admittere possit librum Scripturæ qui speciem historiæ præ se fert, sive totaliter sive ex parte sensum proponere a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum (1).

II

Quæritur utrum operatio Dei in operante creato ponat *præmotionem physicam*.

III

Expone, addita probatione, quasnam species theologicas et morales contrahat

1/ delectatio morosa (2).

IV

2/ gaudium;

3/ desiderium (3).

V

Exposez brièvement le rôle joué par St Athanase dans la répression de l'Arianisme.

VI

Ex quanam materia conficienda sunt indumenta missæ; manipulum, stola et casula?

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. X, p. 635 s.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 576.

(3) *Ibid.*, p. 578.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* — Tractatus canonicus et theologicus. Brugis, Beyaert, 570 p. Fr. 6.

C. Callewaert. *Nouvelles recherches sur la chronologie médiévale en Flandre.* (Extrait des Annales de la Société d'Émulation de Bruges, 1909). Bruges, L. De Plancke, 1909. In-8, 56 p. Fr. 1.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Explica quomodo, salva inerrantia S. Scripturæ, hagiographi in iis quæ spectant disciplinas physicas seu scientias naturales, sequi potuerint externam apparentiam et communem loquendi modum in ea fundatum.*

R. In responso mensis præcedentis (suprà, p. 565 ss.) principia statuimus sequentia, quæ totam materiam de inerrantia S. Scripturæ regunt:

1° Omne *judicium* proprie dictum hagiographi necessariò est verum, quodcumque sit ejus objectum;

2° Auctor libri proprie dictum judicium eatenus tantùm profert, quatenus judicare *vult*, quæ voluntas ex ipso scripto, attentis omnibus, erui debet;

3° Ad dijudicandam quæstionem facti: « quænam in Scriptura occurrant talia judicia hagiographi », multùm juvat determinatio *generis litterarii* ab eo usurpati.

Quibus principiis præ oculis habitis, jam solvimus quæstionem propositam, ostendendo: I. Auctores inspiratos, in iis quæ spectant disciplinas physicas seu scientias naturales (1), revera secutos esse *externam apparentiam* et communem loquendi modum in ea fun-

(1) Petit circulus quidam cur quæstio de omnibus scientiis indiscriminatim non procedat? Respondetur: quia de aliis scientiis, uti historia, geographia etc. non omnino eadem est ratio ac de scientiis naturalibus, de quibus solis in rigore rei verificatur *sermo vulgaris juxta apparentias externas, sensibiles*. Sane ut de extensione inspirationis et de Scripturæ inerrantia æquum judicium feratur, methodus in variis disciplinis vigens tempore hagiographorum, præprimis consideranda venit, ut in Resp. mensis sequentis dicetur.

datum; II. Addendo *rationes* cur hoc modo locuti sint in scriptis inspiratis; III. Probando hunc loquendi modum *inerrantiæ S. Scripturæ non repugnare.*

I. Sacri scriptores in phænomenis quæ spectant ad scientias naturales, communem adhibent et vulgarem loquendi modum, in externis apparentiis fundatum. — Hoc factum post S. Augustinum et S. Thomam ità effert Leo XIII in Encyc. *Providentissimus* (1): « In consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura (2); » quare eos, potius quam explorationem naturæ recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quam ea primo proprieque efferantur quæ cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quæ sensibiliter apparent (3) » seu quæ Deus ipse, homines alloquens ad eorum captum significavit humano more ».

Juvat quædam phænomena naturalia indicare de quibus loquuntur hagiographi juxta ea quæ sensibus immediate apparent. Ita loquuntur de terra quasi absque motu in sua basi esset stabilita, ac porro quasi vicissitudines diei noctisque, non a motu terræ circa proprium axem (uti nunc scientifice constat), sed ab ortu, progressu et occasu solis, verbo, a reali ac diurno motu solis circa terram originem duceret (4); de luna loquun-

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 312, coll. p. 237 s.

(2) S. Aug., *De Gen. ad litt.*, II, 9, 20.

(3) *S. Theol.*, P. I, q. LXX, a. 1 ad 3, coll. q. LXVIII, a. 3, in c.

(4) Cf. *Jos.* **10**, 12-13 (videsis Resp. ad quæst. I mensis Novembris); *Eccle.*, **1**, 5 s.; *Job*, **9**, 7; *Ps.* XVIII, 6 s.; *Is.*, **38**, 8 coll. *IV Reg.*, **20**, 11; *Eccli*, **48**, 26.

tur (1) quasi esset luminare majus omnibus stellis (cum scientifice constet multas stellas esse lunâ longe majores); firmamentum describunt modo ut tentorium supra terram expansum (2), modo ut solidum tectum (3) super quod congregantur aquæ descensuræ quando « Deus aperit cataractas cœli », describunt terram (4) esse orbem (gall. *disque*) super aquas fundatam (5).

II. **Ratio** cur de phænomenis naturalibus modo vulgari, non autem modo scientifico locuti fuerint hagiographi facile intelligitur. a) Tempore enim quo scribebant, non erant proprie scientiæ naturales: hæ enim lento progressu evolverunt et in dies progrediuntur, ita ut intima rerum naturalium essentia nostro tempore nullatenus plane perspecta appareat. b) Neque voluit Deus sive Hebræis sive posterioribus hominibus institutiones astronomicas, geologicas, zoologicas, botanicas, ethnographicas etc. tradere. Finis Dei inspirantis contrà fuit docere veritates religiosas et morales: quæ secundum se ad salutis ordinem non spectant, nonnisi propter veritatem religiosam et moralem aptius tradendam inspirata existunt (6). Unde, cum Scripturæ nullatenus intendant docere scientias profanas, neque scriptæ existant pro solis doctis, summe conveniens erat ut de phænomenis, quorum intimam naturam penetrare ad scientias naturales pertinet, ipsæ non loquerentur secundum quod dicta phænomena sunt in se et objective,

(1) *Gen.*, **1**, 16.

(2) *Ps.*, CIII, 2; *Is.*, **40**, 22.

(3) *Gen.*, **1** 6; **7**, 11; **8**, 2; **9**, 6; *Ps.* CXLVIII, 4; *Job*, **37**, 18

(4) *Prov.*, **8**, 27, coll. *Ps.* CXXXVI, 6.

(5) Meritò observat Fonck, *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1907 p. 413 et 421 ss. non eodem modo ratiocinandum esse de *factis* a scientiis naturalibus desumptis in quibus jam non agitur de phænomeno quod sensibus mere apparet, sed de *facto reali* quod ab hagiographo *affirmatur* vel *negatur*, adeoque verum esse debet. Requiritur tamen ut factum ipsum vere affirmetur vel negetur ab auctore.

(6) Sunt tamen inspirata, sed in sensu ab hagiographo intento, quod quidam Auctores (verbis saltem) infitiari videntur.

sed secundum quod in sensuum externorum apprehensione esse videntur. c/ Imo, loquendi formulæ, ad certa scientiarum principia exactæ, non tantum ab antiquis non fuissent intellectæ, sed præterea neque nostris diebus communiter intelligerentur, neque inspecta humani sermonis indole (1) et diuturna consuetudine semper et ubique prostant. Hoc ita verum est, ut non tantum in sermone virorum doctorum, sed etiam in libris stricto sensu scientificis, variæ occurrant formulæ in externis rerum apparentiis fundatæ (2).

III. **Modus loquendi juxta externas apparentias nullatenus est erroneus,** adeoque inerrantiæ S. Scripturæ non repugnat.

Quod dictus loquendi modus non sit erroneus, patet ex eo quod formulæ phænomena, prout externe se manifestant, recte exprimunt. Error, formaliter non est in ideis seu in apprehensionibus, quæ a rebus, prout se sensibus nostris externe manifestant, subministrantur. Error ut diximus (suprà p. 566), in solo *judicio* reperitur, quo affirmatur *esse* id quod *non est* vel *non esse* id quod *est*.

Jamvero homines (sive indocti sive scientifici, adeoque (3) etiam hagiographi) utentes loquendi formulis in externa apparentia fundatis, *de sola externa apparentia judicium proferre intendunt;* ea solum enuntiant phæno-

---

(1) Pleraque nomina et vocabula, non a viris scientificis, sed a vulgo primitus rebus actionibusque imposita, non ad rerum intimam rationem, sed ad externam earum speciem exacta ut plurimum sunt. Ita locutionum formulæ ad conceptus notionesque exprimendos adhibitæ sæpe non objectivis rerum naturis, verùm externis tantummodo phænomenis consonæ esse inveniuntur. Ultima hujus rei ratio est, quod rerum essentias non intuitive cognoscamus, sed ex earum qualitatibus et operationibus externis primam earum acquirimus rationem, ultra quam rudes non procedunt, ac juxta quam etiam suas loquendi formulas effingunt, ac lingua vulgaris, communis (germ. *Umgangsprache*) pedetentim enata est. Cf. Crets, *De divina Bibliorum inspiratione*, Lovanii 1886, p. 312.

(2) Quod de *tractatibus astronomicis* præclare ostendit J. G. Hagen, *Zeitschrift für kathol. Theol.*, 1907, p. 750 ss.

(3) Vide supra, p. 568 s.

mena omnibus nota et vera, quæ sui populares iisdem verbis significare solent.

Ita quando nos ipsi (de motu terræ edocti, vel etiam ignari) loquimur de solis ortu et occasu, nihil aliud asserere intendimus quam perceptionem sensuum, in apparentia fundatam, quatenus oculo nostro sol videtur oriri et occumbere. Hujusmodi locutio plane non est erronea (1). Ergo neque erroneæ sunt hujusmodi locutiones, ubi in Scripturis occurrunt.

Error tunc tantum adesset, si intellectus ex perceptione sensuum hoc erueret judicium: « Cùm sol singulo mane oculis videatur oriens, et singulo vespere occumbens appareat, revera objective singulo die *movetur* seu volvitur circa terram ». Tale autem categoricum judicium erroneum in vulgari locutione: « sol oritur, sol occidit » nullatenus continetur (2). Ergo nullus adest error *in Scriptura*.

Objicitur. Dicet aliquis (3) hujusmodi judicium subjective erroneum habebat in mente hagiographus, cum imperfectas, mancas imo erroneas coævorum doctrinas de rebus physicis teneret: probari enim non potest Deum supernaturali modo veram rerum naturalium cognitionem hagiographo subministrasse, neque hujusmodi revelatio necessaria vel utilis apparet. Ergo, loquendo juxta apparentias hagiographus judicium objective erroneum proponit.

R. Concesso antecedente, negamus consequens (et consequentiam) ab Auctoribus quibusdam inde deductum, nempe *judicia* hagiographi *in Scripturis* de rebus naturæ posse esse erronea, adeoque non esse inspirata.

Profectò negare nolumus judicium subjective erroneum, apud hagiographos cum vulgari locutione in externis appa-

---

(1) Nonne absque errore ullo in tractatibus geographicis, etiam ubi *notiones cosmologiæ*(!) traduntur, e. g. communiter definitur *oriens*: « le point de l'horizon où le soleil *se lève* »?

(2) Imo, in quibusdam casibus hagiographus de ipsis apparentiis nullum profert judicium, sed referendo res vel facta, ea refert secundum apparentiam et secundum notiones quas habitualiter in mente habebat de iis rebus, quin proprie judicium de apparentiis in Scriptura exprimatur.

(3) Uti ad rem observavit circulus quidam Brugensis.

rentiis fundata, sæpius fuisse conjunctum. Verùm hoc judicium mentis internum *in vulgari locutione hagiographi* seu *in Scriptura* minime proponitur. Tale judicium internum est independens a communi locutione vulgari, qua hagiographi solam apparentiam externam, sensibilem exprimunt, minime solliciti lectores docere modum quo dicta phænomena objective eveniant. Aliud est loqui juxta apparentias, et concomitanter interne judicium erroneum circa intrinsecam phænomeni naturam habere; aliud verò hunc subjectivum errorem sermone isto vulgari directe adstruere, mentique lectoris vel auditoris directe ingerere. Non quæritur utrum suas « locutiones juxta apparentias » erronee intelligerent hagiographi, verùm utrum dictæ *locutiones* erroneæ *sint*.

Locutiones scientificæ seu ad principia scientiarum rigorose exactæ nonnisi apud viros scientiarum peritos, et quidem in solis lectionibus vel tractatibus scientificis (1) occurrunt. Quis autem astrologum extra cathedram vel tractatum scientificum, in vita communi de cœli phænomenis sermone vulgari et juxta apparentias loquentem erroris insimulabit, etiamsi dictus loquendi modus, in propria significatione acceptus, apud audientem falsam opinionem parere possit? Profectò nullus unquam, quia loquens juxta apparentias *judicium* de intima phænomeni natura proferre *non vult*. Cur autem Scripturæ non liceret quod licet omnibus, etiam viris scientificis? (2)

A. Camerlynck.

(1) Quamvis locutio vulgaris etiam in his adjunctis valde frequens reperiatur, e. g. in Astronomia, ut ostendit Hagen, *l. c.*

(2) Præter laudatos auctores conferri possunt e. g.: Lagrange, *La methode historique surtout à propos de l'A. T.*, Paris 1903, p. 104 ss. qui minus accurate loquitur, at quem forsan etiam non omnino recte, et sane nimis nervose insectatur Delattre, *Autour de la question biblique*, Liège 1904, p. 40 ss.; De San, *Tractatus de divina Traditione et Scriptura*, Brugis, 1903, p. 293 s.; Mangenot apud Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible* (Paris), Art. *Inspiration*; Van Noort, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina*, Amstelodami 1906, p. 61 s.; Hoepfl, *Das Buch der Buecher*, Freiburg i. B. 1904, p. 150; Pesch, *De Inspiratione S. Scripturæ*, Friburgi B. 1906, p. 511 ss.; Ills ac Revs Waffelaert, apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 237 ss.; Brandi, *La questione biblica e l'enciclica « Providentissimus Deus »*, Roma 1894, p. 73 ss.; Zapletal, *Hermeneutica biblica*, Friburgi H. 1908, p. 122 ss.; Landrieux, *L'histoire et les histoires dans la Bible*, Paris 1907, p. 20 ss.; Brucker, *Questions actuelles d'Ecriture Sainte*, Paris 1895; *L'Eglise et la Critique biblique*, Paris 1908, p. 55.

II

Q. *An et cur in humana natura sit* tendentia *ad ordinem supernaturalem.*

R. 1. Vocabulum *tendentia* idem significat ac *appetitus:* tendere ad aliquid = ad + petere aliquid.

In aliqua natura, tendentia seu appetitus est *positiva ordinatio* ad aliquam perfectionem, est aliqua *exigentia* ad aliquam formam vel quasi-formam, quæ se habet ut actus ad potentiam correspondentem: ita ut si deficiat ille actus, seu illa perfectio, natura sit carens aliqua perfectione ipsi debita.

Porro distinguitur appetitus *innatus* et appetitus *elicitus* (1) *Innatus* appetitus nihil aliud est quam ipsa *entitativa proportio* seu ordinatio naturæ ad suum *proprium* bonum, est ordo transcendentalis potentiæ ad actum. Ita omnis substantia appetit *esse;* omnis facultas operativa appetit propriam operationem et ejusdem objectum. « Unaquæque potentia, ait S. Thomas, appetit suum objectum appetitu naturali » (2). — Inde distinguitur appetitus innatus a *potentia obedientiali:* distinguitur non realiter, sed formaliter, quatenus ratio formaliter significata per terminum « appetitus innatus » est diversa a ratione significata per terminum: « potentia obedientialis »: hæc enim nihil aliud dicit quam meram in subjecto capacitatem formæ vel quasi-formæ accipiendæ a Deo, quatenus est omnipotens et proinde quatenus efficere potest omne quod non intrinsece pugnat: ita v. gr. homo ægrotus est in potentia obedientiali ad recipiendam miraculose sanitatem; iterum intellectus humanus est in potentia obedientiali ad recipiendam scientiam infusam; etiam ad recipiendum infusum habitum fidei. Igitur potentia obedientialis

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii; 1900, n. 288; Mattiussi, *Il veleno Kanziano,* Monza, 1907, p. 149.

(2) *De Veritate,* Q. XXII, a. 3 ad 5. Cf. I, Q. LXXX, a. 1.

non dicit *proportionem* subjecti ad *proprium* bonum, h. e. ad bonum ipsi debitum, sive ut *simpliciter* sit, sive ut *bene* sit.

Elicitus appetitus est *operatio*, elicita ab aliqua facultate operativa, et *consequens ad apprehensionem boni:* inde in subjecto potest esse appetitus elicitus ad omne id quod ut bonum apprehenditur ab eodem subjecto (1).

Elicitus appetitus est operatio quæ procedit a facultate *appetitiva* (quæ etiam vocatur appetitus) quæ realiter distinguitur a facultate *cognoscitiva*. Porro in homine datur duplex genus facultatis cognoscendi, nempe cognoscendi *sensibiliter* et cognoscendi *intellectualiter;* inde duplex genus virtutis *appetitiva*, nempe *sensibilis* et *rationalis* (2). — Ulterius in appetitu rationali seu in voluntate distinguitur duplex desiderium: *efficax* et *inefficax*. *Efficax* dicitur quando correspondet alicui veræ indigentiæ subjecti volentis, ita ut si non obtinetur objectum talis desiderii, subjectum volens remanet imperfectum, carens aliqua perfectione debita. Et efficax dicitur tum quatenus est proportionatum objecto, ita ut vere moveat subjectum ad prosecutionem

(1) S. Thomas differentiam inter appetitum *innatum* et *elicitum* bene exponit his verbis, in quibus tamen loquitur tantum de appetitu elicito *sensitivo*, quem vocat appetitum *animalem:* « Appetitus naturalis est inclinatio cujuslibet rei in aliquid ex natura sua. Unde *naturali* appetitu (his verbis designatur appetitus *innatus*) quælibet potentia desiderat sibi conveniens. Sed appetitus *animalis* (h. e. elicitus) consequitur formam *apprehensam:* et ad hujusmodi appetitum requiritur specialis animæ potentia, et non sufficit sola apprehensio. Res enim appetitur, prout est in sua natura. Non est autem secundum suam naturam in virtute apprehensiva, sed secundum suam similitudinem. Unde patet quod visus appetit naturaliter (h. e. appetitu *innato*) visibile solùm ad suum actum, scilicet ad videndum. Animal autem appetit *rem* visam per vim appetitivam (ex qua elicitur *actio* appetendi seu appetitus elicitus) non solum ad videndum sed ad alios usus. Si autem non indigeret anima rebus perceptis a sensu nisi propter actiones sensuum, scilicet ut eas sentiret, non oporteret appetitum ponere speciale genus inter potentias animæ, quia sufficeret appetitus naturalis (h. e. innatus) potentiarum » I, Q. LXXVIII, a. 1, ad 3.

(2) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 380, 444.

illius boni, tum etiam quatenus, si non obtinet objectum, producit veram tristitiam in subjecto. *Inefficax* dicitur quando ejus objectum, quod quidem ut bonum apprehenditur, non tamen cognoscitur ut bonum proportionatum subjecto, sed cognoscitur ut bonum quod est extra ordinem perfectionis proportionatæ subjecto, vel est superiori naturæ proprium. V. gr. inefficax est desiderium quo homo vellet habere alas ad volandum: quia talis modus se movendi localiter non est proportionatum homini; inefficax etiam est desiderium quo homo vellet intelligere eadem perfectione qua angeli intelligunt: de absentia utriusque boni nunquam rationabiliter poterit homo tristari (1).

2. Ex dictis facile intelligentur asserta sequentia quibus propositæ quæstioni respondetur:

a/ *In humana natura nequit esse appetitus* INNATUS *ad ordinem supernaturalem:* etenim ordo supernaturalis est complexus bonorum quæ sunt positive indebita omni substantiæ finitæ, et ad quæ bona non datur, in substantia finita, positiva proportio vel vera exigentia. Hoc patet ex *definitione* entis supernaturalis. — Quodsi quis contenderet bona illa quæ nunc, in Ecclesia catholica, ut supernaturalia habentur, esse positive proportionata humanæ naturæ et innato ejusdem appetitui vel energiæ correspondentia, hic propugnaret hæresim (vel saltem errorem) olim damnatam in Baio (2).

b/ *In humana natura non potest esse appetitus* ELICITUS *(seu desiderium)* EFFICAX *ad ordinem supernaturalem.* Et sane, homo nequit efficaciter desiderare aliquod bonum ad quod cognoscit se non esse proportionatum seu ordinatum ex natura sua: sicut homo nequit efficaciter desiderare habere alas ad volandum, ita nec habere visionem Dei intuitivam.

(1) Ita MATTIUSSI, *o. c.*, p. 156. Cf. PÈGUES, *Commentaire littéral de la Somme théologique de S. Thomas*, t. IV, *Traité des Anges*, Toulouse, 1908, p. 522.

(2) Cf. DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, Freiburg i. Br., 1908, n. 1021, 1024; MAUPRÉAUX, in *Revue Augustinienne*, t. XIV, p. 106.

c/ *In humana natura, saltem supposita revelatione, potest naturaliter oriri appetitus elicitus* INEFFICAX *ad ordinem supernaturalem vel ad aliquod bonum supernaturale* (1). Etenim homo potest desiderare, saltem inefficaciter, omne quod ut bonum apprehendit. Supponamus hominem, non adhærentem fidei catholicæ, sed naturali rationis lumine persuasum habentem quod Deus existit et quod in Ejusdem possessione per intellectum consistit vera hominis felicitas. Si talis homo cognoscit catholicos credere humanam beatitudinem, in præsenti Providentiæ ordine, consistere in possessione Dei per *intuitivam visionem essentiæ Dei*, poterit ille homo *naturaliter* desiderare ut gaudeat aliquando illa perfectissima Dei cognitione : poterit nempe sibi dicere : optimum mihi esset intuitive videre Deum et vellem ut ita foret; sed in ipso ordine rationis remanens, deberet logice dicere sibi : talis cognitio non est proportionata intellectui humano et proinde naturale desiderium meum possidendi Deum quiescet in possessione Dei minus perfecta, in aliqua cognitione quæ plene *correspondet ipsi indoli intellectus humani* (2). Inefficax igitur est ille appetitus naturalis elicitus ad visionem beatificam, eo vel magis quod homo *solo rationis lumine* nunquam poterit certo cognoscere ad hunc finem, sc. ad visionem beatificam, de facto a Deo ordinari homines, nec poterit ejusdem possibilitatem *positive* demonstrare.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 437, nota, ubi habetur textus S. THOMÆ, (*De virtutibus in communi*, a. 10) cum commentario ILLmi AC REVmi WAFFELAERT.

(2) Cf. PÈGUES, *o. c.*, t. I, *Traité de Dieu*, p. 319. — Specialis quandoque movetur difficultas ex responsione S. Thomæ, I, Q. XII, a. 1 : non possumus hic exponere illam quæstionem. Duo tantum notemus : a/ S. Thomas non intendit ipsum *factum destinationis* hominis ad visionem beatificam demonstrare ex naturali desiderio videndi in essentia primam causam ; b/ hæc visio est, secundum S. Thomam, omnino supernaturalis. Cf. S. THOMAS, *l. c.*, a. 4 et 5 ; MATTIUSSI, *o. c.*, p. 151 ss. ; PÈGUES, *o. c.*, t. I, p. 317 ss ; HUGUENY, in *Revue thomiste*, 1905, t. XIII, p. 29 ss.

Patet etiam illum appetitum nihil aliud esse quam *actionem* VOLUNTATIS *consequentem ad apprehensionem intellectivam* boni : non existit in homine aliqua facultas operativa, a voluntate distincta, qua ad ipsum Deum homo immediate tendat, vel ad res religiosas : ad bonum omne immateriale, sive sit perfectio physica, ut scientia, sive proprie *moralis*, ut religio subjective spectata, tendit homo per *voluntatis* appetitum.

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Titius et Titia, die 1ª Januarii 1908, Caius vero et Caia, die 1ª Januarii 1909, sibi mutuò oralem fidem dederunt de ineundo matrimonio. Quamnam obligationem inde contraxit : 1º Titius, respectu Titiæ ; 2º Caius, respectu Caiæ ?*

R. **Ad I.**

Titius contraxit, respectu Titiæ, *triplicem obligationem :*

1º obligationem *gravem justitiæ matrimonium cum ea contrahendi congruo tempore,* juxta dicta et latius exposita apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 692 ss. (1)

2º obligationem, priori nitentem, servandi *fidelitatem sponsalitiam*, mutuam nempe agendi amorosam conversationem, juxta adjuncta et mores receptos, exclusa omni procatione cum tertia persona intuitu matrimonii, etiam specietenus, instituenda.

3º obligationem, quæ etiam sponte sua ex prima derivatur (2), ut sponsus seipsum *non reddat ad matrimonium ineptum* (puta ex impotentia), vel notabiliter deteriorem, defectum voluntariè contrahendo, quo notabiliter vilescat in ordine ad nuptias promissas ineundas.

(1) Apud MARTÈNE, *De Antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Rothomagi, 1700, l. I, P. 2ª, p. 632, 639, 643, notatur spatium, quod olim solebat intercedere inter sponsalia et matrimonium, esse 40 dierum.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 694.

Quæ triplex obligatio, et signanter prima, urget Titium tum in foro interno, tum in foro externo ecclesiastico (1), cum, tempore quo fides sponsalitia fuerit data in casu, nulla extiterit dispositio, neque in lege naturæ neque in lege positiva communi (2), determinatam formam exigens pro sponsalibus, vel sponsalia oretenus contracta invalidans: unde posset in foro Ecclesiæ cogi Titius, etiam censuris (3), ad illas descriptas obligationes exequendas et in specie ad matrimonium ineundum cum Titia.

Ad II^{m}.

A. Certum est quod Caius nullam respectu Caiæ contraxerit obligationem *in foro externo;* et ita parochus non debet rationem habere fidei inter Caium et Caiam datæ, nec Caium compellere potest ut Caiæ nubat, vel eum prohibere a tertia persona ducenda.

Ratio est quod, vi Decreti *Ne Temere, inde a Paschate anni 1908 vim habentis*, sub art. XI, « ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quæ contracta fuerint per *scripturam* subsignatam a

---

(1) Quod spectat forum *civile,* nulla in Codice Belgico agnoscitur sponsalibus vis obligandi, ac imo promissiones matrimonii censentur juridicè nullæ, utpote quæ nocent libertati matrimonii. Potest tamen, vi art. 1382 s., esse locus reparationi damni ex parte illius qui fidem fregerit. Cf. LAFOURCADE, *Etude historique des Fiançailles,* Bordeaux, 1902, pp. 199-215 et 231 ss.; PLANIOL, *Traité élémentaire de Droit Civil,* Paris, 1908, I, n. 789 s. Circa disciplinam alibi vigentem, cf. *ibidem,* p. 216 ss.; SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes,* Gratz, 1898, par. 110, p. 140 ss.; in specie pro Germania cf. *Rev. eccl. de Metz,* 1900, p. 25 s.; CRÉTINON, *L'Organisation de la Famille dans le nouveau Code Allemand,* apud *Réforme Sociale,* 1901, p. 160 s.

(2) Nimirum sub disciplina Decreto *Ne Temere* prævia, sub qua disciplina fides mutuò est data inter Titium et Titiam, sponsalia valida coram jure naturæ valida erant etiam coram jure communi Ecclesiæ: cui tamen juri derogationes particulares erant inductæ in Hispania et in America Latina, quæ régiones nunc temporis novæ disciplinæ sunt obnoxiæ.

(3) Jus illud *etiam censuris* sponsos infideles compellendi agnoscitur judici ecclesiastico in c. 10, X, IV, 1, necnon in aliis decisionibus S. Sedis; hujus tamen juris exercitium variis temperamentis est moderandum, quatenus, inter alia, a censuris est abstinendum respectu mulierum, ad easque cum viris nonnisi cautè et rarò est recurrendum.

partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus » : invalida proinde habentur sponsalia, ut in casu, *oraliter* contracta *die 1° Januarii 1909* (1). Porro hæc dispositio juris irritans, si dubitari possit utrum attingat contractus valorem ejusque effectus ipsi ex jure naturali et in foro conscientiæ obtingentes (de qua re sub B), ad minus sponsalibus non scriptis omnem valorem et efficaciam aufert *in foro externo*, seu coram foro Ecclesiæ.

B. Quod spectat valorem sponsalium oralium et obligationem ex eis orientem *in foro interno:*

1° *theoreticè* non immeritò *dubitatur* utrum Ecclesia voluerit a sponsalibus, extra formam Decreti *Ne Temere* celebrandis, non tantum effectus canonicos auferre, sed etiam nativam suam efficaciam coram jure naturæ et conscientia (2).

Argumenta pro et contra breviter indicavimus apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 55 s.; plerique autem Auctores favent sententiæ absolutam nullitatem hujusmodi sponsalibus asserenti (3).

---

(1) Supponitur agi in casu de sponsalibus initis inter partes quarum alterutra saltem est catholica Latina: ad sponsalia namque celebranda inter personas quarum utraque est acatholica vel ritui orientali addicta non extenditur nova disciplina.

(2) Profectò agnoscenda est Ecclesiæ, cui competit regimen in sponsalia, potestas irritandi sponsalia *absolutè et simpliciter*, ablato ab ipsis omni valore in conscientia. Quod enim potest pro ipso matrimonio, a fortiori id valet pro sponsalibus.

(3) Ita R. P. VERMEERSCH, *De Forma Sponsalium ac Matrimonii*, ed. 4ª, n. 23; CARD. GENNARI, *Brevi commento...*, p. 19 s.; OJETTI, *In Jus Ante-Pianum et Pianum*, n. 49; DE BECKER, *Legislatio Nova*, p. 20; BESSON, apud *N. R. th.*, 1907, p. 613 ss.; CHOUPIN, *Les Fiançailles et le Mariage*, n. 8 ss.; HIZETTE, *Les Fiançailles et le Mariage*, p. 18; ALBERTI, *Commentarium...*, p. 8; DOMAICA, *Decreti Ne Temere... commentarius*, p. 31; *Ned. Kath. Stemmen*, 1907, p. 330; ARENDT, apud *Anal. eccles.*, 1908, p. 256 s.

Contrà potius valorem et efficaciam dictorum sponsalium vindicant BOUDINHON, *Le Mariage et les Fiançailles*, n. 36; HEINER, *Das Neue Verlobungs-und Eheschliessungsrecht*, p. 39 s.; favet etiam LEITNER, *Die Verlobungs-und Eheschliessungsform*, p. 25 s. NOLDIN, *Decretum de Sponsalibus et Matrimonio*, n. 6, et, post ipsum, KARST, *Kommentar...*, p. 19, in nota, agnoscunt illis sponsalibus efficaciam in foro interno, sed illogicè eam restringunt ad obligationem ex mera *fidelitate*.

2° *practice*, principia applicando probabilismi, obligatio illa triplex de qua suprà dubia censetur nulla, nec adeo potest, in præsenti controversiæ statu, urgeri in foro conscientiæ.

Nota. Dispositiones Decreti *Ne Temere* spectant sponsalia dumtaxat, nec adeo videntur applicanda dicta sub II promissioni matrimonii non sponsalitiæ, quæ v. gr. procedit ab una tantùm parte, altera parte acceptante quidem sed non repromittente : talis promissio servat, ut opinamur, nativam suam efficaciam (1).

IV

Q. *Indica varias dispositiones* juris diœcesani Brugensis *circa proclamationes antenuptiales.*

R. I. Circa **locum** :

1° Statuitur quod banna proclamari debent, præterquam in parochia propria nupturientium, etiam in parochiis *quas recenter deseruerint*, i. e. infra spatium sex mensium (2).

Ad cujus statuti rectum intellectum juvat observare, juxta notata apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 24 s., illud huic tantùm applicari hypothesi qua locus fuerit derelictus *facto et jure :* non afficit nempe a/ casum quo filius vel filia domicilium paternum deseruerit *facto*, illud autem conservaverit *jure:* tunc enim ille locus manet parochia propria ratione domicilii paterni ; neque b/ casum quo aliquis recenter mutaverit *solum domicilium juris*, per renuntiationem domicilio paterno, vel per recessum parentum a parochia in qua retinuerat domicilium paternum, non autem habitabat facto.

2° « Si vir et mulier sint *diversæ parochiæ*, in *utraque*

(1) In hunc sensum scripserunt VERMEERSCH, *o. c.*, n. 28; CARD. GENNARI, *l. c.* ; OJETTI, *o. c.*, n. 50; ALBERTI, *l. c.* : CHOUPIN, *o. c.*, n. 6 ; HIZETTE, *l. c.* . ARENDT, *l. c.* Contrarium vero opinatur DE BECKER, *l. c.*

(2) *Statuta Diœc. Brug.*, (ed. 1890). P. II. Tit. II, art. 4. par. 3. p. 144 ; *Pastorale diœc. Brug.*, p. 123.

parochia fiant denuntiationes » (1) : quæ dispositio merè exhibet statutum juris communis, urgentis ut in propria cujuscumque sponsi parochia matrimonium denuntietur.

II. Circa **frequentiam** :

1° Vult jus diœcesanum ut banna, positis ponendis, proclamanda in parochia recenter deserta, *semel* proclamentur (2).

2° Quod spectat *iterationem* bannorum, quando nempe post proclamationes rite factas matrimonium differri contingat : « ubi... antiquiores fuerint tribus mensibus, novæ proclamationes *semel* fieri debebunt ;... si antiquiores anno fuerint, *ter* fieri debent » (3).

III. Circa **tempus** :

1° Denuntiationes antenuptiales possunt fieri non tantùm in diebus festivis strictè dictis, seu in dominicis et festis de præcepto, sed etiam in festis *abrogatis*, « modò in illis diebus sufficiens detur populi ad ecclesiam concursus » (4).

2° Banna proclamari possunt, præterquam infra missarum solemnia, seu sub summo sacro, etiam « sub concione, aut alioqui sub frequenti populi conventu », v. gr. tempore vesperarum (5).

IV. Circa **dispensationes** in bannis :

1° *Decani* habent « facultatem dispensandi, ob rationes canonicas (6), consuetis inhærendo formulis, cum

(1) *Liber Manualis*, ed. 1900, p. 189. *Pastorale*, p. 123.

(2) *Statuta diœc.*, l. c.

(3) *Ibidem*, p. 143 s.

(4) *Pastorale*, p. 122.

(5) Juxta Concilium Tridentinum, in decreto *Tametsi*, proclamandum est matrimonium *infra missarum solemnia* ; sed refertur, apud Gasparri, *Tractatus Canonic. de Matrimonio*, I, n. 170, responsum S. C. C., diei 25 Oct. 1580, permittens « ex venia Ordinarii fieri posse publicationes etiam tempore vespertini officii cum cantu celebrati, dummodò frequens populi concursus verificetur ».

(6) Appositè memorat Statutum diœcesanum *necessitatem causæ canonicæ* : in qua quidem dijudicanda, si non est nimia severitate utendum, etiam non nimiæ facilitati est indulgendum. Plerumque nimirum alium prætextum non habent nupturientes ad sollicitandam dispensationem, quam ut

incolis sui districtus, *in uno et in duplici banno antenuptiali* » (1).

2° Cum, juxta *Statuta diœcesana*, p. 145, matrimonium sit celebrandum coram parocho sponsæ (2), sequitur ipsius etiam esse procurare dispensationem in bannis. Quodsi « nupturientes sint *diversorum districtuum*, dispensatio petenda est *a solo Decano sponsæ* (3).

V. Circa varia:

1° Quando vir et mulier sunt diversæ parochiæ, unus parochus non potest ad bannorum proclamationem procedere « nisi ex alterius parochi testimonio didicerit nihil obstare » (4).

Nimirum, juxta usum in diœcesi receptum, parochus sponsi monebit parochum sponsæ, coram quo matrimonium est celebrandum, de statu libero sui parochiani (5): quo nuntio accepto, parochus sponsæ, postquam hanc rite examinaverit, et nulli impedimento obnoxiam reperierit, invitat parochum sponsi ad proclamandos nupturientes (6), et ex sua parte ad publicationes procedit.

---

in hoc sequantur, ex mera vanitate, exemplum divitum et nobilium, quibus solent banna ex parte remitti. Sufficeret autem sponsos altioris conditionis ad hoc adducere ut sinant matrimonium suum, ad normam juris, ter proclamari: eo ipso, quemadmodum laudanda experientia jam constat, brevi recedet abnormis ille usus absque legitima causa dispensationem sollicitandi. Hanc causæ canonicæ necessitatem opportunè urget Episc. Passaviensis in nuperrimo decreto, relato apud *Archiv. f. k. Kirchenrecht*, 1909, p. 739 s.

(1) *Statuta*, p. 67, coll. p. 68, ubi notatur: mulcta pro his dispensationibus solvenda, erit duorum francorum cum dimidio pro singulis bannis »; additur dispensationes esse describendas in registro.

(2) Juxta Decretum *Ne Temere*, art. V, par. 5ª, suadetur, potius quam stricte præcipitur, matrimonii celebratio coram parocho sponsæ.

(3) *Statuta*, p. 68.

(4) *Liber Man.*, p. 189.

(5) Ad hunc finem mittatur schedula hac vel simili forma: Rᵉ Dⁿᵉ Pastor, — Tutò denuntiari potest, quantum ad me spectat, matrimonium N. N. parochiani mei cum N. N., una ex tuis.

(6) En formulam: Rᵉ Dⁿᵉ Pastor, — Digneris matrimonium N. N. parochiani tui cum N. N., parochiana mea, ad tramites juris, publice proclamare et rescribenda rescribere.

2° Quoties dispensatione Romana opus est, differantur proclamationes bannorum donec dispensatio *fulminata* fuerit (1).

3° Dum ex jure communi potest, post factas denuntiationes (2), illicò ad nuptiarum celebrationem procedi, statuitur a jure diœcesano « ut *dies saltem unus intermedius* sit inter ultimam proclamationem bannorum et celebrationem matrimonii » (3), exceptione facta pro *operariis et pauperibus*, quorum matrimonia, si ter proclamata fuerunt, celebrari possunt feriis secundis, non servata die intermedia (4).

4° Circa *honoraria* ex bannorum proclamationibus percipienda, existunt quædam ordinationes diœcesanæ, nempe: nulla posse peti honoraria quando semel iterantur proclamationes, utpote tribus mensibus antiquiores et anno recentiores; quod si anno antiquiores fuerint, honoraria consueta pro eis peti possunt (5). « Dum autem banna proclamantur in parochia ubi neuter desponsatorum habitat, non exigatur, ratione proclamationis et testimonii desuper expediti, ultra francum cum dimidio; a pauperibus vero nihil prorsus exigatur (6).

A. De Smet.

---

(1) *Lib. Man.*, p. 190.

(2) Supponitur publicationes esse factas ac nullum innotuisse impedimentum: de cujus impedimenti absentia monendus est parochus sponsæ a parocho sponsi, in hunc sensum rescribentes: « N. N. parochianus meus et N. N. parochiana tua in ecclesia mea ter (vel semel aut bis, cum dispensatione in 2° et 3°, aut in 3°) proclamati sunt, et nullum innotuit impedimentum. Quare ad eorum matrimonium, quantum me attinet, tutò procedi potest ».

(3) *Pastorale*, p. 67, in nota.

(4) *Statuta*, p. 67, quo loco additur *Decanos* habere facultatem « dispensandi cum divitibus in die intermedia..., quando necesse est aut expedit, dummodò dispensatio secundi et tertii banni non fuerit concessa ».

(5) *Ibidem*, p. 143 s.

(6) *Ibidem*, p. 144 s.

V

Q. *Résumez l'hérésie arienne, telle qu'elle apparaît dans sa période originaire, (avant le Concile de Nicée), et indiquez brièvement ses attaches avec les tendances doctrinales antérieures.*

R. I. La doctrine hétérodoxe d'Arius, telle qu'elle nous apparaît dans ses propres écrits et ceux de ses premiers partisans et adversaires (1), niait directement la *coéternité*, la *consubstantialité* et la *divinité* proprement

(1) Les **Sources** principales pour connaître la doctrine Arienne dans sa période primitive sont: 1/ les écrits d'Arius: a/ sa lettre à Eusèbe de Nicomédie, conservée par Saint Epiphane, *Hæv.* LXIX, 6 (*Patrologie Grecque de Migne*, t. XLII), b/ sa lettre à son évêque Alexandre, conservée par Saint Athanase, *De Synodis*, 16 (*P. G.*, t. XXVI), c/ les fragments de la *Thalie* et autres citations textuelles reproduits par Saint Athanase surtout dans ses *Discours contre les Ariens* (*P. G.* t. XXVI). La Θάλεια, c'est-à-dire le Banquet fut, à ce qu'il paraît, un ouvrage composé partie en prose, partie en vers; Arius choisit cette forme légère pour familiariser les masses avec ses doctrines; 2/ les écrits de ses premiers partisans, voir BARDENHEWER, *Patrologie*, Freib. i/Br. 1909, p. 209; 3/ les exposés de la doctrine d'Arius faits par ses premiers opposants, notamment par saint Alexandre, *Epistula encyclica*, conservée par Socrate *Hist. eccl.*, I, 6 (*P. G.* XVIII), Saint Athanase ouvr. cités, etc.; 4/ enfin les renseignements fournis par les historiens Socrate, saint Epiphane, Sozomène, Philostorgue etc.

Les **Travaux** sont très nombreux; voir bibliographie très abondante dans HÉFÉLÉ, *Histoire des Conciles*... Nouv. trad. française par un bénédictin, Paris 1907, t. I, p. 349-52: On doit citer parmi les plus récents et les plus utiles: 1/ **Ouvrages généraux**: HÉFÉLÉ, *o. c.*, HERGENRÖTHER-KIRSCH, *Handbuch der Kirchengeschichte*, I vol., Fribourg 1902; DUCHESNE, *Hist. ancienne de l'Eglise*, t. II, Paris, 1906, p. 125 ss.; TIXERONT, *Histoire des dogmes*, t. II, Paris, 1909; A. HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, t. II, Frib.-en-Br. 1894; SCHWANE, *Hist. des dogmes*, trad, Belet-Degert, t. I-II, Paris, 1903; TH. DE REGNON, *Etudes de Théologie positive sur la Sainte Trinité*, 3e série, Paris 1898. — 2/ **Ouvrages spéciaux**: NEWMAN, *The arians of the fourth century*, 4e éd., London 1876; GWATKIN, *Studies of arianism*, 2e éd., Cambridge 1900; P. SNELMANN, *Der Anfang des arianischen Streites*, Helsingfors, 1904; S. ROGALA, *Die Anfänge des arianischen Streites untersucht*, Paderborn, 1907. V. ERMONI, *La crise arienne*. — Revue Historique, 1909, t. CI, p. 1-37. Voir aussi les articles sur l'arianisme de X. LE BACHELET dans le *Dict. de Théol. Cath.* et de LOOFS dans la *Real-Encyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*.

dite du Verbe; par le fait même se trouvait faussée la vraie notion des principaux mystères de la religion chrétienne: la Trinité, l'Incarnation et la Rédemption.

La controverse doctrinale commença vers 318 à 320 à Alexandrie entre Arius, prêtre préposé à une église de la ville, nommée Baucalis, et son évêque Alexandre. Socrate dans son *Histoire ecclésiastique,* l. I, c. V, raconte que l'évêque Alexandre parla un jour en présence de tout son clergé du mystère de la Trinité et insista particulièrement sur l'unité de Dieu. Arius crut voir dans la doctrine de son évêque une formule sabellienne, et exprima vivement une opinion contraire, urgeant la distinction des personnes par l'argument suivant: « Si le Père a engendré le Fils, le Fils a commencé d'exister; il y avait donc un temps où le Fils n'existait pas. Le Fils tire son existence du néant: ἐξ οὐκ ὄντων ἔχει τὴν ὑπόστασιν » (1).

Ces paroles contiennent le résumé de la doctrine d'Arius; son argumentation se fonde, on le voit, sur l'idée de génération: le Père s'oppose dans son système, comme ἀγέννητος au Fils γεννητός. Mais il y a dans ce raisonnement un vice fondamental, une équivoque, que saint Athanase et les autres Pères de l'Église ne manquèrent pas de relever. Le terme ἀγέννητος est en effet susceptible d'une double signification: celle d'increé par rapport à ce qui est créé et celle d'inengendré par rapport à ce qui est engendré. Arius ne faisait pas cette distinction; toute génération, et non pas seulement la génération humaine, emportait selon lui essentiellement l'idée de commencement, de production contingente; partant de là il devait logiquement tirer la conclusion que le Fils n'est pas co-éternel au Père,

(1) Sozomène, *Hist. Eccl.* I, 45, Théodoret, *Hist. Eccl.* I, 1, saint Épiphane, *Her.* LXIX, 3, et Philostorgue, *Hist. Eccl.* I, 4, racontent l'origine des difficultés d'une façon un peu différente. La version de Socrate paraît la plus probable, Rogala, *o. c.*, y ramène toutes les autres.

puisque il y a eu un moment de la durée — non du temps — où il n'était pas, puisque il a passé du non-être à l'être.

Si le Fils n'est pas co-éternel au Père, il ne saurait lui être égal, ni consubstantiel : l'engendré, dans le sens arien, n'ayant pas en lui-même la raison de son existence, ne saurait être Dieu, l'être premier et nécessaire. D'ailleurs Arius avait un autre motif pour ne pas admettre que le Fils fût consubstantiel, ou engendré de la substance du Père ; ce motif est clairement exprimé dans l'extrait suivant de sa lettre à Alexandre : « Prendre ces expressions : *Je vous ai engendré de mon sein*, *Je suis sorti de mon Père,* dans le sens que d'aucuns leur donnent, comme si elles marquaient une partie consubstantielle du Père ou une sorte d'émission, ce serait faire du Père un être composé, divisible et muable, en d'autres termes, un corps ; ce serait assujettir le Dieu incorporel à toutes les conséquences de la nature corporelle ».

Mais si le Verbe n'est pas Dieu, quelle est donc sa nature ? Arius le déclare sans ambages : le Verbe est une créature (κτίσμα, ποίημα), que Dieu produit de rien par un acte de sa volonté libre (1). Toutefois par son office et son exaltation, le Fils constitue en quelque sorte une catégorie à part au sommet de l'échelle des créatures. D'abord par son office, car s'il est créature par rapport à Dieu, sa relation aux autres créatures est celle de créateur ; il est instrument de création et de gouvernement. Cette conception est très nettement formulée dans la *Thalie* d'Arius (2) : « Dieu n'a pas toujours été Père..... Il était d'abord seul, le Logos et la Sagesse n'étaient pas encore. Ensuite, Dieu voulant nous créer fit d'abord un certain être qu'il nomma Logos, Sagesse et Fils, afin de nous créer par lui ».

(1) *Epistula encyclica* d'Alexandre (*P. G.*, t. XVIII, col. 571).

(2) Passage conservé dans *Oratio I contra arianos* de saint Athanase. (*P. G.*, t. XXVI, col. 21).

Le Fils n'est pas seulement une sorte de vice-Dieu par son origine unique et son office, il a encore été adopté par Dieu, exalté, associé à la gloire divine, par anticipation de la récompense due à sa persévérance finale certaine. Ceci est clairement exprimé dans un autre passage de la *Thalie* où l'hérésiarque dit du Verbe: « Il est de nature changeante et muable; il use de son libre arbitre comme il veut, et, s'il reste bon, c'est parcequ'il le veut. Seulement Dieu, ayant prévu qu'il serait bon, lui a donné d'avance la gloire qu'il a méritée par sa vertu » (1). Il n'est donc pas Dieu par nature et dans la propriété du terme, mais seulement par dénomination et par adoption comme la créature.

La Trinité telle que l'entend le dogme catholique se trouve ainsi complètement ruinée. Logiquement le Saint-Esprit devint la créature du Fils et la Trinité arienne se trouve ainsi être une trinité décroissante (2).

Graves aussi étaient les conséquences au point de vue de l'Incarnation et de la Rédemption. Puisque le Christ n'est autre que le Logos incarné dans la plénitude des temps, il ne saurait être Dieu; dès lors l'œuvre rédemptrice change complètement d'aspect: l'action et l'influence du Christ n'est plus théandrique, mais plus ou moins humaine. Je dis plus ou moins humaine, car on ne sait trop si les ariens admettaient chez le Christ une âme humaine; d'après certains témoignages (3), le Logos en aurait tenu la place, comme dans le système de Paul de Samosate. Le Christ n'aurait donc été ni

(1) *Orat. I contr. arian.*, (*P. G.*, t. XXVI, col. 21).

(2) « Au sommet le seul vrai Dieu clos dans son aséité et son immuable simplicité, sans rapport immédiat avec le monde; au dessous, mais à une distance incommensurable, le Fils, le Logos-démiurge, créature parfaite du Père, mais ne réflétant sa gloire que dans la puissance créatrice et conservatrice, qu'il possède comme instrument; plus bas encore, beaucoup plus bas, le Saint-Esprit l'œuvre la plus parfaite du Fils, mais ne réflétant à son tour qu'un rayon diminué de sa gloire ». Le Bachelet, art. cité, col. 1787.

(3) S. Epiphane, *Hær.*, LXIX, 19, 49. (*P. G.*, t. XLII, col. 232, 278).

vrai Dieu, ni vrai homme, mais une créature, un être tout à fait particulier.

II. Cette idée du Verbe-créature, qui forme la base de l'arianisme, si éloignée qu'elle fût de la tradition, n'était pourtant pas sans connexion avec certains systèmes théologiques antérieurement professés, au sujet de la sainte Trinité. Nous en ferons ici une courte synthèse afin de montrer, au moins sommairement, les points d'attache de l'hérésie arienne avec les tendances hétérodoxes des trois premiers siècles.

Le christianisme regardait comme un dogme fondamental l'*unité de Dieu* et ses docteurs avaient dû y insister contre le dualisme plus ou moins explicite de la gnose. Il admettait comme non moins certaine la *divinité de Jésus-Christ,* qu'il avait défendue contre les judaïsants hérétiques. Entre ces deux croyances une contradiction semblait exister, qui ne pouvait manquer d'attirer de bonne heure l'attention des théologiens. Comment concilier la foi en un Dieu unique avec la foi en la divinité du Rédempteur ? On agita surtout cette question à partir du IIe siècle. A ce moment l'Eglise entre plus en contact avec le monde gréco-romain, qui par tout l'ensemble de sa culture et par sa philosophie surtout agit sur la façon de comprendre et d'énoncer l'enseignement révélé. Rien sans doute ne fut plus heureux que cette action de l'hellénisme ; le christianisme en acquit une souplesse, qui lui permit d'atteindre tous les esprits et toutes les âmes. Mais tout ne fut pas sain dans cette influence ; les efforts d'explication tentés ne furent pas toujours heureux et produisirent des tendances hétérodoxes, qui amèneront petit à petit le grand conflit arien.

1/ D'un côté les *monarchiens*, mus par le désir de sauvegarder l'unité, la monarchie divine, sans sacrifier la divinité du Christ, nient la distinction réelle entre le Père, le Fils et le Saint-Esprit, en faisant d'eux divers aspects d'une même personne. Enseignée à Rome dès le

premier quart du IIIe siècle, cette erreur, appelée encore patripassianisme, modalisme et sabellianisme, se maintient jusqu'au milieu du Ve siècle (1). Arius ne se rattache pas directement à cette hérésie; mais c'est, nous l'avons vu, par une réaction contre le sabellianisme que les difficultés commencèrent entre l'hérésiarque et son évêque.

2/ Deux autres courants hétérodoxes, le subordinatianisme et l'adoptianisme ont eu une influence directe.

a/ Le *subordinatianisme* (2) enseignait que le Fils bien que réellement Dieu, est inférieur au Père. Cette infériorité avait été introduite par des préoccupations cosmologiques, sous l'influence de la philosophie platonicienne et plus particulièrement de la théorie du Logos-démiurge, inventée par le philosophe juif alexandrin Philon et appliquée surtout dans les divers systèmes sémi-chrétiens des gnostiques. Les docteurs chrétiens qui s'étaient mis à cultiver la théorie philonienne, en subirent à leur tour les conséquences : saint Justin et plusieurs autres apologètes semblent déjà admettre cette infériorité; Origène est franchement subordinatien, bien que, avec toute l'école d'Alexandrie, il soutienne que le Fils existe de toute éternité et est de l'essence du Père. Des traces de ce système se rencontrent également chez saint Hippolyte, Tertullien et d'autres jusqu'à Lactance. Ces docteurs invoquaient eux aussi, tout comme Philon et les gnostiques, la trop grande distance, la disproportion entre le Dieu suprême, inaccessible, et les simples créatures et mettaient par suite entre Dieu et le monde, comme instrument de création, le Verbe, Fils de Dieu, dont parle saint Jean. Mais Arius en reprenant, comme nous

(1) Cfr. Tixeront, *o. c.*, t. I, p. 315-317.

(2) Cfr. Tixeront, *o. c.*, t. I, passim. Sur la doctrine du Logos antérieure à l'arianisme voir J. Lebreton, *Théories du Logos au début de l'ère chrétienne*, dans les *Études*, 1906, t. CV,; Héfélé, trad. citée, p. 335 s.

l'avons dit plus haut, la théorie qui voit dans le Verbe l'organe nécessaire de la création, en a admis toutes les conséquences. Si le Verbe est créateur, il se rapproche par quelques-uns de ses attributs de la création et ne saurait être le Dieu absolument transcendant; mais dès lors il n'est plus réellement Dieu, car il ne peut y avoir qu'un principe premier unique.

b/ Le Verbe n'est donc qu'une créature; mais que faire alors de la tradition si unanime au sujet de la divinité du Jésus-Christ? Arius crut trouver un correctif à sa première erreur dans l'hérésie adoptianiste. L'*adoptianisme* est la doctrine qui fait de Jésus-Christ, non le fils naturel, mais le fils adoptif de Dieu, par la grâce ou par l'inhabitation du Logos divin (1). L'adoptianisme s'est montré successivement dans deux centres assez éloignés l'un de l'autre: à Rome il fut enseigné à la fin de IIe siècle, à Antioche il fut implanté vers 260-270 par Artémas père en hérésie de Paul de Samosate. Le système de ce dernier est assez bien connu par les synodes d'Antioche (263-268), qui le condamnèrent: le Christ, d'après lui, est un homme dans lequel cependant demeure le Logos impersonnel; à cause de cette inhabitation Jésus a atteint une haute perfection morale qui lui valut la dignité divine. Un compatriote de Paul, Lucien, prêtre d'Antioche, défendit assez longtemps ces mêmes fausses conceptions sur la Sainte Trinité, et c'est par lui qu'elles parvinrent à Arius. Et en effet Arius fait lui-même remonter sa doctrine à l'école de Lucien, en saluant son ami et partisan Eusèbe de Cé-

(1) L'adoptianisme à toujours désigné en histoire une hérésie espagnole du VIIIe siècle; mais depuis quelque temps on est convenu d'appeler de ce nom le système que nous indiquons ici. On lui avait donné d'abord le nom de *Monarchianisme dynamique*, parce qu'il n'admettait comme présente en Jésus-Christ que la puissance ou la grâce, et non l'essence même de Dieu, et maintenait ainsi l'unité de Dieu. Seulement on ne voit nulle part que Théodote, Artémas ou d'autres adoptianistes aient été amenés à nier la divinité de Jésus-Christ, par le désir de sauvegarder la monarchie divine. TIXERONT, *o. c.*, t. I, p. 310.

sarée du nom de Συλλουκιανιστής. C'est donc par l'intermédiaire de Paul de Samosate et de Lucien d'Antioche que l'adoptianisme rejoint l'arianisme. Celui-ci retiendra l'idée fondamentale de la non-divinité de Jésus-Christ, mais il transigera sur la personnalité du Logos, dont il fera un être supérieur, créé et incarné en Jésus.

R. De Schepper.

VI

Q. Quot et quales candelæ in altari accendi debent aut possunt in diversis missis?

R. I. Quot? Minimum in omni missa requisitum determinat Missale, Rubr. gen. XX: « Super altare collocetur crux in medio, et *candelabra saltem duo cum candelis accensis* hinc inde in utroque ejus latere ».

1/ In missa *stricte privata* sacerdotis non Episcopi duæ tantum candelæ accendi possunt, nec plures admittere unquam licet ratione dignitatis personæ celebrantis qui sit v. g. canonicus, vicarius generalis, protonotarius apostolicus, vel alius quicumque, etiamsi habeat usum pontificalium, modo non sit Episcopus. Hoc diserte elucet ex decretis S. R. C. nn. 441; 567; 1051; 1125; 1131[21] (decretum generale specialiter attendendum); 2201[3]; 2984; quibus addi possunt decreta nn. 2583[6] et 3262[18].

2/ Si autem missa non sit stricte privata, sed habeat objectivam solemnitatem maxime extrinsecam, jam licet augere candelarum numerum. Quousque autem excrescere possit numerus, eruendum est ex decretis S. Congregationis, ex consuetudine et auctorum sententiis. Unde:

a/ In missa *solemni* seu cum assistentia diaconi et subdiaconi celebrata generatim, non tamen de præcepto (1),

(1) Cæremoniale Episcop. lib. I, c. XII, n. 24, in minoribus festis requirit tantum quatuor; imo duas dumtaxat in simplicibus et feriis per annum.

accenduntur sex cerei. Supponit enim *Ritus celebrandi* (tit. IV, n. 4) in missa solemni adesse in altari sex candelabra; et præfatum usum confirmant consuetudo sat generalis et auctores.

b/ In missa autem simpliciter *cantata,* etiam de *Requiem* exequialis aut quotidiana (n. 3029[7]), accedendi sunt saltem quatuor (1) sed possunt apponi sex.

c/ Tandem accendi possunt plus quam duo cerei (v. g. quatuor vel etiam sex) in missa *lecta*, si sit parochialis aut conventualis (2) aut similis (3) diebus solemnioribus, aut si celebretur loco solemnis et cantatæ, occasione realis atque usitatæ celebritatis et solemnitatis (4). Hujusmodi enim missa non habetur ut stricte privata (n. 3059[7]): quia venit loco missæ quæ de se aut ex usu celebratur in cantu vel solemniter, participat aliquatenus de privilegiis missæ solemniter celebratæ.

3/ Si vero celebret *Episcopus,* qui habet plenitudinem sacerdotii: a/ in missa ejus *privata* semper accendi *possunt quatuor* candelæ, quod omnino decet in festis solemnibus. Ita merito intelligunt doctores rubricam Cæremonialis Episcoporum lib. I, c. XXIX, n. 4: « In festis solemnibus decet in eo [altari] apponi quatuor candelabra cum candelis accensis, et in eorum medio erit crux argentea vel ex alia materia: in aliis festis non ita solemnioribus, et feriis, sufficiunt duo candelabra ». Quod confirmatur decreto n. 2682[8] pro missa ordinationis sine cantu celebrata. b/ Si autem missam *solemnem* celebret, « candelabra *septem* super altari ponantur » (5)

---

(1) Cf. decreta S. R. C. nn. 1470[2]; 3029[7]; 3377[1].

(2) De missa conventuali lecta cf. decr. 3065 et etiam decr. n. 2740[7], 3697[7] et decr. 19 Jan. 1906, ad II, ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 520.

(3) Qualis est missa principalis communitatis quæ solet cantari.

(4) Cf. decr. nn. 3059 ad 7 et 9; 3065.

(5) In missa a Summo Pontifice celebrata portantur insuper ab acolythis *septem candelabra* in processione ad altare, ad evangelium, etc. Septenarius uterque candelarum numerus originem ducere videtur ab usu antiquo servato in solemni missa stationali a Romano Pontifice celebrata, ad quam accedebat clerus totius Urbis, quæ olim in *septem* regiones

ut præscribit Cæremoniale lib I, c. XII, n. 12, et statuunt decreta nn. 482[2] et 2682[8]. Septimum tamen candelabrum non accenditur in missa de *Requiem* (Ibid. lib. II, c. XI, n. 1).

Quot requirantur candelæ in missa cum expositione SS. Sacramenti non est heic inquirendum et exposuimus apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 366 ss.

Nota juxta *Ritum celebrandi* t. VIII, n. 6, in missa *privata*, ante Consecrationem accendendum esse unum cereum vel « intorticium quod non extinguitur nisi postquam sacerdos Sanguinem sumpserit vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in missa » (1). Item « in missa *solemni* ad finem præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab acolythis, quæ exstinguuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post communionem. In diebus etiam jejuniorum et in missis defunctorum tenentur accensa usque ad Communionem » (ibid. n. 8) (2).

---

dividebatur. Ante Pontificem in processione a sacristia ad altare procedebant, præter alios, septem acolythi regionarii portantes *septem cereos*. Primitus candelabra — sicut nec crux (de qua cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 333 nota 1[a]) — non ponebantur super ipsum altare, postea vero altaris mensæ vel predellæ impositi sunt cerei ab acolythis allati. Servavit tamen Romanus Pontifex præter septem candelabra altaris, septem candelabra acolythorum; episcopis vero reservatum est jus accendendi septem cereos in altari; dum numerus ille pro aliis sacerdotibus ad sex cereos est imminutus. Cf. DUCHESNE, *Origines du culte chrétien* ch. VI, 1re; H. THURSTON, *Lent and Holy week*, p. 332; M. GAVIN, *Le S. Sacrifice de la Messe*, p. 226 s. Accessit symbolica significatio qua, juxta multos, exprimitur visio S. Joannis qui vidit « septem candelabra, et in medio... similem Filio hominis » (Apoc. I, 12, 13) et designantur septem dona Spiritus Sancti.

(1) Cf. etiam Missalis *Rubr. Gener.* t. XX.

(2) Usus ille ortus est sæc. XIII, eo nempe tempore quo ubique sparsa est praxis elevationis et ostensionis Hostiæ et Calicis (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 131) et quo vigere cœpit in plebe intensum desiderium *videndi* S. Hostiam. Cf. H. THURSTON, *Seeing the Host*, ap. *The Tablet*, 2 nov. 1907; *L'hostie montrée a l'assistance*, ap. *Rev. du clergé français*, t. LV (1908), p. 60-70. Quo facilior redderetur hæc visio, cui interdum nimia tribuebatur efficacia, diversa adhibebantur media v. g. in quibusdam ecclesiis expandebatur velum fuscum post altaris medium, acolythus vel subdia-

Verum praxis illa, saltem quod missam privatam attinet, in oblivionem et desuetudinem jamdudum abiit, et non est dubium quin legitima sit hæc consuetudo, maxime post discrtam legitimitatis declarationem a S. R. C. decreto n. 4029[2] factam. Posset tamen Ordinarius præscribere ut Missalis statutum servetur, ut declaravit S. R. C. 29 Jul. 1904, ad 8.

II. **Quales?** (1) Præscriptæ candelæ debent esse « *cereæ* » (2). Nullatenus autem permittitur ut sint ex stearina (bougies) aut ex sevo (suif) (3); sicut non licet loco cereorum adhibere lumen ex oleo (4), aut ex gaz, aut lucem electricam (5).

Hodie tamen quoad cereorum compositionem mitigatio inducta est decreto S. R. C. 14 dec. 1904 (6), quod statuit: « duæ candelæ in missis accendendæ sint ex cera apum saltem in *maxima parte;* aliarum vero candelarum quæ supra altaribus ponendæ sunt, materia in *majori vel notabili quantitate* ex eadem cera sit oportet ».

C. Callewaert.

---

conus incensans infra elevationem versùs cornu epistolæ recedere debebat. (Cf. Missale, *Rit. celebrandi,* XIII, 2). Eodem ex motivo, ut videtur, accendi cœpit intorticium tempore matutino vel in sacellis obscuris. Sed brevi lumen illud habitum est ut symbolum Christi « Lucis veræ »; adeoque in reverentiam SS. Sacramento exhibendam praxis illa paulatim generalis facta est et in Missali præscripta. Cf. H. Thurston, *On torches and torchbearers,* ap. *The Month,* 1909, t. CXIII, p. 167-176.

(1) Cf. *Collat. Brug.* t. X, p. 398 ss.; t. XI, 368 ss.; t. XIII, p. 224 et 341.

(2) Missale, *De defectibus* X, 1.

(3) Decreta S. R. C. nn. 2865; 3063; 3376[3].

(4) Decr. S. R. C. n. 3173; 4035[6]; exceptio quædam pro gratia concessa fuit missionariis decreto n. 2985.

(5) Decr. S. R. C. n. 3859; 16 maii 1902; 22 nov. 1907 (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 224); 17 jan. 1908 (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 341).

(6) Ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 389 ss.

De Luxuria voluntaria in causa

(Sequitur. — Cf. suprà p. 604).

II. **Mera commotio carnalis et distillatio** (1).

Relate ad hos effectus venereos imperfectos, non sunt causæ per se, sed ad summum *causæ per accidens:* ex una parte quivis actus extra genus venereorum, ex altera parte, illi actus intra genus venereorum qui revera in homine normali ita parum influunt ut nonnisi ob concursum aliarum causarum vel ob specialem dispositionem subjecti dictos effectus secum ferre nati sint.

Causæ per se contra sunt illi actus intra genus venereorum qui natura sua notabiliter influunt, seu sunt vere proportionati ipsis, in homine normali, habendis tanquam effectum. In concreto apparet causas per se horum effectuum imperfectorum multo numerosiores esse quam pollutionis: et sic sufficiunt actus externi etiam non ita graves, sicut certè sufficiunt actus interni, aliquatenus saltem vividi et practici (2).

Quæritur qualem reatum incurrat qui, præviso effectu, ponit causam sive per accidens sive per se relate ad talem effectum. — *Respondetur*

1/ Si causa est tantum **per accidens** valent dicta supra de pollutione, et a fortiori quidem, quum hi

---

(1) *Distillationem* juxtaponimus commotioni simplici carnali, non quia eam habemus qua de se effectum venereum, sed quatenus sæpius cum commotione venerea et delectatione venerea conjungitur.

(2) Quænam in concreto sint causæ habendæ qua causæ per se, quænam qua causæ per accidens, apparet non ita pervium esse determinatum. — Cæterum res nullius fere momenti est pro praxi. Etenim

a/ seponimus casum illius qui dictos effectus intendit, vel iis consentit dum fiunt; et

b/ ex dicendis apparebit, his seclusis ad summum nonnisi levem incurri reatum, ratione præcise illius effectus venerei imperfecti qui sequitur.

effectus pollutioni comparati certe minoris sint gravitatis.

2/ Si vero causa est per se, quæritur utrum qui, (seclusa prava intentione et secluso periculo consensus in delectationem forte secuturam), sine ratione sufficiente, talem causam ponit, ideo necessario ratione effectus pravi prævisi, graviter delinquat (1).

Cui quæstioni respondemus duo:

a/ Quæcumque sit pro momento ratio rei intrinseca, revera putamus non posse homini, regula saltem generali, mortales esse varios actus, ideo præcise quia, etsi natura sua et notabiliter, in dictos effectus influant. Alioquin oporteret damnare ut peccata gravia multas conversationes non necessarias virorum cum feminis, juvenum cum puellis, colloquia familiaria, choreas aliasque recreationes etiam honestas, cum in eis facillime intercurrant aspectus blandi, verba lenia, tactus, oscula, amplexus et alia hujusmodi venialia, ex quibus plerumque oriuntur motus aliqui venerei (2).

b/ Ast quænam est hujus *ratio intrinseca*? — Salvo meliori, sic dici posse videtur:

Secluso casu hos effectus tales esse qui vere contineant periculum proximum pollutionis, — quo casu incidis in dicta supra de pollutione per se vel per accidens causata (3), — dictæ commotiones et distillatio, quatenus considerantur ut meri effectus physici, non

(1) An v. g. qui sine ratione ulla, puta ex mera levitate venialiter mala, amplexum habet vel osculum cum persona alterius sexus vel tactum in partibus minus honestis, vel aspectum curiosum nec diuturnum in partes turpes, an eo ipso, ob prævisam commotionem veneream, incurrat gravem reatum?

(2) Cfr. Sporer, *Theol. mor. super Decal.*, t. 3, tr. 1, c. 5, n. 19.

(3) Revera causa quæ per se causat simplicem commotionem, potest relate ad pollutionem non esse nisi causa per accidens. Et sic homo qui ex tali causa commoveretur imo et polluetur, tamen non esset peccati gravis reus: neque ratione commotionis, quum hæc, etsi per se sequens, sit tamen minoris momenti; neque ratione pollutionis, quum hæc, etsi gravioris momenti, sequatur tamen solum per accidens.

sunt gravis, sed levis tantum momenti. Hinc qui etiam notabiliter in eas influit, ipsi nonnisi levis effectus tanquam voluntarius in causa imputatur.

Nec *objicias* in materia venerea illicita parvitatem materiæ non dari. — Respondemus enim : Dictum principium valet de effectu venereo *directe* quæsito ; sed de venereo *indirecto*, i. e. de effectu venereo non intento sed tamen ad actum tuum tanquam ad causam sequente, non valet (1). — *Ratio* autem *distinctionis* hæc dari posse videtur : *Directe intendere* effectum venereum etiam minoris momenti, peccatum grave est, nam qui voluntarie seu directe quærit delectationem veneream, eo ipso dicendus est voluntariè habere affectum suum inclinatum ad actum consummatum luxuriæ (2) ; contra qui alium quemdam finem intendens, puta satisfactionem curiositatis, tamen, præter intentionem, locum dat effectui venereo secuturo, reus esse potest, non quidem ideo quia dicendus est *intendere* hunc effectum et inclinatum habere affectum suum ad actum consummatum (3), sed mere quia *non vitat* effectum physice malum quem vitare forte deberet.

Nota. In tota disquisitione præcedente, examinavi-

(1) Tunc tantum *grave* peccatum est quando effectus est gravis momenti, et simul stricta causalitate (id est a causa per se) producatur. Porro sola pollutio vel proximum ipsius periculum sunt gravis momenti, utpote defraudatio naturæ, vel proximum periculum ipsius, in re gravis momenti ; levioris vero momenti sunt prædictæ commotiones.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, pp. 406 ss. ; t. XII, pp. 240 ss.

(3) Cfr. dicta supra, p. 536. — Sic etiam eum qui sine ratione sufficiente causam per se ponit pollutionis, peccati mortalis reum esse dicimus, *non* quia censetur *intendere* effectum hunc pravum, quia sibi in ea complacet — potest enim etiam eam detestari, — sed quia hæc pollutio, cujus non vitat causam per se, quam vitari deberet, est de se gravis momenti. Et revera, si illum qui ponit causam per se pollutionis, dicis habere affectum suum inclinatum ad ipsam, sicut illum qui eam directe producit, tunc jam nulla dari posset ratio sufficiens ad talem causam ponendam. — Eodem modo matrem gravidam quæ ad tollendum levem dolorem capitis vel stomachi sumeret potum, simul natura sua abortivum, ream dicimus gravis fœticidii, non quia eam censemus *intendere* homicidium, sed quia *non vitat* effectum, gravem dum vitare deberet.

mus solum casum illius qui ponit causam plus minusve influentem in *effectum* venereum prævisum sed *non intentum;* abstrahebamus proinde tum α/ ab hypothesi qua quis prævideret se commissurum actum turpem, tum ε/ ab hypothesi qua prævideret majus vel minus periculum ne consentiat delectationi effectus venerei quando fiet, tum γ/ ab hypothesi qua poneret causam effectus venerei præcise ex intentione hujus effectus.

Circa quas hypotheses hæc breviter notasse sufficiat:

1ᵃ hypothesi simpliciter applica principia generalia de illo qui se exponit periculo peccandi (1). Hinc qui causam ponit, puta potationem potus inebriantis, vel lectionem pravi libri, vel pravos aspectus, vel cogitationes turpes, etc., prævidens se inde inducendum ad committendum actum venereum, — nunc dum causam ponit, præter malitiam quæ forte jam inest actui præsenti, jam incurrit reatum actus venerei postea ponendi: nimirum ipsi imputatur peccatum futurum, qua peccatum internum (2); si vero postea de facto externe committitur, peccatum consummatur in ratione peccati externi (3).

Apparet autem peccatum sic prævisum imputari ad

---

(1) In omnibus præcedentibus agebatur non de casu illius qui se exponit periculo *peccandi*, sed de casu illius qui se exponit periculo *patiendi effectum* physicum.

(2) Sic qui se inebriat prævidens se ebrium pollutionem procuraturum in seipsum, dum se inebriat, proprie unum numerice peccatum committit: ebrietatis nempe *talis*, seu ebrietatis qualificatæ in qua nim. committetur peccatum luxuriæ. Unde duplex species inest, una primaria utpote intenta: ebrietas; altera secundaria, utpote non intenta: luxuria.

(3) Hoc peccatum externum, si cum plena deliberatione committitur. potest constituere peccatum numerice distinctum a peccato quod erat in positione causæ; si nim. moraliter interrupta fuit prava voluntas; sive autem numerice distinguatur, sive cum prava voluntate quæ aderat in positione causæ coalescat, — omni tamen casu executio externa declaranda est in confessionali.

Si vero peccatum illud externum committitur sine sufficiente deliberatione actuali, non quidem (pro quanto defuit deliberatio) aggravat reatum culpæ; ast nihilominus in confessione est accusanda; nec sufficeret confiteri peccatum qua prævisum tantum. Supra, p. 143, *nota*, 10.

majorem minoremve culpam, pro rata parte plus minusve perfectæ prævisionis.

2ª *hypothesi* eadem applica principia (supra, pp. 532 ss.). Notamus magnam rationem habendam esse in praxi hujus secundæ hypotheseos : Commotione enim venerea exorta, vel pollutione ipsa sequente, jam sæpe dari poterit periculum consensus in delectationem effectibus illis connexam. Quod periculum eo majus erit, quo effectus magis delectabilis est, — quo ipsa causa de se turpior apparet magisque proxima veneri, — et quo homo de quo agitur magis est ad venerem proclivis.

3ª *hypothesis* jam supponit voluntarium directum et proinde dubium esse nequit quin adsit peccatum grave contra castitatém (1).

Revera a/ qui *ex intentione* effectus pónit *causam per se* effectus venerei, — ipsi hic effectus de facto sequens imputatur tanquam peccatum externum : et sic peccati externi pollutionis reus est qui aspectus valde lascivos, in res valde turpes adhiberet, ex intentione secuturæ apud ipsum pollutionis.

b/ qui *ex eadem intentione,* ponit causam *per accidens* tantum, — ut si quis se inebriat, vel balneum sumit, vel determinato situ decumbit in lecto, ideo ut sequatur pollutio, — ipsi hic effectus de facto sequens imputari videtur (2) tantum ut peccatum internum, ita ut specie simile sit ipsius peccatum peccato affectus seu *desiderii*, non autem *procurationi* dicti effectus. Vide supra, p. 538 s.

A. Vander Heeren.

---

(1) Supra, p. 675. Sic qui se inebriat ex spe pollutionis secuturæ, iterum unum numerice peccatum committit, quod, in casu, duplicem speciem habet : unam, primariam : luxuriæ np., alteram, secundariam : ebrietatis.

(2) Aliter censet Cajetanus, in 2-2, q. 154, art. 5, num. III.

Notæ apologeticæ

De psychologicis tendentiis et de ordine supernaturali.

In responso, suprà, p. 651, dato, proponuntur asserta fundamentalia quibus solvi possunt plures quæstiones quæ hodie agitantur circa aliquam methodum in exponenda doctrina apologetica: de illa methodo loquimur quæ ex analysi tendentiarum vel phœnomenorum *phychologicorum* procedit ad proponenda motiva quibus ad fidem adducatur homo (1). Quædam adnotabimus quibus vera possint a falsis discerni.

1. Omne donum supernaturale *internum,* nempe quod intrinsece afficit et modificat animam, sive sit actus, sive habitus, est positive indebitum animæ: inde anima est quidem *capax* talis recipiendæ perfectionis, sed nullam *indigentiam* de illa, nec ullam *exigentiam* ad illam habet: illa capacitas vocatur *potentia obedientialis.* Notemus tamen donum supernaturale esse vere *perfectionem* animæ, esse bonum illi, sed bonum quod est *ultra* id quod ex sese postulat anima, nempe ultra id quo animæ indiget ut *proprio* bono. V. gr. animæ humanæ beatitudo naturalis consistit in Dei possessione per intellectum: possessio vero Dei *per intuitivam Dei visionem* non proprie correspondet appetitui *innato* intellec-

(1) Apologetica *moderna,* quæ opponitur « *intellectualismo* », universim sumpta bene describitur his verbis: « La notion de l'*immanence*, considérée par ces apologistes comme la condition même de la philosophie, est devenue le point commun de ces apologétiques *modernes* qui se différencient, à la vérité, par le choix du phénomène fondamental dont elles se réclament et dont elles tirent leurs dénominations particulières d'apologétique *psychologique*, *pragmatiste*, *morale*, etc.. mais qui toutes n'en partent pas moins du sujet, pour le mener, par l'analyse de sa conscience et de son phénoménisme intégral, en face de cette révélation divine, de telle façon qu'elle ne lui apparaisse plus comme une obligation surajoutée, venant purement du dehors et violant en quelque sorte son autonomie, mais comme une réplique bienfaisante et surabondante aux propres postulats ou exigences de notre nature intellectuelle et morale ». Le Bachelet, in *Dictionnaire apologétique de la Foi catholique* (d'Alès), t. I, col. 222.

tus (1) ad cognoscendum Deum, sed cognitionem Dei tribuit quæ est *alterius ordinis* ac est cognitio naturalis et multo perfectior, quæ est *supra* omnem naturalem vim cognoscitivam intellectus creati et quæ etiam consistere potest cum *naturali cognitione:* visio enim beatifica non physice impedit vel expellit cognitionem intellectus naturalem (2). Quoad voluntatem, ejusdem appetitus *elicitus* nunquam se extendit ultra bonum quod intellectu apprehenditur.

2. Quæ quum ita sint, in *analysi tendentiarum psychologicarum* humanæ naturæ, *nunquam poterit detegi aliqua exigentia ad aliquod donum supernaturale*, vel *indigentia* de aliquo supernaturali, aut, ut dictum fuit, *un élément naturellement inexplicable*. Etenim anima nostra a nobis non cognoscitur nisi per *actus* suos, et ex illis actibus cognitis deducimus esse in anima duas potentias operativas immateriales seu spirituales, nempe *intellectum* et *voluntatem:* de facultatibus operativis sensitivis hic non est sermo. Jamvero, si, ex sana philosophia, intimam naturam intellectus cognoscere intendimus, et nominatim, objectum ad quod naturaliter ordinatur, hæc statuenda nobis erunt: « *quidquid rationem entis quomodocumque participat* continetur sub extensione objecti *adæquati* intellectus communiter sumpti, hujusque actum terminare *de se* potest » (3). Igitur nequit *ex analysi intellectus* detegi aliquod ens, vel aliqua veritas quæ omnino incognoscibilis foret intellectui humano (4). Sed quum « objectum *proprium* ac *specificativum* intellectus humani secundum præsentem statum unionis ad corpus sit *quidditas*, sive natura, *in materia corporali* existens » (5), ideo de omni re, prorsus immateriali, et signanter de Deo, nequit intellectus humanus habere cognitionem nisi *analogicam*. Etiam in statu separationis a corpore, quo in statu cognoscit homo

(1) In intellectu non datur appetitus *elicitus*.

(2) Hoc probatur ubi sermo est de scientia Christi. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 245, 296, 439.

(3) De Jaeghier, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 414.

(4) Supposita cognitione Dei existentiæ ejusque attributorum, nominatim infinitæ sapientiæ, et, ex altera parte, limitatione intellectus creati, deducere possumus, probabiliter dari quasdam veritates a Deo cognitas et omnino incognoscibiles homini: sed hæc conclusio non est ex analysi intellectus humani.

(5) *O. c.*, n. 416.

independenter a phantasia, cognitio ejus de rebus immaterialibus est naturaliter analogica: quia species intelligibiles, quibus determinatur cognitio, necessario proportionantur gradui immaterialitatis intellectus quem actuant, ideoque nequit homo habere naturaliter de Deo nisi cognitionem analogicam: hæc est cognitio quam naturaliter appetit et qua quiescit appetitus naturalis seu intima et essentialis tendentia ad cognoscendum: nequit proinde ex analysi intellectus detegi in ipso *indigentia* ad supernaturalem cognitionem (1).

Ne igitur confundatur *moralis necessitas* revelationis cum quadam *psychologica* indigentia animæ ad revelationem. Quid enim importat thesis de morali necessitate revelationis? Hæc duo; a/ genus humanum, seu longe maxima pars hominum, nequit, *in præsenti quo versatur statu,* ad congruam seu sufficientem cognitionem pervenire de religione, etiam mere naturali, si solis naturalis rationis viribus relinquitur; b/ ideo, in præsenti statu quo versatur humanum genus, ipsa *revelatio* est *de facto* moraliter necessaria ad hoc ut omnes homines expedite, firma certitudine et nullo admixto errore, convenientem valeant acquirere cognitionem de religione etiam naturali (2). Notemus proinde: α/ prædicta necessitas revelationis non deducitur ex analysi tendentiarum psychologicarum humanæ naturæ: nam si homines *singillatim* consideratur, prædicta necessitas *non potest demonstrari,* demonstratur vero quod homines singillatim et *in se ipsis* considerati, sunt *physice* capaces acquirendi cognitionem sufficientem de religione naturali; β/ ipsa revelatio, h. e. ipsa locutio divina, est *supernaturalis* h. e., positive indebita generi

(1) De objecto proprio et de naturali modo intelligendi animæ separatæ cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 418; Lépicier, *Dell'anima umana separata dal corpo*, Roma, 1901, p. 75 ss.; Hugon, *Réponses théologiques*, Paris, 1908, p. 183 ss. Licet non perspiciamus qualis sit modus intelligendi naturalis qui convenit statui animæ separatæ, tamen ex ratione demonstramus possibilem esse beatitudinem mere naturalem, eamque necessario consistere in naturali cognitione cujus objectum præcipuum est Deus, et illa cognitione intellectum humanum quiescere et liberari a laboriosa scientiæ inquisitione, quæ est conditio hominis hac in terra.

(2) Cf. *Conc. Vatic.*, Constit. *de fide catholica*, cap. 2, Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, Freiburg; Br. 1908, n. 1786; Van Noort, *De vera religione*, Amstelodami. 1907, p. 32 ss.

humano, quia tale cognitionis medium non potest ab ulla creatura exigi (1).

Quod hucusque diximus de intellectu, debet etiam dici de voluntate: hæc non appetit, appetitu elicito, nisi bonum apprehensum ab intellectu; licet intellectus possit, v. gr., ex cognitione de doctrina christiana, notionem habere de bono supernaturali et licet voluntas possit hoc appetere, ille tamen appetitus est inefficax, ut suprà p. 653, exposuimus, et homo hanc inefficacitem cognoscere potest et, regulariter loquendo, debet.

Inde Pius X methodum reprobavit quæ demonstrare conatur *exigentiam* ad ordinem supernaturalem inesse humanæ naturæ: « Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet non desiderari e catholicis hominibus, qui, quamvis *immanentiæ* doctrinam ut doctrinam rejiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur, idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetæ catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam » (2).

3. Catholici ex revelatione cognoscunt Deum *supernaturaliter* intellectum illuminare et impellere ad bonum voluntatem, etiam hominum nondum credentium. Possitne ex illis actibus, prout ab homine, in quo fiunt, percipiuntur, eidem probare existentiam ordinis supernaturalis? Non. Quia illi actus, *prout supernaturales*, non cognoscuntur, non sunt objectum conscientiæ: ipsa *supernaturalitas* non potest directe cognosci (3). Ex hoc tamen quod homo ad veritatem inquirendam vel ad honestatem moralem acquirendam impellitur, sive naturaliter, sive supernaturaliter, occasio optima sumi potest ut doceatur de vera religione et potest esse initium conversionis.

(1) Cf. Ill.mus ac Rev.mus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 299-307; Mercier, O. P., *Les actes surnaturels*, in *Revue thomiste*, t. XV, p. 50.

(2) *Encyclica* « Pascendi », *Collat. Brug.*, t. XII, p. 668 s.

(3) Cf. Bainvel, *Nature et surnaturel*, Paris, 1908, p. 517 ss.; Michelet, *Dieu et l'agnoticisme contemporain*, Paris, 1909, p. 273 ss. — Catholici, per idem cognoscentes conditiones requisitas ad actus supernaturales et etiam normas quasdam secundum quas Deus distribuit gratias, possunt habere cognitionem *conjecturalem* de supernaturalitate quorumdam actuum.

4. Tandem quæri potest utrum apologeta recte agat cum hominibus *incredulis* conando excitare in illis naturale desiderium ad visionem beatificam, ex hoc quod asserat naturalem hominis tendentiam ad felicitatem *de facto* (1) expleri per visionem beatificam. Supposito quod nullum in explicatione erroneum assertum adhibeat, possit hac methodo aliquam *dispositionem negativam* ad fidem producere et aliquam præparationem, sed *valde remotam*. a/ Dicitur dispositio *negativa:* nam, ex hypothesi, esset desiderium *naturale* et nulla naturalis operatio est *positiva* dispositio ad gratiam (2). Esset dispositio negativa, quatenus esset ut *removens prohibens,* nempe hoc motus desiderio posset homo incredulus removere impedimenta ignorantiæ, inquirendo de veritate, etiam aliquo modo removere impedimenta passionum. b/ Dicitur præparatio *valde remota:* etenim si homo admittit (3) tendentiam, quam experitur, ad beatitudinem, non expleri, in præsenti rerum ordine, nisi in visione Dei intuitiva, tunc oportet ut apologeta dicat illi homini quod *conditio sine qua non* adeptionis visionis beatificæ est, hac in terra, *credere* veritates a Deo revelatas, observare præcepta ab Ipso statuta, in cultu ab Ipso determinato partem habere, uno verbo, ingredi in Ecclesiam romano-catholicam. Oportebit proinde demonstratione (plus minusve scientifica, secundum capacitatem intellectus hominis de quo agitur) probare *factum divinæ revelationis et missionem divinam Ecclesiæ romano-catholicæ* (4). In hac facienda demonstratione consistit apologetica, proprie dicta, et ex hac sequi potest præparatio magis ac magis propinqua ad fidem, nempe persuasio de veritate religionis catholicæ et tandem ipsa *dispositio proxima,* cum gratia Dei, nempe ultimum judicium practicum credibilitatis (5).

---

(1) De facto h. e. in præsenti Providentiæ ordine. Quod hoc sit cognoscitur per fidem ex revelatione.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 325.

(3) Hoc incredulus *admittere* potest vel quia credit homini hoc asserenti, vel quia sophismate aliquo obcæcatus putat hoc *demonstrari* ex ipso naturali suo desiderio ad felicitatem.

(4) De duplici methodo qua demonstratur factum revelationis et divinæ Ecclesiæ missio cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, o. c., in *Collat. Brug.*, t. II, p. 501 ss.; Billot, *De Ecclesia*, Romæ, 1898, t. I, p. 57 ss.

(5) De judicio credibilitatis cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 559, t. III, p. 69, 193, t. VI, p. 458, 591.

Sed incaute ageret qui *absque opportunis temperationibus* loqueretur de convenientia ordinis supernaturalis ad naturam et signanter de convenientia religionis christianæ ad naturales tendentias : hoc verissimum est quod, sub influxu fidei et donorum supernaturalium, omnes vires humanæ naturæ perfectissime ordinantur etiam in suo proprio ordine et naturalis humana activitas ad splendida facienda opera promovetur et supra se extollitur : sed multæ sunt tendentiæ naturales quæ opponuntur adhæsioni ad christianismum (1). Præsertim hîc notandum venit *fidem* esse essentialiter *subjectionem intellectus* (2) : a qua subjectione homo, præsertim si sit incredulus, naturaliter avertitur. Intelligit utique et absque difficultate, *rationabilem* et *obligatoriam* esse fidem, *dummodo certo constet de facto revelationis ;* sed sponte etiam intelligit nec rationabilem nec obligatoriam esse fidem, si non constet de facto revelationis.

Igitur ex analysi tendentiarum animæ humanæ sequitur : a/ in re apologetica *necessarium* et omnino *præcipuum* esse *demonstrare ipsum factum divinæ revelationis :* b/ non dari in voluntate efficax desiderium nisi ad hoc quod α/ ut vere bonum h. e. *conveniens subjecto* apprehenditur ab intellectu, β/ ut aliquid reale quod a subjecto *potest obtineri.*

In hoc apparet ille *intellectus primatus* quo *non nisi ex apprehensione intellectus* potest aliquod *objectum* movere voluntatem. Inde exclamabat quidam : « Hinc est ergo, Domine, quod non tantum diligo, quantum debeo, quia *non plane cognosco* te, sed quia parum cognosco, parum diligo et quia parum diligo, parum in te gaudeo » (3). Etiam Leo XIII, in encyclica « Æterni Patris » (4), docebat, ab intellectus *cognitione* dependere voluntatis *actiones* et a falsis philosophorum placitis provenire, nostris diebus, malam *agendi* rationem.

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. Hugueny, *Critique et catholique*, Paris, 1910, p. 299 ss., ubi exponuntur « les aspirations et les répugnances du cœur humain à l'égard du christianisme ».

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 208 ; Hugueny, *o. c.*, p. 304.

(3) *Soliloquium*, attributum *S. Augustino*, c. I, n. 4.

(4) *Acta Leonis XIII*, t. I, Bruges, Desclée, 1887, p. 89. Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 3.

Bulletin de Jurisprudence.

I. Assistance au Te Deum.

Par délibération du 10 juillet 1909, le conseil communal de Grandrieu (prov. de Hainaut) avait prié le bourgmestre de se dispenser de convoquer les membres du collège échevinal et du conseil communal et les employés communaux au Te Deum chanté à l'église, à l'occasion des fêtes nationales.

Un arrêté royal, en date du 29 septembre suivant (1), annule cette délibération, « attendu que celle-ci constitue une invitation au bourgmestre de se soustraire aux instructions qui lui sont données par l'autorité supérieure à l'occasion des fêtes nationales; que, en conséquence, le conseil communal, en prenant cette résolution, est sorti de ses attributions ».

II. Hôpital. — Administration des secours religieux aux malades. — Dispositions réglementaires restrictives de la liberté des croyants et du libre exercice du culte. — Suppression de l'aumônier. — Annulation.

A. La commission administrative des hospices civils de Mons avait, en 1906, arrêté de nouvelles dispositions réglementaires concernant l'administration des secours religieux aux malades admis en traitement à l'hôpital de cette ville. Après avoir reconnu théoriquement la liberté de conscience et des cultes, le dit règlement édictait une série de mesures restrictives de ces droits constitutionnels (2).

1° Il violait la liberté individuelle et la liberté de conscience a/ en stipulant que, si le malade désire la visite d'un ministre d'un culte, il doit en faire spontanément la demande expresse au directeur de l'hôpital; b/ en requérant la présence du directeur à l'entretien du malade avec sa famille et en faisant signer par celle-ci une déclaration écrite contenant l'expression de ses volontés, dans le cas où le malade ne pourrait

(1) *Moniteur*, p. 5593 s.
(2) *Revue catholique de droit*, 1908-1909, t. XI, p. 172 s.

exprimer les siennes ; c/ en enlevant au malade le droit incontestable de choisir librement le ministre du culte, auquel il entend se confier ; d/ en soumettant l'administration des sacrements à une série de formalités préventives, qui pourraient avoir pour effet de priver des sacrements celui qui les a demandés, ou tout au moins d'en retarder l'administration.

2° Il violait le libre exercice des cultes et entravait le droit des ministres du culte d'accomplir librement leurs fonctions pastorales a/ en décidant que ceux-ci ne pourront rendre visite qu'aux seuls malades qui en ont fait la demande expresse, et qu'ils se borneront à accomplir les devoirs de leur ministère vis-à-vis de celui qui les réclame ; b/ en réglementant les cérémonies de l'administration des sacrements, exigeant que celle-ci soit très brève, très simple, sans apparat, cortège, lumière etc.

C'est donc à juste titre qu'un arrêté royal en date du 23 mars 1908 (1), a mis à néant ces dispositions réglementaires, jugeant que les secours religieux doivent être à la libre disposition des malades hospitalisés et que les ministres du culte doivent pouvoir exercer leur ministère auprès de ces malades, dans les mêmes conditions qu'auprès de ceux qui sont traités à domicile, que conséquemment les administrations hospitalières ont l'obligation de faire leur règlement de manière à concilier les exigences du service avec le respect de la liberté de conscience et de culte (2).

B. La commission des hospices n'abandonna pas la partie. Le 2 avril 1908, elle arrête de nouvelles dispositions, dont les premières visaient la suppression de l'aumônier de l'hôpital. Un aumônier avait été attaché à l'établissement en vertu d'une fondation. La commission des hospices supprime celle-ci. Ensuite, elle réglemente de rechef l'administration des secours religieux aux malades. Le nouveau règlement ne

(1) *Moniteur*, p. 1742 s. ; *Rev. cath. de droit, l. c.*, p. 270-275 ; *Revue de l'administration*, 1908, t. LV, p. 226 ss.

(2) *Annales parlementaires. Chambre des Représentants.* Sess. 1907-1908, p. 1420. Voir Giron, *Dictionnaire de droit administratif et de droit public*, v° Hôpitaux et Hospices, n° 30, 40, Bruxelles, 1895 ; Damoiseaux, *Guide pratique de l'administration des bureaux de bienfaisance et des hospices civils*, p. 99, Manage, 1904.

prévoit qu'un mode, suivant lequel le malade peut manifester sa volonté de recevoir la visite d'un ministre du culte, celui d'en faire la demande expresse ; il restreint le droit de visite des ministres des cultes, aux jours et aux heures fixés pour les visites des parents et amis.

Un arrêté royal du 6 avril 1909 (1) annule ces dispositions tracassières de la commission des hospices civils de Mons. Les motifs invoqués par l'autorité supérieure pour établir l'illégalité de la suppression de l'aumônier sont particulièrement intéressants.

La fondation, en vertu de laquelle un aumônier avait été attaché à l'hôpital, avait été constituée par une donation du 22 mars 1809, autorisée en exécution du décret impérial en date du 27 juillet 1808 (2).

Or, cette donation était faite à l'aumônier établi près de l'hospice et à ses successeurs, acceptant par le ministère des administrateurs de l'hospice. Le décret impérial précité autorisait donc une donation au profit de personnes successives, n'existant pas encore au moment où elle fut faite, et dérogeait ainsi aux articles 894, 900, 906, 911 du Code civil. Ce décret dérogeait en plus aux stipulations de la loi du 16 messidor an VII, réglant les attributions des commissions des hospices, en admettant dans la dite fondation des dispositions relatives à la nomination, au traitement de l'aumônier et contraires conséquemment aux articles 6 et 7 de la loi de messidor.

L'arrêté royal en conclut que le décret impérial de 1808 réglait ce qui était de la compétence exclusive du pouvoir législatif. Or, il n'a pas été déclaré inconstitutionnel par le Sénat conservateur. Il s'en suit qu'il a valeur de loi et qu'il ne peut être abrogé que par une loi (3).

---

(1) *Moniteur*, p. 2094 ; *Rev. cath. de droit*, 1909, t. XII, p. 198 ss. ; *Revue de l'administration*, 1909, t. LVI, p. 273 ss.

(2) La *Pasinomie* (1e sér., t. XIV, p. 297) cite à cette date, sans en reproduire le texte, un décret impérial autorisant l'acceptation de dons et legs faits aux pauvres et aux hospices de Paris..., de Mons etc., avec renvoi au *Bulletin des lois*, 4e sér., bull. 200, n. 3636-3660.

(3) Voir sur la question de la valeur juridique des décrets impériaux : Zachariæ, *Cours de droit civil français*, trad. par Aubry et Rau, 2e éd., t. I, § 5, p. 9, Bruxelles, 1850 ; Aubry et Rau, *Cours de droit civil français*,

Quoi qu'il en soit de cette argumentation, il est établi qu'il n'appartient pas à la commission des hospices et au conseil communal de supprimer une fondation, sans l'assentiment du gouvernement (1). Nous faisons abstraction ici du caractère spécial des fondations pieuses.

III. Établissements publics. — Dons et legs. — Clauses légales. — Clauses illégales et réputées non écrites.

A. Divers arrêtés royaux (2) autorisent l'acceptation de dons et de legs, faits au bureau de bienfaisance, sous condition que les distributions se fassent aux pauvres d'une paroisse déterminée.

B. 1° Une personne avait disposé d'une somme de 100,000 francs, pour l'établissement d'un hôpital, avec la clause que le service devait y être assuré par un personnel laïque. Un arrêté royal en date du 14 mai 1909 (3) a jugé que la clause précitée était contraire aux articles 6 et 7 de la loi du 16 messidor an VII et que, dès lors, elle doit être considérée comme étant l'expression d'un simple vœu.

2° Un legs avait été fait à l'église de Bixschote à charge

4e éd., t. I, § 5, p. 7 ss., Paris, 1869; Taine, *Les origines de la France contemporaine*, 24e éd. *Le Régime moderne*, t. I, p. 168-172, Paris, 1904; Poullet, *Les institutions françaises de 1795 à 1814*, nos 606, 621, 643 ss., 661 s., 696, 723, 773, 785, 872, Bruxelles, 1907; Esmein, *Précis élémentaire de l'histoire du droit français de 1789 à 1814*, p. 281, Paris, 1908; *Collat. Brug.*, t. IX, p. 452 ss.

(1) *Revue de l'administration*, 1909, t. LVI, p. 276; 1907, t. LIV, p. 205-208; Ar. royal du 11 sept. 1908 annulant la délibération en date du 18 déc. 1905, par laquelle la commission des hospices civils de Tournai décide: 1° de transférer à l'hôpital des vieillards, les pauvres, anciens prêtres, qui s'y trouveraient dans les conditions d'indigence et de domicile de secours, pour y jouir du même traitement et être soumis au même règlement que les autres indigents à charge de l'administration des hospices; 2° de supprimer l'affectation particulière qu'avaient reçue les locaux de la maison dite des anciens prêtres. *Moniteur*, p. 6090; *Annales parlementaires. Chambre des Représentants*, Sess. 1906-1907, p. 551 ss., où l'on trouvera le discours prononcé par le Ministre Van den Heuvel sur le maintien des fondations antérieures à la Révolution française.

(2) Arr. royaux du 31 août, 5 oct., 11 nov. 1908, *Moniteur*, p. 4928, 5698, 6560; et du 27 sept. 1909, *ibid.*, p. 5640.

(3) *Moniteur*, p. 2782.

de faire célébrer à perpétuité un service anniversaire avec distribution de pains aux pauvres et de gâteaux de dix centimes aux enfants fréquentant les écoles catholiques. Le bureau de bienfaisance demanda l'autorisation de refuser la rente destinée à assurer la distribution de gâteaux aux enfants des écoles catholiques.

Un arrêté royal du 14 juillet 1909 (1) fait droit à cette requête : « considérant que cette distribution doit être faite » à tous les enfants des écoles précitées sans distinction de » fortune, et non aux seuls indigents et que, dès lors, elle » ne concerne pas le service de la bienfaisance publique ; » considérant, d'autre part, que les administrations fabri- » ciennes n'ont qualité que pour pourvoir aux frais du culte, » qu'ainsi la fabrique d'église légataire n'a pas capacité pour » exécuter la clause susvisée ; qu'en conséquence, la dite » clause doit être réputée non écrite, par application de » l'art. 900 du code civil ».

IV Etablissement public. — Legs. — Demande en délivrance. — Autorisation administrative postérieure. — Droit aux fruits.

Par arrêt de la Cour de cassation, en date du 22 avril 1909 (2), mettant à néant un arrêt de la Cour d'appel de Liége, du 27 juillet 1907 (3), il a été jugé que :

Un établissement d'utilité publique, légataire particulier, peut à raison de sa capacité juridique préexistante à toute autorisation, exercer, en la qualité de propriétaire lui reconnue par l'art. 1014 du Code civil, l'action en délivrance. Si, aux termes de l'art. 910 du Code civil, la disposition testamentaire n'a d'effet qu'autant qu'elle a été autorisée, cette autorisation, survenant, se reporte au moment de l'ouverture de la succession, et l'établissement légataire a droit aux fruits,

(1) *Moniteur*, p. 4148 s.

(2) *Pasicrisie*, I, 212-217, arrêt et conclusions conformes du procureur général. L'argumentation de M. Janssens au sujet du caractère et des effets de l'approbation administrative et de la demande en délivrance est remarquable. V. aussi *Rev. cath. de droit*, 1909, t. XII, p. 147 ss.

(3) *Pas.*, 1908, II, 177 ; *Rev. cath. de droit*, 1908-1909, t. XI, p. 275. Il y avait appel d'un jugement du tribunal civil de Liége, en date du 2 mars 1906, *ibid.*, 1906-1907, t. IX, p. 193.

non à dater de l'autorisation, mais à dater de la demande en délivrance (Code civ. art. 910 et 1014).

V. Legs universel. — Absence de toutes relations avec le légataire. — Communauté d'idées et de sentiments. — Interposition de personnes non démontrée.

Un arrêt de la Cour d'appel de Liége, en date du 1er avril 1908 (1) confirmant le jugement du tribunal civil de cette ville, en date du 17 mars 1907 (2), a décidé comme suit :

Des faits qui tendent à démontrer que deux sœurs ont manifesté leur intention qu'après leur décès leurs biens soient consacrés à la création et à l'entretien de certaines œuvres, et qui ont ensuite institué pour légataire universel un riche propriétaire qui appartient à un milieu social différent du leur, avec lequel elles n'ont jamais eu aucun rapport d'affaires ni d'affection et sous le nom duquel sont inscrits des biens appartenant à des communautés religieuses, — de tels faits auraient seulement pour résultat, en les supposant acquis, de révéler une communauté d'idées et de sentiments entre les testatrices et le légataire, mais n'établiraient pas que le légataire universel n'est qu'un institué fictif, chargé de remettre les biens légués, soit à des incapables, soit à des tiers inconnus qui seraient les véritables gratifiés (3).

VI. Sonneries de cloches pour cause profane. — Curé. — Usage local. — Autorisation tacite. — Absence de délit.

Ne peut être condamné pour immixtion dans des fonctions

---

(1) *Revue de l'administration*, 1909, t. LVI, p. 366 s.

(2) *Ibid.*, p. 304 s.

(3) Cet arrêt se rapproche de la thèse défendue récemment par M. le professeur Van den Bossche sur la légalité des fondations privées. V. *Collat. Brug.*, 1909, t. XIV, p. 180 s. V. aussi : trib. civ. de Bruxelles, 25 avril 1906 avec l'avis du ministère public représenté par M. R. van den Branden de Reeth, *Rev. cath. de droit*, 1906-1907, t. IX, p. 146-157 ; Cour de Bruxelles, 26 janvier 1907, *Pas.*, 1908, II, 8 ; Cassation 25 juin 1908, *ibid.*, 268-281 avec notes ; Cour d'appel de Caen, 21 décembre 1905, *Rev. de l'administration*, 1908, t. LV, p. 492 ; Cassation de Rome, 23 mars 1908, *Pas.*, 1909, I, 93 s.

publiques (1) le curé qui, sans permission expresse de l'autorité communale, a fait sonner les cloches d'une église pour célébrer le succès remporté dans un concours par une société de fanfares de la localité, lorsque, par suite des circonstances, de l'usage local existant, de l'absence de prohibition de la part du bourgmestre dans des circonstances analogues, il a pu se croire autorisé à agir de la sorte. Décision du tribunal de police de Paturâges, du 20 février 1909 (2).

A. De Meester.

(1) Lorsqu'il s'agit de sonner les cloches pour toute cause étrangère au service du culte, le droit en appartient encore en général au curé, mais il n'en peut faire usage qu'après avoir préalablement demandé et obtenu la permission du bourgmestre, *Collat. Brug.*, II, p. 486 s.

(2) *Pas.*, III, 341 s.

E Congregatione S. Officii.

DECRETUM (1).

13 januarii 1909.

Hoc edito decreto (2), moderatores cujusdam Ordinis religiosi Suprenam hanc sacram Congregationem Sancti Officii adiverunt responsum ad sequens dubium expostulantes:

An decretum, die 28 decembris 1908, ab Eminentissimo ac Reverendissimo Urbis Vicario, ordinaria tantum auctoritate latum, sacerdotes Regulares etiam quoad suspensionem emanatam obstringat.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis habita feria IV, 13 januarii 1909, propositis supra memoratis precibus EE. ac RR. DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales reformato dubio prout sequitur:

An decretum, die 28 decembris 1908, ab Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Urbis Vicario latum sacerdotes Regulares etiam quoad suspensionem irrogatam obstringat in casu speciali:

Decreverunt;

Attentis omnibus circumstantiis: Affirmative.

Insequenti vero feria V ejusdem mensis et anni, SS. Dominus noster Pius divina providentia Papa X, in audientia reverendo Patri Domino adsessori impertita, habita de his relatione decretum EE. RR. Patrum approbavit et confirmavit.

L. ✠ S. Aloysius Castellano *S. R. U. I. Notarius.*

---

(1) Cf. *Nouv. rev. théol.* 1909, t. XLI, p. 478 s., qui libellus periodicus hanc S. S. decisionem deprompserat ex *Analecta S. Ordinis Prædicatorum*, t. VIII, p. 87.

(2) Agitur de decreto d.d. 28 dec. 1908 quo Emmus Respighi, Card.-Vic. Urbis, *ordinaria sua auctoritate*, proscripsit libellum periodicum modernistarum *Rivista di cultura* et quidem sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ, si quis e clero sæculari vel regulari eum libellum legerit, vel ei sese consociaverit. Cf. *Il monitore ecclesiastico*, 1908-1909, t. XX, p. 538.

Adnotatio. Ratio dubitandi erat: 1° quia juxta sententiam solide probabilem regulares exempti non obstringuntur prohibitionibus legendi et retinendi libros, aliaque scripta ab Ordinariis pro suis diœcesibus latis, etiam si Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati hanc proscriptionem tulissent (1); 2° quia regulares exempti non subjiciuntur pœnis latis ab Episcopo si causa ipsa sit exempta a jurisdictione episcopali, præsertim cum quæstio poneretur de Ordinibus Mendicantibus, qui speciali gaudent privilegio, vi cujus *censuris* episcopalibus ligari nequeunt in iis, in quibus subsunt potestati Ordinariorum (2).

S. Officium juris controversiam supponit, eamque insolutam relinquit; sed, reformato dubio, in casu particulari, attentis omnibus adjunctis, respondet. Illa adjuncta nos fugiunt. At, non immerito conjici potest specialis interventus Summi Pontificis, quo, in profligandis Modernistarum erroribus, Cardinalis Vicarii provisionem approbavit et confirmavit (3).

A. De Meester.

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 1307, p. 636 s.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1371, p. 725; n° 1393, p. 740.

(3) *Nouv. rev. théol.*, *l. c.*, p. 480, nota.

S. Congregatio Episcoporum et Regularium.

PLACENTINA.

De munere respectivo confessarii et capellani monialium (1).

Beatissime Pater,

Gubernator ecclesiasticus diœcesis Placentinæ in Hispania sequentia exponit:

Juxta constitutiones synodales hujus diœcesis, munera capellani, qui non est simul confessor monialium, sunt inter alia hæc: distribuere communionem monialibus, ipsamque eisdem portare per modum viatici, et etiam per devotionem, ingrediendo septa monasterii, cum sint infirmæ, ac etiam Extremam Unctionem.

Quidam auctor probatus, suffultus Constitutione *Felici* Alexandri VII, aliisque testimoniis, docet: Confessorem posse ingredi in clausuram ob necessitatem sive ad ministranda infirmis Sacramenta Confessionis, Communionis et Extremæ Unctionis, sive ad commendandam animam agonizantium.

Et re quidem vera, cum una eademque est persona confessoris et capellani, tunc nulla oppositio datur statutum synodale inter et aliam doctrinam.

Sed cum sunt duæ personæ confessor et capellanus, prout frequenter evenit, tunc oppositio statutum inter et aliam doctrinam est manifesta. Hinc jurgia, hinc querellæ.

Ex una parte, certum est in Hispania capellanos monialium stipendia habere pro suo munere, ipsosque sacrum quotidie facere in ecclesiis monasteriorum, benedicere candelas, cineres ramosque, asservare clavim sacrarii, aliaque sacra peragere.

(1) *Le Canoniste contemporain*, 1909, t. XXXII, p. 42-44.

E contra confessor monialium qui non est simul capellanus, nihil horum facere potest.

Aliunde si confessor non capellanus præter Confessionem, etiam Communionem viatici et devotionis causa intra septa monasterii et Extremam Unctionem administrare teneretur, nimio urgeretur onere et difficillime invenirentur sacerdotes talem sarcinam volentes assumere.

Ex alia parte facillime pœnas in violantes clausuram posset incurrere confessor non capellanus, si jus ingrediendi in clausuram ob Communionem, Viaticum et Extremam Unctionem competat capellano, aut e contra si competat confessori etiamsi non sit simul capellanus.

Consuetudo in hac diœcesi est pro capellano.

Verumtamen ductus desiderio recte agendi in materia de qua, enixe humiliterque a S. V. expostulo responsionem sequentibus quæsitis:

1. Jus ingrediendi septa monasterii ad communionem ferendam monialibus devotionis causa pertinet ad capellanum aut ad confessorem?

2. Jus ingrediendi in clausuram ad Communionem ferendam monialibus Viatici causa pertinet ad capellanum aut ad confessorem?

3. Jus ingrediendi in monasterium ad Extremam Unctionem ministrandam pertinet ad capellanum aut ad confessorem?

4. Jus commendandi animam agonizantium intra monasterium pertinet ad capellanum aut ad confessorem?

5. Jus funerandi moniales pertinet ad capellanum aut ad confessorem?

Et Deus..., — Placentiæ, 1° Februarii 1906.

Vester humillimus filius — Innocentius Portabales, Gubernator Ecclesiasticus.

Sacra Congregatio E^morum^ ac R^morum^ S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, omnibus mature perpensis, dubiis præmissis respondendum censuit prout respondet:

Ad I. *Ad confessarium et solummodo eo impedito ad capellanam.*

Ad II. *Omnino ad confessarium, excluso capellano, nisi agatur de casu urgenti seu de periculo in mora.*

Ad III et IV: *Ut in secundo.*

Ad V. *Ad confessarium, et in casu legitimi impedimenti ad capellanum.*

Romæ, 26 Novembris 1906.

D. Card. Ferrata, *Præf.*
Ph. Giustini, *Secret.*

S. Congregatio Consistorialis

ADRIEN.

